







Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

MONUMENTA
ORDINIS
FRATRUM PRAEDICATORUM
HISTORICA


TOMUS X.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. V.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGIARDIAE-VINDOBONAE
APUD JOS. ROTH, BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1901

ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. V.

AB ANNO 1558 USQUE AD ANNUM 1600

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. ANDREAE FRÜHWIRTH

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE

IN DOMO GENERALITIA

10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE

APUD JOS. ROTH, BIBLIOPOLAM

33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

1901



17785

LECTORI

Acta duodecim capitulorum generalium ab anno 1558 ad annum 1600, quae in hoc tomo recenseo, iam ante typis prodierunt, singula nempe eodem, quo capitulum celebratum est, anno vel paulo post, locis in sequenti schemate notatis :

Capitula celebrata

Acta typis excusa

Romae	a. 1558	Loco, anno et typographo incertis.
Avenione	a. 1561	Ibidem, apud Petrum Ruffum.
Bononiae	a. 1564	Ibidem, apud Alexandrum Benaccium.
Romae	a. 1569	Ibidem, apud Iulium Accoltum.
Romae	a. 1571	Ibidem, apud Haeredes Antonii Bladii, Impressores Camerales.
Barcinonae	a. 1574	1°. Ibidem, apud Claudium Bornatium. 2°. Bononiae, apud Alexandrum Benaccium, de mandato rev. p. fr. Dominici de Imola, provincialis utriusque Lombardiae, eiusdemque provinciae expensis. 3°. Salmanticae 1575, apud Matthiam Gast.
Romae	a. 1580	Ibidem, apud Haeredes Antonii Bladii.
Ordinationes actis huius ca- pituli adnexas		excudebat Vinc. Accoltus, Romae 1580.

Romae	a. 1583	Ibidem, apud Haeredes Antonii Bladii.
Litteras autem Sixti Fabri Lucensis		excudebat Alexander Benatius.
Romae	a. 1589	1°. Ibidem, apud Paulum Bladum, Impressorem Cameralem. 2°. Madriti, ex officina Petri Madrigalis 1590.
Venetiis	a. 1592	Mantuae, apud Franciscum Osanae, Impressorem Ducalem.
Valentiae	a. 1596	Neapoli, apud Tarquinium Longum.
Neapoli	a. 1600	Ibid., apud Ioannem Iacobum Carlinum.

Unumquodque vero exemplar, quo usus sum, sigillo magistri ordinis munitum eiusque vel unius ex suis sociis manu propria subscriptum est.

Actis capituli Romae celebrati anno 1583 additur nova rubrica - *Fratres qui gloriose obierunt* - quae et in sequentibus saepius, non tamen semper, invenitur. Originem huius rubricae inde deduxeris, quod etiam capitula praeterita, puta annis 1569, 1571, 1574, 1580 celebrata, certiores reddebant fratres de nomine sodalium, qui ab haereticis in odium fidei interfecti fuere.

Ad textus recensionem quod attinet nonnisi errata typographica eaque manifesta, quae ut plurimum levia erant, emendavi, quin expresse lectorem ea de re monendum iudicaverim; caetera vero ad unguem cum prototypo concordant.

Varium modum scribendi nomina propria retinui, et in notis simul lectoris oculo exhibui; quod et clarius patebit in indice personarum.

Actis denique capituli Romae celebrati anno 1571 litteras adieci fratris Fernandi de sancta Maria magi-

stro generali ordinis datas - *de praedicatione evangelii in Indiis orientalibus.*


Acta vero capituli Romani a. 1583 sequuntur litterae magistri ordinis fratris Sixti Fabri Lucensis - *de reformatione studiorum* - quippe quae compendioso quodam modo referant, quidquid pertinet ad cursum studiorum tunc temporis observatum, simulque vim ordinationis habeant.

Titulos librorum, quorum pluries in notis mentionem facio, et sigla, quibus usus sum, plane eadem quaeras in volumine praecedenti.

Gratias mecum habeas dilecto sodali fr. Alberto Blat, qui in plagulis corrigendis assiduum valde se praestitit atque impigrum.

Datum Romae die 5 aprilis 1901.

Fr. Benedictus Maria Reichert
Ord. Praed.



BQX

7310

.A2

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

In nomine domini. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
5 IN FESTO SANCTISSIMI PENTHECOSTES
ANNO DOMINI ·M^o·D^o·LVIII^o· DIE XXVIII. MAII.

Sub reverendissimo patre fr. Vincentio Iustiniano (1) sacrae theologiae
professore, magistro generali ordinis praedicatorum, in eodem capitulo
unanimiter electo, diffinitibus communiter reverendis provincialibus et
10 diffinitoribus videlicet :

- fr. Ioanne Baptista Clarino provinciali utriusque Lombardiae,
- fr. Angelo Bettino de Florentia (2) provinciali Romano,
- fr. Nicolao Michelotio (3) provinciali Regni,
- fr. Bartholomaeo de Vicentia (3) magistro provinciali Graeciae,
- 15 fr. Paulo Veneto provinciali Terrae sanctae,
- fr. Petro Martyre Coma (4) magistro provinciali Aragoniae,
- fr. Placido Spalaten. (5) magistro provinciali Dalmatiae,
- fr. Thoma Fazelo (3) magistro provinciali Trinacriae,
- fr. Martino de Mendoza magistro provinciali Bethicae,
- 20 fr. Antonino Portio magistro provinciali sancti Thomae,
- fr. Aurelio de Bisiniano magistro provinciali Calabriae.

Diffinitoribus :

- fr. Ioanne de Ludenia (6) magistro diffinitore Hispaniae,
- fr. Claudio Estiventi (7) magistro diffinitore Franciae,

(1) De fr. Vincentio Iustiniano cf. MOPH. IX, 345.

(2) De fr. Angelo Bettino cf. l. c. pag. 360.

(3) De fr. Nic. Michelotio, Bartholomaeo de Vicentia, Thoma Fazelo cf. l. c.
pag. 339.

(4) De fr. Petro Martyre Coma cf. l. c. pag. 333.

(5) De fr. Placido Spalaten. cf. l. c. pag. 356.

(6) De fr. Ioanne de Ludenia cf. l. c. pag. 330.

(7) De fr. Claudio Estiventi cf. l. c. pag. 355.

fr. Ioanne Baptista de Tabia diffinitore utriusque Lombardiae,
 fr. Angelo Diacceto (1) diffinitore Romano,
 fr. Alphonso de Neapoli (2) magistro diffinitore Regni,
 fr. Luca Leopoli. (3) baccalaureo diffinitore Poloniae,
 fr. Hieronymo Trivisano (4) Veneto diffinitore Graeciae,
 fr. Antonio Forliviensi diffinitore Terrae sanctae, 5
 fr. Martino de Aianzo (5) magistro diffinitore Aragoniae,
 fr. Cypriano Polono (6) diffinitore Boemiae,
 fr. Georgio Antiquario Pharen. (7) diffinitore Dalmatiae,
 fr. Hieronymo Fazelo (8) magistro diffinitore Trinacriae,
 fr. Antonio de Azevedo diffinitore Portugalliae, 10
 fr. Dionisio de Sanctis (9) magistro diffinitore Bethicae,
 fr. Godofrido de Mirlo (10) diffinitore Germaniae inferioris,
 fr. Iacobo de Luceria (7) magistro diffinitore sancti Thomae,
 fr. Augustino de Zagaresio (7) magistro diffinitore Calabriae.

Frater Vincentius Iustinianus totius ordinis praedicatorum 15
 generalis magister et servus
 universis eiusdem ordinis professoribus salutem.

Cogitanti mihi ac tanquam ob oculos meos interim subindeque po-
 nenti Dominicani nostri ordinis, cui equidem complures abhinc annos me
 totum addixi, cuiusve mihi regendi nuper habenas ultra merita viresque 20
 nostras communi vestro suffragio imposuistis, luridam ac funestam spe-
 ciem eo in statu videri solet, ut non absque ingenti negotio divinaque
 ac peculiari quadam vi et ope reparari queat. Cuius rei decursum totum
 nostrae, inquam, religionis initia, medium et extrema varium illud ac mul-
 tiforme regis Babylonii simulacrum peregrinie delineat. Erat illi caput 25
 aureum, pectus argenteum, femur aeneum, crura ferrea, pedes autem fer-
 rei ac fictiles. Nonne, amabo, patres sacerrimi, huius nostri ordinis caput
 aureum fuit? non fuit aureum? Imprimis pater noster Dominicus illius

(1) De fr. Angelo Diacceto (Iaceto) cf. MOPH. IX, 303.

(2) De fr. Alphonso de Neapoli cf. l. c. pag. 358.

(3) De fr. Luca Leopoli. cf. SSOP. II, 258.

(4) De fr. Hieronymo Trivisano cf. l. c. pag. 181.

(5) De fr. Martino de Aianzo cf. MOPH. IX, 331.

(6) De fr. Cypriano Polono cf. SSOP. II, 358.

(7) De fr. Georgio Antiquario Pharen., Iacobo de Luceria et Augustino de Za-
 garesio cf. MOPH. IX, 356.

(8) De fr. Hieronymo Fazelo cf. l. c. pag. 359.

(9) De fr. Dionysio de Sanctis cf. l. c. pag. 330.

(10) De fr. Godofrido de Mirlo cf. SSOP. II, 278.

autor, omnibus plane numeris absolutus, deinde illi proceres, illa totius
 orbis lumina non fuerunt aurea, cum omni et sapientiæ et sanctitatis
 genere fulgerent? nulla illis erugo inerat, labes nulla. Purum undique ac
 5 syncerum aurum, cum toto Deum corde diligenter et perinde ac se ipsi
 caeteros. Erat illis aurum optimum, non ferrugine infectum, non scis-
 sura fractum, non pondere mancum, non attonsum aut resectum giro.
 Erat illis aurum optimum, excoctum igne, probatum incude ac malleo,
 non streperum ictuque dissonum et molli suavique tinnitu permulcens
 aures. Erat aurum optimum ad lydium illum lapidem id est Christum,
 10 cui iugiter conformari studebant, spectatissimum. Erant siquidem vitæ
 inculpatae atque haericae, non frangebantur adversis nec intumescabant
 prosperis, in utraque fortuna constantes. Non retaliabant iniurias, non
 reddebat malum pro malo, amicos iuxta ac inimicos pari amoris nexu
 complectentes; sitiebant quoque martyrium, tantum abest, ut illud me-
 15 tuerent aut exhorrescerent. Impetebant haereticos, increpabant impios, ex-
 citabant pios, inhyabant sacris literis, quas nocturna versare manu, ver-
 sare diurna haud unquam cessabant. Tyrannorum ac perditorum homi-
 num contusi malleis, non quaerulas voces edebant, sed aequae ac mitis-
 simae oves miti quasi balatu pastorem implorabant. Unde factum est,
 20 ut brevi temporis curriculo innumera sanctissimorum ac doctissimorum
 virorum exinde multitudo eluxerit. Caput igitur aureum fuit.

At paulatim, quae est humanae imbecillitatis conditio, ab auro in
 argentum defluximus, refluxit porro charitas, et ut essent eloquio clari
 et nonnulli doctrina candidi, spiritus tamen exilis erat, et si observabant
 25 maiorum canones, usu potius quam amore servabant, aliud multo in
 recessu habentes quam in fronte prae se ferrent. Deinde ab argento in aes
 migratum. Noxia namque subdolaque hypocrisis verae bonitatis mentita
 faciem tyrannidem occupavit in multis, miserrima irrepsit ambitio, qua
 praeesse quam subesse mallent, corrigere quam corrigi, iubere quam iu-
 30 beri, et pro interno ac singulari cultu externis ac picturatis vacare cere-
 moniis, otio marcescere, tepiditate haerere. At quoniam ficta omnia ce-
 leriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse
 diuturnum, latens in pectore virus et sub ovina pelle lupus, celari diutius
 non potuit affectus ille malus, prodivit in medium et pestiferum caput
 35 excrevit; quando exultabant in rebus pessimis et gloriabantur, cum male
 agerent, circumveniebant quoque iustos ceu contrarios operibus eorum.

Quid multis moror? Ita factum est, ut ab aere in ferrum transie-
 rimus. Facti sunt enim complures crudeles ac ferrei, qui nec blanditiis
 emolliri nec minis inflecti possint. Est igitur haec aetas nostra ferrea,
 40 si acutius perspiciamus. Quid quod etiam et in caenum descendimus?
 Atque ita sunt pedes statuæ id est religionis nostrae status ultimus in

plerisque terrae addictus, qui caelestium immemores terrena duntaxat venantur, terrenam gloriam, terrenum fastum, terrenum honorem, terrenas delicias, denique terrenum thesaurum. Et propterea est aetas haec nostra ferrea simul ac terrea. O deplorandam calamitatem, o casum miserabilem, o religionem dominicanam tanto fervore erectam, tanto studio auctam, tanto sanctissimarum virtutum censu locupletatam! Quo te reductam conspicimus? Quo tempestatis prolapsam? Quis dabit capiti nostro, patres, aquas et oculis nostris fontem lacrymarum, ut triste ac lugubre funus pro merito ac dignitate defleamus? O flebilis et lacrymosa mutatio! Commutatum est aurum in argentum, argentum in aes, aes in ferrum, ferrum in lutum et coenum, ita ut pristinae illius religionis ne vestigium quidem relictum videatur.

At abstinendum est verbis, ubi opus est facto, nec lachrymae prosunt, ubi hostes immanissimi sunt. Adeste potius animo, favete ore, succurrite manu; succurrat vobis tantisper, quo pacto eversa fuerit illius tyranni statua. Lapis absque manu excisus e monte repente in illam impactus percussit, repulit, stravit et in cinerem favillamque redegit. Arripiamus itaque et nos, patres, lapidem, arripiamus lapidem, lapidem inquam illum angularem, qui fecit utraque unum, lapidem praeciosum, electum, lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, non humano concretum semine, at divina virtute formatum ac de summorum patrum sumptum fastigio, ita in illum id est Christum abeamus, ut pro se quisque lapis fiat aeternae structurae idoneus, et in statuam pro se quisque irruat atque irrumpat, ut monstrum illud immane, ingens atteratur.

Vos maiores minores instruite, vos minores obtemperate maioribus, vos antistites invitate subditos, vos subditi aemulamini antistites, vos bonarum artium studiosi ita scientiam capessite, ut charitatem anteponatis, non ignari, quod iuxta Paulinum dogma scientia inflat, charitas vero aedificat. Vos divini verbi praecones mementote semper, quod cepit facere, mox docere, magis enim urgent exempla quam verba, quoniam docere facile est, praestare autem difficile. Iacite vos o tyrunculi futurae probitatis fundamenta. Vos iuniores proficite in dies, pugnantes cum antiquo serpente, vos enim manet gloriosus triumphus. Vos demum veterani ac emeriti milites culmen, quod ascendistis, tenete mordicus pariterque ad altiora tendatis. Huic demum omnes incumbite, huc animos nervosque intendite, huc iugiter anhelate. Id enim si praestiteritis, auferetur coenum, dissipabitur ferrum, liquescet aes, conflabitur argentum, residuebit dumtaxat aurum. Atque ita succedet ambitioni modestia, cupiditati largitas, ac terrenorum despectus, faeditati honestas, incuriae sedulitas, ac solertia torpori, ac tepiditati fervor et priscus ille agendi deque obsequendi status, aureumque illud caput reponetur.

Accipite interim decreta nostra doctissimorum ac probatissimorum patrum excussa iudicio. Quae ut facillima observata sunt, ita etiam quam commodissima, quibus alacriter pro vestra benignitate colla subiicite.

Bene valete et Deum pro nobis orate.

5 In nomine domini nostri Iesu Christi et beatae Mariae semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta, quae in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo authore, proponuntur.

Inchoationes.

10 Inchoamus hanc in capitulo .xii. primae distinctionis de silentio, ut deletis verbis illis: omnes fratres ubique intus et extra silentium teneant in mensa, usque ad illud: si quis autem hoc silentium fregerit, exclusive, legantur sic: omnes fratres in refectorio vel ubicunque totum conventum vel maiorem eius partem simul comedere contigerit quomodolibet, semper silentium teneant in mensa, nec ibidem loquantur nisi
15 de necessariis ad mensam et unica oratione breviter et submisse, excepto praelato sive eo, quem mensae praesesse contigerit, qui de necessariis pro servitio mensae vel pro admonendis fratribus loqui possit. Alibi autem, de licentia praelati loqui poterunt etc. Deinde sequatur: siquis autem etc.

20 Confirmationes.

Confirmamus hanc, ut in capitulo .iii. dist. .ii. de electione prioris provincialis, ubi dicitur de electione provincialis fienda extra capitulum, quod tantum spectet ad priores conventuales et ad praedicatores generales et duos fratres de quolibet conventu, dicatur: et ad unum fratrem
25 de quolibet conventu, et ubi sequitur: et hoc idem pro qualibet electione prioris provincialis noviter electos, dicatur: noviter electum, et addatur: nisi confirmator praesens fuerit vel in tam parva distantia, quod ante dissolutionem prioris congregationis potuerit de cassatione electionis prius factae, si eam cassari contingat, nuncium pervenire. Tunc enim et se-
30 cunda et tertia, si opus fuerit, electio ad eosdem pertinebit; et infra ubi dicitur: unus aut de illis duobus electoribus illo anno in socium prioris conventualis eligatur, notetur conformiter ad supradicta, ut dicat: et ille electus supradictus sit illo anno socius prioris etc. Et haec habet tria capitula.

35 Item confirmamus hanc, ut in capitulo .iiii. de electione magistri ordinis ubi dicitur: si autem in aliqua provincia provinciale capitulum fuerit celebratum et in proximo festo penthecostes electio magistri fuerit facienda, diffinitor capituli generalis in anno diffinitorum et socius eius sint illo anno magistri ordinis electores, subiungatur: in anno autem
40 provincialium, vel quando ex alia quacumque causa diffinitor et socius vel electores praedicti non fuerint electi, neque suppetat tempus vel fa-

cultas, ut eligantur, propter quodcumque iudicio discretorum legitimum impedimentum, tunc duo de diffinitoribus praecedentis capituli provincialis etc. Et haec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc, in capitulo .viii. de capitulo generali, ubi dicitur: priores quoque provinciales absoluti loca in provinciis, in quibus praefuerunt, super omnes alios habebunt, addatur: et similiter vocem in omnibus electionibus provincialium et diffinitorum et electorum magistri ordinis. Et haec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc in eodem capitulo, ubi dicitur: priori vero provinciali eunti ad capitulum generale detur socius a diffinitoribus capituli provincialis, addatur: qui, si priorem provincialem impediri contigerit, quod ad capitulum generale in anno provincialium non accedat, loco ipsius cum prioribus provincialibus admittatur ad omnia tractanda et diffinienda. Et haec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc, quod in capitulo .xviii. primae distinctionis de gravissima culpa, ubi dicitur: gravissima culpa est incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere et poenas recusat ferre, addatur: vel ex earum saepius repetita inflictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere; et infra ubi dicitur: si magis expediens iudicatur, addatur: per magistrum ordinis vel capitulum provinciale, et post verbum: expellatur, addatur: quod tamen mature fiat et ita, ut appareant gesta cum toto processu et sententia in scriptis et cum debitis subscriptionibus et sigillis. Et hoc si talis sani capitis et integri sensus usque ad illam horam extitisse cognoscitur. Deinde sequatur, quod habetur in fine capituli scilicet: nullus autem cum habitu ordinis etc. Demum quod supra dicitur: si autem aliqui sunt etc. usque ad verbum: puniatur, inclusive inseratur et hoc pacto capitulum illud compleatur, reliqua vero omnia demantur. Et haec habet duo capitula.

Item confirmamus hanc, quod in secunda distinctione capitulo .viii. de capitulo generali, ubi dicitur: altera vice citra montes alternatim, addatur: de triennio in triennium; et quando sequitur: nisi magistro et diffinitoribus ex causa legitima quandoque aliud videatur, dicatur: nisi magistro cum diffinitoribus vel cum discretorum maturo consilio ex legitima et urgentissima causa illud alibi assignare aut assignatum transferre vel per annum praevenire aut etiam prorogare necessarium videatur, et nisi obitus magistri generalis acciderit. Quo eveniente fiat, sicut capitulo .iiii. de electione magistri ordinis est decretum; et ubi sequitur: praedicti autem viginti quatuor provinciarum diffinitores duobus annis, et vigintiquatuor priores provinciales in .iii. anno, dicatur: praedicti autem triginta unius provinciarum diffinitores in duobus capitulis, triginta et unus provinciales in tertio capitulo etc. Et capitulum .vii. de

biennali vel triennali totum utpote superfluum deleatur. Et haec habet duo capitula.

Item confirmamus declarationem in praecedenti capitulo factam videlicet, quod conventus, qui nunquam habuerunt numerum saltem senarium fratrum vocalium, pro non conventibus haberi debeant, et ab eis subtrahendum titulum prioratus, quem ex vi praesentis statuti subtrahimus, si tamen potest fieri sine scandalo. Qui autem aliquando numerum integrum habuerunt, et modo ad hoc redacti sunt, quod quatuor fratres vocales cum priore non habent, permittantur interim gaudere titulo prioratus, socium vero pro electione provincialis vel pro capitulo provinciali nequaquam eligant; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item confirmamus aliam declarationem in eodem capitulo auctoritate apostolica factam pro illis provinciis, in quibus postulationes sunt in usu ex verbis privilegii dicentis: poterit prior provincialis confirmare unum, quem fratres petierint per suas literas, ly per suas literas ita esse intelligendum, quod in scrutinio electionis postulationes ipsae semper ponantur in capitulo ante sui dissolutionem, ita quod recedentibus scrutatoribus a banco nihil possit addi vel minui; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane. Si autem contingat scrutinium ipsum debere transcribi, postquam transcriptum fuerit, scrutatores ipsum coram vocalibus iterum legant et in oculis eorum sigillo claudant.

Item confirmamus aliam eiusdem capituli declarationem videlicet: diffinitores capituli provincialis, prout habetur in constitutionibus, in die praecedenti assignationem capituli, et omnes simul, non autem sigillatim esse eligendos, nisi per nationes eligantur. Provincialem vero postea in ipso capitulo eligi debere, ipsos autem diffinitores statim post suam electionem habere locum super omnes fratres, inter se autem secundum ordinem suorum graduum vel conventuum aut nationum dignitatem.

Item confirmamus determinationem conventuum et universitatum studii iam per duo capitula praecedentia approbatam, extra quas universitates nolumus aliquem fratrem nostri ordinis cursum facere seu graduari posse; et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane. Confirmantes etiam determinationem conventus Iadrensis in provincia Dalmatiae, in quo baccalaurei eiusdem provinciae possint legere sententias per quatuor annos, prout in praecedenti capitulo statutum fuit, et ad dentes conventum Caesaraugustae in provincia Aragoniae et conventum civitatis regum in provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru et conventum Avenionensem in congregatione Franciae.

Item confirmamus ordinationem factam in duobus praecedentibus capitulis, quod novitii in minoribus conventibus recepti non retineantur

soli aut bini in eisdem conventibus, sed ad maiores mittantur, ubi saltem in numero senario sub bono magistro educari possint, a cuius cura iuniores ante quadriennium non removeantur. Quae ordinatio, cum habeat tria capitula et admodum necessaria sit, praecipimus, ut inviolabiliter observetur ab omnibus praelatis, admonentes eosdem, ut non sint 5
 difficiles recipere ad habitum eos, qui petunt recipi et idonei iudicantur. Super quo eorum conscientias pro conservatione ordinis, qui continue decrescit, oneramus.

Item confirmamus ordinationem factam in duobus praecedentibus capitulis contra abusum vendentium aut testantium cameras, inhibentes 10
 etiam expresse, ne aliquis frater in mortis articulo de re aliqua sibi ad usum concessa disponere praesumat, cum hoc manifestam prae se ferat proprietatem, sed omnia iuxta formam nostrarum constitutionum distribuenda relinquunt, irritum et inane decernentes, si quid secus ab aliquo attentari contigerit. Et licentiae datae in contrarium non intelligantur in 15
 casu mortis, quinimo omnes et quascunque licentias etiam a reverendissimis generalibus quomodolibet concessas et traditas sub quovis praetextu vel titulo testandi, retinendi aut dispensandi pecunias, quatenus ad hunc sensum in casu mortis testandi trahi aut intelligi possent, revocamus, cassamus et annullamus atque cassatas, revocatas et nullas esse decernimus. 20

Item confirmamus ordinationes infrascriptas factas in praecedenti capitulo, ut conformiter ad constitutiones nostras in omni conventu, ubi sunt iuvenes, sit aliquis lector, qui eos doceat grammaticam vel artes iuxta eorum capacitatem. Qui lectores ita tractentur, ut eidem officio incumbere possint. Sint etiam in conventibus lectores casuum conscientiae, et assidue de ipsis collationes fiant. Advertant etiam diligentissime iuxta ordinationes tot capitulorum generalium lectores et fratres, ne a solida sancti Thomae doctrina recedant, novitatem sectantes. Qui vero contra praefati doctoris doctrinam verbo vel scripto temere aliquid dixerit, ab officio lectoratus depositus sit ipso facto eoque perpetuo sit pri- 25
 vatus, super quo provinciales diligentissime invigilent. 30

Quod nullus promoveatur ad baccalaureatus gradum, nisi saltem per quatuor annos legerit in artibus, et nullus item ad magisterium promoveatur, nisi prius realiter legerit sententias per quatuor annos in aliqua ex universitatibus designatis, et inde in capitulo generali vel saltem 35
 provinciali compareat ac publice in ecclesia conclusiones theologicas defendat; quod si oppositum factum fuerit, pro non magistro in nostro ordine habeatur, exceptis tamen studiis Parisiensi et Lovaniensi, in quibus promovendi consueta exercitia ab universitate statuta servabunt.

Quod nullus per quemcumque praelatum aut praesidentem nostri 40
 ordinis promoveatur ad sacerdotium ante completum vigesimum quartum

suae aetatis annum; auctoritatem vero in huiusmodi dispensandi soli magistro ordinis reservamus et nulli alii.

Quod nullus prior provincialis aut conventualis nullusve praesidens sub poena gravioris culpae recipiat fratres fugitivos aut vagabundos alterius provinciae sine licentia provincialis illorum, nisi in quantum charitas religiosae hospitalitatis exigit, quosque si deliquerint, capi faciant et vinctos ad ipsorum provincias earundem provinciarum sumptibus mitant. Addentes et mandantes omnibus fratribus nostri ordinis sub poena gravioris culpae, ne quis extra terminos suae provinciae aut conventus praedicet in nostris vel alienis ecclesiis aut quaestum faciat nisi de licentia magistri ordinis aut reverendi provincialis aut prioris, in quorum terminis praedicare aut quaesturare contigerit.

Quod fratres per literas apostolicas exempti ab ordine non recipiantur, nisi eo modo quo in actis praecedentis capituli statutum fuit, et quod qui per quatuor annos extra ordinem quovis modo steterunt, non recipiantur nisi de speciali licentia magistri ordinis. Addentes, quod huiusmodi ad ordinem revertentes, etiam si non ut apostatae, sed ut legitime dispensati reciperentur, non possint ante decem annos a sua receptione promoveri ad ullam ordinis dignitatem.

Quod auctoritas dispensandi fratres, ut maneat extra claustrum, tantum penes reverendissimum magistrum ordinis resideat, irritantes quascumque licentias super hoc a provincialibus seu vicariis hactenus concessas, inhibentes illis expresse, ne ab huiusmodi extra ordinem manentibus aliquid pro recognitione, ut aliquando per abusum factum est exigere vel recipere possint.

Quod numerus patrum a consilio in nullo conventu, excepto Parisiensi ob multitudinem graduatorum, duodenariorum numerum excedat, et quod patres conventus ante aetatem 40 annorum nullatenus admittantur, his exceptis, qui patres de iure sunt ut supprior et principales lectores et qui prioratum in eodem conventu egerunt; declarantes, quod post priorem magistri primo loco debent computari in praefato numero duodenario et subinde supprior et baccalaureus ordinarius tantum, et sic successive cacteri, prout iuris ratio postulat.

Quod nullus frater nostri ordinis ratione paternitatis aut alterius gradus exemptionem praetendere possit a sequela chori, ebdomadaria aut aliis gravaminibus ordinis, lectoribus, praedicatoribus ac magistris in theologia actu legentibus aut praedicantibus duntaxat exceptis, circa quos consuetudines, non autem abusus provinciarum serventur, sed omnes alii sint contenti dispensationibus suorum superiorum, quos tamen in domino hortamur ac monemus, ut et aetatis et indigentiae filiorum suorum iuxta qualitatem personarum rationem habeant.

Quod provinciales aut vicarii non possint vicarios pro electione prioris facienda mittere ad conventus, nisi in casu magnae dissensionis electorum, sive cum in veritate conventus adeo sit destitutus hominibus, quod nullus sit in eo, qui electionem dirigere sciat. Et nihilominus qui sic missus fuerit, careat voce passiva in eadem electione; quod si secus 5 factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Quod translationes filiationum de uno conventu ad alium non possint nisi de consensu maioris partis filiorum utriusque conventus respective in conventu praesentium fieri et de consensu reverendi provincialis, exceptis provinciis desolatis. 10

Quod reverendi provinciales provinciarum, in quibus non viget arcta regularis observantia, ad petitionem fratrum arcte regularem vitam servare volentium, vel iubente reverendissimo magistro ordinis teneantur sine difficultate assignare unum vel plures conventus, in quibus in veritate secundum rigorem constitutionum vivere possint, et si in hoc pro- 15 vinciales aut vicarii se difficiles praestiterint aut facere negaverint, recurrant dicti fratres ad reverendissimum magistrum ordinis, qui eis providebit, ne spiritum Dei contingat extinguere, proviso tamen, quod in huiusmodi nec vendantur vel alienentur nec refutentur possessiones conventuum nec aliqua singularitas in habitus forma vel qualitate inferatur, 20 et conventus sub cura et iurisdictione provincialis remaneant.

Confirmamus determinationem factam circa ordinem provinciarum, hoc addito, quod restituimus provinciae Dalmatiae locum sibi in praecedenti capitulo praereptum a provincia Trinacriae, et recensem provinciam Hiberniae anno 1536 a Paulo papa III. separatam et erectam et 25 a magistro ordinis acceptatam, damusque ei locum inter ceteras. Quorum ordo talis est videlicet:

Provincia Hispaniae,	Provincia Tholosana,	
Provincia Franciae,	Provincia utriusque Lombardiae,	
Provincia Romana,	Provincia Regni,	30
Provincia Ungariae,	Provincia Theutoniae,	
Provincia Angliae,	Provincia Poloniae,	
Provincia Daciae,	Provincia Graeciae,	
Provincia Terrae sanctae,	Provincia Aragoniae,	
Provincia Bohemiae,	Provincia Provinciae,	35
Provincia Saxoniae,	Provincia Dalmatiae,	
Provincia Trinacriae,	Provincia Portugalliae,	
Provincia Scotiae,	Provincia Bethicae,	
Provincia Germaniae inferioris,	Provincia sancti Thomae,	
Provincia Calabriae,	Provincia sanctae Crucis Indiarum,	40
Provincia Hiberniae,	Provincia sancti Iacobi de Mexico,	
Prov. sancti Ioannis Bapt. del Peru,	Prov. sancti Vincentii de Chiappa,	
Provincia sancti Antonini de novo regno.		

Confirmamus in provincia Lombardiae sententiam ultimo latam et alteri praecedenti conformem in causa controversiae inter conventum Bergomensem et conventum Baselle, quae etiam transivit in rem iudicatam, in qua decretum fuit, quod non obstante sententia pro unione eorundem
5 lata per reverendissimum bonae memoriae fr. Franciscum Romeum (1) magistrum ordinis conventus Basellae sit et esse debeat separatus conventus a conventu Bergomen. Mandantes omnibus et singulis fratribus nostri ordinis sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua contrafacientes absolvi non possint nisi a magistro ordinis vel eius vicario, ne
10 quis directe vel indirecte, quovis quaesito colore, per se vel per alium quicumque de caetero innovet vel attentet tam super principali quam etiam super dicta causa et lite atque expensis ex utraque parte factis, litem quoque concernentibus et connexis. Imponentes eis super huiusmodi causa et lite perpetuum silentium, ac huiusmodi separationem ap-
15 probantes ac separatos conventus esse et permanere volentes et ordinantes; et si secus factum fuerit, totum irritum et inane decernentes.

Confirmamus in provincia Romana reformationem conventus sanctae Mariae Novellae de Florentia a bonae memoriae fr. Stephano Ususmaris (2) magistro generali factam iuxta literas ipsius patentes ac earum
20 tenorem, hoc addito, quod si aliqui ex eiusdem conventus filii, voluerint reformate vivere, adeant reverendum provinciale Romanum, qui teneatur illis providere de conventu intra terminos suae provinciae, prout iudicaverit expedire.

Confirmamus et innovamus in provincia Franciae sententiam latam
25 et in capitulo Salmantino confirmatam pro conventu Pruvinen. contra conventum Trecensem, et quod nullus frater nostri ordinis audeat praedicare ultra fluvium Matronae a Parisiis absque licentia prioris Pruviniensis sub poenis in eisdem sententiis contentis.

Confirmamus pro provincia Germaniae inferioris ordinationem in
30 praecedenti capitulo factam, quod in studio Lovanien. nullus frater nostri ordinis extra conventum causa dicti studii manere possit, sed quos conventus ipse, facta etiam solutione alicuius taxae, non capit, a dicto studio ad suas provincias remittantur. Addentes, quod nulla concedatur licentia, qua se ab observantia reverendi provincialis subtrahere possint,
35 sed in omnibus obtemperent illi et priori illius conventus sicut caeteri provinciae studentes, necnon ad onera studii, cum illis obligentur, quod si detrectaverint, ad suas provincias remittantur.

Confirmamus separationem nationis Marchiae a vicaria sancti Dominici et erectionem eius in congregationem.

(1) De fr. Francisco Romaeo cf. MOPH. IX, 351.

(2) De fr. Stephano Ususmaris cf. l. c. pag. 344.

Postremo confirmamus omnes alias declarationes et ordinationes an-
 tediti praecedentis capituli et breviarii atque missalis correctionem, prout
 ibidem expressum est.

Denuntiationes.

Denuntiamus omnibus ordinis nostri fratribus reverendissimum ma-
 gistrum fr. Vincentium Iustinianum (1) in hoc capitulo unanimi omnium
 assensu in generalem magistrum totius ordinis nostri ac nostrae familiae
 electum fuisse, eundemque summo pontifici sanctissimo domino nostro
 Paulo papae III. oblatum, ab eodem hilari vultu agnitum et accepta-
 tum fuisse. 10

Denuntiamus insuper animi eiusdem reverendissimi esse, ut uni-
 versa quotquot extant acta capitulorum generalium in unum colligat ac
 impressioni mandet, et proinde mandamus cunctis reverendis provincia-
 libus ac praesidentibus conventuum, ut diligenter inquirant, an apud
 illos aliqua maneant praesertim ab anno 1309 usque ad 1506, et sim- 15
 plicem copiam illorum ad ipsum mittant.

Denuntiamus in nostro diffinitorio fuisse conclusum et decretum,
 quod reverendi provinciales cum suo diffinitorio vel cum quatuor patribus
 provinciae aut qui fuerunt aliquando diffinitores provincialis capituli, deli-
 ctis maioribus et facinorosis hominibus possint adhibere poenas extraor- 20
 dinarias etiam triremnium in delictis gravioribus apud seculares notis.

Declarationes.

Declaramus, quod in capitulo secundo distinctionis primae, ubi di-
 citur: quando nomen Iesu in choro, adiungi et intelligi debeat sic in
 choro et extra chorum ubique in communibus lectionibus nominatur et 25
 in cantico Te Deum laudamus ad clausulam illam « quos pretioso san-
 guine » eidem fratres reverentiam faciant, capite devotius inclinato.

Item declaramus, fratres exeuntes a conventu sine licentia vel cum
 socio non sibi a praelato deputato debere puniri eadem poena, qua pu-
 niuntur in constitutionibus hi, qui ultra terminum sibi assignatum mo- 30
 ram fecerint vel sine licentia reverti praesumpserint, prout exprimitur in
 capitulo de gravi culpa.

Item declaramus, quod in capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: au-
 rum, argentum, pecuniam et munera, excepto victu et necessariis indumen-
 tis et libris, nec accipient nec portabunt, addi et subintelligi debeat: sine 35
 licentia suorum praelatorum, ut sit conforme capitulo de gravi culpa.

Item cum in capitulo .viii. distinctionis secundae baccalaureis, qui
 legitime incorporati in universitate sententias solemniter legerint aut le-
 gunt, post suppriorem ubique in toto ordine locus detur, declaramus eos

(1) De fr. Vincentio Iustiniano cf. supra pag. 1.

baccalaureos seu praesentatos, qui legitime incorporati non sunt in universitate et sententias non legerunt solemniter aut non legunt, non habere locum praedictum.

Item ad petitionem provinciae Franciae declaramus, priores provinciales non solum in actuali visitatione conventuum aut monasteriorum, sed etiam extra visitationem semper habere super eisdem ordinariam auctoritatem, et in eorum praesentia non posse priores conventuales ac priorissas locum superiorem tenere, signum in choro vel alibi et alia huiusmodi, quae superioritatem important, facere vel exercere.

Pro provincia Aragoniae ad petitionem eiusdem provinciae declaramus, quod baccalaurei non promoveantur ad magisterium, nisi per quatuor annos artes et alios quatuor sententias legerint in studio vel Barchinonensi vel Valentino vel Caesaraugustano.

Declaramus in congregationibus Franciae et Ragusina revocatam esse, prout et auctoritate sanctissimi domini nostri Pauli papae III. revocamus facultatem, quam habent vel habere se dicunt, quod earum vicarii generales electi intelligantur etiam et sint confirmati. Volumusque, quod eorundem confirmationem expectent a reverendissimo magistro ordinis vel eius auctoritatem habente, antequam vicarius electus fungatur officio suo. Oppositum autem facientes pro non vicariis habeantur.

Admonemus reverendos provinciales et omnes praelatos, ne permittant sibi subditos fratres praedicare bullas et cogant eos, si eas praedicaverint, ferre poenas in constitutionibus capitulo de praedicatoribus expressas, et praeter hoc applicent omnia, quae ex huiusmodi praedicationibus acquisierint, communitati conventus, in quo sunt assignati, cui nos eas ex nunc applicamus et applicatas decernimus.

Item admonemus eosdem, ne permittant fratres deferre tunicas apertas, quodque cogant fratres, qui pro obtinendis assignationibus aut officiis recurrunt ad personas extra obedientiam ordinis constitutas ad ferendum persolvendumque poenas excommunicationis et alias contra hos positas in constitutionibus capitulo de itinerantibus.

Item admonemus omnes praesidentes conventuum, qui habent praedicatores, ut faciant eos praedicare in ecclesia diebus festis totius anni, ut paulatim assuefiat populus ad divina et instruatur ac doceatur, quae sunt christianae religionis.

Item admonemus reverendos provinciales ac praesidentes provinciarum, ne licentient fratres a suis provinciis vel emittant cum habitu ordinis, sed eos, si deliquerint, in sua provincia puniant, et petentibus exire a provincia non facile licentiam concedant nisi causa studii.

Item admonemus omnes fratres, ne facile discurrant aut vagentur maxime soli, sed euntes extra terminos suorum conventuum semper de-

ferant literas testimoniales ; alioquin non recipiantur in conventibus nisi in necessitate per unam diem seu unum et primum hospitium.

Item admonemus, ut servetur antiqua ordinatio, quae iam est constitutio, cum habeat et declarata sit habere tria capitula, et est, quod subscriptiones communium literarum non fiant privatim, sed a simul 5 adunatis subscriptoribus et videntibus seu legi audientibus omnia contenta in literis, quas subscribunt, alias sint irritae et nullius roboris.

Admonemus omnes fratres nostros et eis omnibus ac singulis sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua non possint absolvi nisi a suis provincialibus, praecipimus, ne ad quodcunque tribunal aut iudicem extra ordinem recurrant contra fratres nostri ordinis, declarantes nunc pro tunc eos, qui recurrunt et dantes eis in his consilium aut patrocinium, incurrisse poenas tam positivas quam privativas contra excommunicatos in constitutionibus appositas.

Admonemus omnes reverendos provinciales vel diffinitores, ut acta 15 huius capituli legi et publicari faciant, cum primum pervenerint in suas provincias, in singulis conventibus, et quod in mensa saltem semel qualibet ebdomada legi faciant de constitutionibus.

Item admonemus eosdem et praesertim, qui ultra montes procedunt, et ex parte sanctissimi domini nostri papae illis praecipimus, ut 20 deferant ad provincias suas bullam Coenae domini eamque legi, publicari et declarari faciant in conventibus suarum provinciarum.

Item admonemus omnes praesidentes conventuum provinciae utriusque Lombardiae, ne permittant praedicatores suorum conventuum uti dispensationibus, nisi dum actu praedicant, et tunc iuxta discretionem 25 praesidentium ; quod si praedicatores non acquieverint, in capitulo proximo provinciali debentur e cathalogo seu lista praedicatorum.

Ordinationes.

Ad tollenda subterfugia eorum, qui cupientes se ab ordinis disciplina subducere praetextu, quod vi vel metu professionem fecerunt, asserunt se non teneri ad religionem, ordinamus, quod instante professione cuiuscunque novitii aliquot ante diebus prior coram tribus ad minus patribus vocet novitium ac iuridice, si opus fuerit, protestetur eidem, quod liber est et libere dicat, an timore, coactione aut violentia parentum aut consanguineorum ingressus est ordinem, et in eo voluntarie perseverat 35 et vult profiteri. Et de his omnibus et eius confessione fiat annotatio vel in libro consiliorum vel alio ad haec ordinato, cui annotationi tam novitius quam dicti patres subscribant.

Item ordinamus, quod in vicariis sancti Dominici, sancti Petri Martyris, Romana, Marchiae et Aprutina nullus de caetero recipiatur ad habitum aut ad professionem absque expressa toties quoties in scriptis ha- 40

bita licentia magistri ordinis, et quod si quis absque praedicta licentia receptus vel professus fuerit, pro non recepto et non professore habeatur. Specialiter vero in vicaria Romana ad instantiam reverendi eius vicarii mandamus eidem vicario in virtute sanctae obedientiae, ut intra quindecim dies ab hodie eiecisse debeat omnes novitios iam receptos, qui annu-
5 duodecimum nondum attigerunt.

Item ordinamus, quod qui de caetero abiuraverint tanquam de haeresi vehementer suspecti, non possint a quocunque etiam magistro generali restitui aut promoveri ad aliquod officium aut dignitatem toto
10 tempore vitae eorum, sed permittantur in humilitate deflere peccatum suum, irritum decernentes, quicquid in oppositum factum fuerit.

Item renovantes ordinationem saepissime factam ordinamus mandantes sub poena privationis vocis activae et passivae per quinquennium, quod nullus absque licentia magistri vel procuratoris ordinis aut sui provincialis in scriptis habita veniat ad Urbem, exceptis iis, quibus propter
15 conventus suarum provinciarum, ad quos vadunt, necesse est inde transire vel illo accedere.

Ordinantes quoque mandamus omnibus et singulis conventuum praesidentibus, ut intra sex menses ab horum notitia qui non habent, construxisse et aedificari fecisse, qui vero habent, restituere et bene aptasse
20 debeant in suo ipsorum conventu carcerem cum sera, pessulo et clave firmis et fortibus; priores vero, qui id intra dictum tempus realiter et cum effectu non praestiterint, in capitulo provinciali careant voce activa et nullomodo admittantur ad illam.

Ordinamus ex sententia sanctissimi domini nostri papae Pauli III. declarantes, quod nullus sit aut intelligi debeat electus in priorem tam provincialem quam conventualem nec in vicarium nec in diffinitorem
25 aut socium, qui solum ex vi renuntiationis seu cessionis proprii suffragii seu voti excessit medietatem eligentium in quacunque electione.

Ordinamus, quod de caetero in studio Parisiensi ex quatuor regentibus principalibus studii actu legentibus semper saltem unus sit de provincia Franciae.
30

Ut electiones sint liberae in provincia Portugalliae ordinamus, quod in electionibus possint uti quarto praeter tres ordinarios modo, scilicet
35 per compromissum limitatum sive per schedulas, eo modo qui in capitulo Salmantino concessus et declaratus fuit. Praecipientes in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae omnibus et singulis fratribus eiusdem provinciae, ne de aut pro electionibus quicquam agant apud personas extra obedientiam nostri ordinis constitutas
40 per se vel per alium, directe vel indirecte quomodolibet.

Ordinamus etiam pro eadem, quod in studiis generalibus eiusdem

provinciae ultra lectiones duas s. Thomae habeantur etiam lectiones artium.

Acceptationes.

Acceptamus in provincia Aragoniae domum sanctae Annae de Albayda et erigimus illam in conventum, dantes ei titulum prioratus, dum tamen 5 habeat sufficientem numerum fratrum secundum constitutiones.

Acceptamus in provincia Calabriae locum Fileni et erigimus illum in conventum, dantes ei titulum prioratus, dummodo sint ibi sex ad minus fratres vocales.

Acceptamus reverendissimum dominum Stephanum Paris (1) episcopum 10 Abellonen. ex ordine nostro assumptum et de eo benemeritum ad beneficia et suffragia ordinis.

Acceptamus conventum nostrum Parisien. et auctoritate sanctissimi domini nostri Pauli papae III. subiicimus illum immediate curae et dispositioni reverendissimi magistri ordinis pleno iure in omnibus et per 15 omnia committimusque illi, ut regio favore et auxilio restituat illum ad optimam formam tam in studiis quam regulari disciplina, in quibus defecisse videtur, ac proinde ex toto subtrahimus illum a cura et regimine reverendi vicarii congregationis Gallicanae, cui ex parte et nomine eiusdem sanctissimi domini nostri in virtute sanctae obedientiae et sub poena 20 absolutionis ab officio et excommunicationis latae sententiae praecipimus, ne de caetero se intromittat de illo conventu quantum ad dispositionem eius in temporalibus aut spiritualibus, neve super et in eo ullam exerceat iurisdictionem.

Acceptamus in provincia Hispaniae ad petitionem serenissimi et catholici 25 regis Hispaniarum Philippi monasterium convertitarum sancti Philippi apud Vallisoletum ipsumque incorporamus eidem provinciae eo modo et cum eisdem privilegiis, quibus gaudent caetera monasteria eidem provinciae incorporata.

Restitutiones.

Restituimus conventum s. Citae curae et iurisdictioni reverendissimi provincialis Trinacriae ita tamen, quod circa assignationes et remotiones fratrum extra capitulum provinciale observetur, quod reverendissimus 30 magister ordinis ordinaverit.

Restituimus ad gratias et beneficia ordinis: In provincia Trinacriae 35 fr. Simonem de Mellita et fr. Vincentium Ballero.

In provincia Bethicae fr. Ludovicum de la Chica et fr. Ludovicum de Figueroa Bicensensem.

In provincia Germaniae inferioris fr. Germanum Gariactz.

(1) De fr. Stephano Paris cf. MOPH. IX, 334.

In provincia Calabriae fr. Marcum de Rosarno, fr. Lucam de Bisiniano et fr. Augustinum de Consentia.

Translationes.

Transferimus in provincia Hispaniae fr. Alvarum Petro ex provincia Portugalliae ad provinciam Hispaniae et conventum s. Dominici de Ponte Vedra et fr. Antonium de la Magdalena a conventu s. Mariae de Montebeltramo ad conventum s. Pauli Burgen.

In provincia utriusque Lombardiae fr. Augustinum de Viglevano a conventu s. Iacobi de Valentia ad conventum s. Petri Martyris de Viglevano, et fr. Marcum de Venetiis a conventu Tarvisino vicariae sancti Dominici ad conventum s. Dominici de Bononia.

In provincia Aragoniae fr. Ioannem Guarniça a conventu Victoriae provinciae Hispaniae ad conventum Stellae et fr. Petrum Gelavert a conventu Bitteren. provinciae Provinciae ad conventum Gerunden.

In provincia Bethicae fr. Hieronymum Claviso a conventu Palmen. ad conventum Giennen., fr. Ioannem Baptistam ex provincia Hispaniae ad conventum Murcien., fr. Eduardum de Irlanda ex provincia Angliae ad conventum s. Dominici de sancto Lucar, fr. Ludovicum de la Chica ex conventu Giennen. ad conventum s. Andreae Ubeten.

In provincia Dalmatiae fr. Petrum Obradeum a loco Torcule ad conventum s. Marci de Pharo.

In provincia Calabriae fr. Augustinum de Zagaresio (1) magistrum a suo originali conventu ad conventum Zagaresii, fr. Angelum de Bisiniano a conventu alti Montis, fr. Salvatorem de Bisiniano a loco Fileni ad conventum Bisiniani, fr. Gregorium de Monte alto a suo originali conventu ad conventum Montis alti, fr. Stephanum de Serris a conventu Consentino ad conventum Serrarum, fr. Hieronymum de s. Severina a suo conventu ad conventum s. Severinae, fr. Hieronymum de Zagaresio de conventu Bellicastri ad conventum Zagaresii.

In vicaria s. Petri Martyris fr. Hieronymum de Ast a conventu Murianen. provinciae Lombardiae ad conventum s. Mariae Magdalenae de Ast, fr. Hieronymum de Modoetia a conventu Tifernaten. vicariae Romanae ad conventum sancti Petri Martyris de Modoetia, et fr. Leonardum Lapinum ac fr. Petrum Franciscum a conventu sanctae Mariae Novellae de Florentia ad conventum sancti Petri Martyris de Novaria.

Concessiones.

Concedimus ad petitionem provinciae Franciae, quod eius provincialis possit et debeat in officio provincialatus ultra quadriennium per-

(1) De fr. Augustino de Zagaresio cf. supra pag. 2.

severare secundum constitutiones nostras, non obstante statuto capituli generalis Salmanticensis.

Concedimus provinciae Germaniae inferioris, iuxta quod in capitulo praecedenti provinciae Poloniae concessum fuit, quod de consensu capituli sui provincialis loca nostri ordinis, quae intra terminos eius ferme 5 desolata sunt propter haereticos, possint libere a fratribus deseri et eorum bona tam mobilia quam stabilia alteri conventui, quem capitulum provinciale statuerit, applicari. Quae et nos nunc pro tunc ex vi praesentium applicamus, cum quibus tamen volumus et filios dictorum locorum transferri. Proviso etiam quod, si aliquanto locus ita desertus rursus 10 erigatur, ea bona simul cum dictis filiis eidem in integrum restituantur.

Concedimus pro eadem provincia Germaniae inferioris, quod in conventibus non habentibus numerum senarium fratrum possit reverendus provincialis suppresso titulo prioratus praeficere illis vicarium.

Licentiae promovendorum. 15

In provincia Hispaniae licentiamus ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii fr. Christophorum de Cimiesta, fr. Ioannem de la Fuente, fr. Ludovicum del Castillo et fr. Petrum Ivanez (1).

In provincia utriusque Lombardiae ad magisterium fr. Stephanum de Ast (2), ad baccalaureatum fr. Vincentium de Soncino (3) et fr. Geor- 20 gium de Vercellis.

In provincia Aragoniae ad magisterium fr. Laurentium Lopez (4), fr. Raymundum Paschasium et fr. Ioannem Ladron (4), ad baccalaureatum fr. Dominicum de Sanctis et fr. Ludovicum Mas, fr. Ioannem Merino, fr. Ludovicum Natalem, fr. Thomam Alax (5), et fr. Michaellem 25 Pinedo (6).

In provincia Dalmatiae ad baccalaureatum pro forma et gradu fr. Lucam de Brachia.

In provincia Portugalliae ad magisterium fr. Emanuelem de Vega, fr. Didacum de Moraens (7), fr. Lupum de Avero (8), ad baccalaureatum 30 seu praesentaturam fr. Franciscum Ferrero, fr. Ludovicum Pereyra, fr. Ludovicum de Sotomaiore (9).

(1) De fr. Petro Ivanez cf. SSOP. II, 192.

(2) De fr. Stephano de Ast cf. MOPH. IX, 329.

(3) De fr. Vincentio de Soncino cf. l. c. pag. 339.

(4) De fr. Laurentio Lopez et fr. Ioanne Ladron cf. l. c. pag. 330.

(5) De fr. Thoma Alax cf. SSOP. II, 260.

(6) De fr. Michaelle de Pinedo cf. MOPH. IX, 333.

(7) De fr. Didaco de Moraens (Moranes) cf. l. c. pag. 330.

(8) De fr. Lupo de Avero cf. l. c. pag. 331.

(9) De fr. Ludovico de Sotomaiore cf. SSOP. II, 374.

In provincia Bethicae ad magisterium fr. Dionisium de Sanctis, fr. Gabrielem Santoyo, fr. Dominicum de sancto Bernardo (1), ad baccalaureatum seu praesentaturam fr. Ioannem de sancto Petro, fr. Laurentium de Figueroa, fr. Gondisalvum Arziniega, fr. Andream de sancto Ioanne, fr. Gregorium de Casuela, fr. Petrum Arias, fr. Didacum de Villalovos, fr. Christophorum de Figueroa, fr. Martinum de Sanctis, fr. Franciscum de sancta Cruce, fr. Dominicum de Scobar, fr. Christophorum de Avila et fr. Gasparem de Cabrera, ita tamen quod habeant locum, si et quando legerint sententias solemniter pro gradu et forma et non aliter.

10 In provincia Germaniae inferioris ad magisterium fr. Godifredum a Mierlo (2) praesentis capituli diffinitorem, ad licentias fr. Iulium Blavonis, fr. Ioannem Egidii, fr. Balthasarem Textoris et fr. Ioannem Straetman, ubi habuerint patrum sui conventus assensum, ad baccalaureatum fr. Paulum Cuije.

15 In provincia sancti Thomae ad magisterium fr. Thomam de Galatola, ad baccalaureatum fr. Antoninum de Martina et fr. Thomam de Medunio (3).

In provincia Calabriae ad magisterium fr. Nicolaum de Bellovidere (4) et fr. Antoninum de Mayda (4), ad baccalaureatum fr. Hieronimum de Zagaresio et fr. Franciscum de Amantea (4).

In vicaria sancti Petri martyr is ad magisterium fr. Ciprianum de Eporedia et fr. Leonardum Lapinum de Florentia (5).

In provincia Tolosana ad magisterium fr. Dominicum Samanos et fr. Gabrielem de Vesa (6), ad baccalaureatum pro forma et gradu fr. Ioannem de Lana, fr. Ioannem de Cruce et fr. Ioannem de Monte, ad licentiaturam fr. Nicolaum de Abbate, fr. Raphaellem Fortis et Fr. Petrum Costa (7).

Approbationes.

30 Approbamus in studio Parisiensi de provincia Franciae magisterium fr. Ioannis Adenet (8), fr. Hieronymi Possot (8). De provincia Aragoniae baccalaureatum fr. Antonii Massot. In congregatione Gallicana magisterium fr. Christophori Quintini (8), fr. Ioannis Molineti (8), fr. Ioannis Forestier,

(1) De fr. Dominico de sancto Bernardo cf. MOPH. IX, 330.

(2) De fr. Godifredo a Mierlo cf. supra pag. 2.

(3) De fr. Thoma de Medunio cf. MOPH. IX, 358.

(4) De fr. Nicolao de Bellovidere, Antonino de Maida, Francisco de Amantea cf. l. c. pag. 360.

(5) De fr. Leonardo Lapino de Florentia cf. l. c. pag. 359, supra pag. 17.

(6) De fr. Gabriele de Vesa cf. MOPH. IX, 354.

(7) De fr. Petro Costa cf. SSOP. II, 268.

(8) De fr. Ioanne Adenet, Hieronymo Possot, Christophoro Quintino, Ioanne Molineti cf. MOPH. IX, 355.

fr. Iacobi Dumay (1), fr. Antonii Abely (2); reprobamusque baccalaureatum fr. Dominici Sergent (3) citra obedientiam ordinis promoti, nolentes etiam, quod deinceps ad actus scholasticos se conferat, sub poena excommunicationis latae sententiae, quam incurrant tam ipse, si se ingesserit, quam caeteri, si illum admittunt; eodem tenore reprobantes baccalaureatum fr. Nicolai Garrapin (4) propter vehementes suspiciones de haeresi.

In provincia Hispaniae magisterium fr. Thomae de Pedroca.

In provincia utriusque Lombardiae magisterium fr. Thomae de Vilevano et fr. Danielis de Crema (5).

In provincia Romana magisterium fr. Mauri Arrigetti (6) et baccalaureatum fr. Petri Fratini (6).

In provincia Regni magisterium fr. Stephani de Optato (6) et baccalaureatum fr. Hieronymi de Neapoli (7).

In provincia Poloniae baccalaureatum fr. Lucae Leopoliensis.

In provincia Terrae sanctae magisterium fr. Thomae de Famagusta. 15

In provincia Aragoniae magisterium fr. Blasii Ferrer (8), fr. Thomae de Regibus (8), fr. Petri a Salamanca (9) et fr. Stephani Encontre. Baccalaureatum fr. Dominici Sandozon (10), fr. Thomae Esquivel (11), fr. Ioannis Ladron (10), fr. Laurentii Lopez (10) et fr. Antonii Campomar (10).

In provincia Portugalliae baccalaureatum fr. Hieronymi de Barros. 20

In provincia Bethicae magisterium fr. Martini de Mendoza, fr. Lupi de Cayzedo (12), fr. Illelonsi della Milla et fr. Didaci della Magdalena.

In prov. Germaniae inferioris magisterium fr. Adriani Osterwik (13). Baccalariatum fr. Georgii Blavonis (14), fr. Ioannis Egidii, fr. Ioannis Straetman, fr. Egidii Mappai, fr. Ioannis Bonaenocis (15), fr. Ioannis de Mota (16) et fr. Balthassaris Textoris. 25

(1) De fr. Iacobo Dumay cf. MOPH. IX, 355.

(2) De fr. Antonio Abely cf. SSOP. II, 293.

(3) De fr. Dominico Sergent cf. MOPH. IX, 334.

(4) De fr. Nicolao Garrapin cf. l. c. pag. 355.

(5) De fr. Daniele de Crema cf. SSOP. II, 190.

(6) De fr. Mauro Arrighetti, Petro Fratino, Stephano de Optato cf. MOPH. IX, 358.

(7) De fr. Hieronymo de Neapoli cf. l. c. pag. 359.

(8) De fr. Blasio Ferrer et Thoma de Regibus cf. l. c. pag. 329.

(9) De fr. Petro a Salamanca cf. l. c. pag. 331.

(10) De fr. Dominico Sandozon, Ioanne Ladron, Laurentio Lopez, Antonio Campomar cf. l. c. pag. 330.

(11) De fr. Thoma Esquivel cf. l. c. pag. 298.

(12) De fr. Lupo de Cayzedo cf. l. c. pag. 333.

(13) De fr. Adriano Osterwik (ab Ocisterwik) cf. l. c. pag. 354.

(14) De fr. Georgio Blavonis cf. l. c. pag. 354.

(15) De fr. Ioanne Bonaenocis cf. l. c. pag. 253.

(16) De fr. Ioanne de Mota cf. SSOP. II, 368.

In provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru baccalaureatum seu praesentaturam fr. Thomae de Argumedo et fr. Ambrosii Guerra.

In vicaria sancti Petri martyris magisterium fr. Dominici de Ruere, baccalaureatum fr. Vincentii de Mediolano, fr. Cipriani de Eporedia et
5 fr. Leonardi Lapini de Florentia.

Item approbamus magisterium omnium, qui in hoc capitulo per reverendissimum magistrum ordinis promoti sunt. Videlicet: fr. Stephani de Ast provinciae Lombardiae, fr. Ioannis Ladron provinciae Aragoniae, fr. Gregorii de Balneolo (1) provinciae Regni, fr. Lucae Leopoliensis. (2)
10 provinciae Poloniae, fr. Eugenii de Messana (3) provinciae Trinacriae, fr. Emanuelis de Vega provinciae Portugalliae, fr. Dionysii de Sanctis (4) provinciae Bethicae, fr. Godefridi a Mierlo provinciae Germaniae inferioris, fr. Dionysii de Licio et fr. Dominici de Tarento provinciae sancti Thomae, fr. Hieronymi de Crotono provinciae Calabriae, fr. Sancti Cythinii de Utino
15 vicariae sancti Dominici, fr. Baptistae Senensis (5) ex vicaria Romana.

In provincia utriusque Lombardiae reprobamus affiliationem fr. Simonis de Arimino et fr. Valerii de Valentia a conventu s. Dominici de Genua et restituimus eorundem filiationes originalibus eorum conventibus.

Approbamus iudicium sententias.

20 Provisiones studiorum.

In studio nostro Parisiensi in regentem principalem pro sacra scriptura damus fr. Gerardum Dameni, in secundum fr. Iulianum Freneum (6), vel quem providerit reverendissimus magister ordinis, in tertium fr. Ioannem Lupreo, in quartum pro prima parte s. Thomae fr. Antonium Massot,
25 in baccalaureos pro anno 1558 ad legendum sententias in magnis scholis loco extraneis debito fr. Adrianum de Atrio, in parvis scholis fr. Nicolaum de Monte, ad lecturam bibliae fr. Natalem Ponzelet.

Pro anno 1559 in magnis scholis loco intraneis debito fr. Ioannem Champagna (7), in parvis scholis fr. Iacobum Beryon, ad lecturam bibliae
30 fr. Ludovicum Galle.

Pro anno 1560 in magnis scholis loco extraneis debito fr. Arnaldum de Narthusio, in parvis scholis fr. Michaellem Ferre (8), ad lecturam bibliae fr. Ioannem Laurentii.

(1) De fr. Gregorio de Balneolo cf. MOPH. IX, 285.

(2) De fr. Luca Leopoliensis. cf. supra pag. 2.

(3) De fr. Eugenio de Messana cf. MOPH. IX, 359.

(4) De fr. Dionysio de Sanctis cf. supra pag. 2.

(5) De fr. Baptista de Senis cf. MOPH. IX, 359.

(6) De fr. Iuliano Freneo cf. l. c. pag. 357.

(7) De fr. Ioanne Champagna cf. SSOP. II, 252.

(8) De fr. Michaelle Ferre cf. l. c. pag. 351.

Remittimusque alios, qui actu legebant, regentes ad suos conventus, ne multitudo doctorum pariat confusionem.

In studio Bononiensi in regentem pro tribus annis fr. Stephanum Conforto, in baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Agapitum de Fino (1); pro tertio fr. Vincentium de Casali (2); in magistrum studii pro 5 primo anno fr. Ioannem Baptistam de Cremona, pro secundo fr. Hieronymum de Cremona, pro tertio providebit reverendus provincialis de more. In studentes pro rata provinciae Regni fr. Matthiam de Aquaris (3), pro provincia Graeciae fr. Nicolaum de Ancona, pro provincia Dalmatiae fr. Paulum de Iadra, pro provincia sancti Thomae fr. Dominicum de 10 Montemuro et fr. Albertum de Licio, pro provincia Poloniae fr. Ciprianum et fr. Isaiam cum facultate, quod expleto studio possint promoveri ad baccalaureatum.

In studio Coloniensi tam de regentibus quam de officialibus caeteris providebit reverendissimus magister ordinis. 15

In studio Salmantino et aliis studiis provinciae Hispaniae providebit reverendissimus magister ordinis vel capitulum provinciale secundum morem.

In studio Tolosano providebit reverendissimus magister ordinis.

In studio Lovaniensi in regentem pro primo anno fr. Ioannem Walteri (4), pro secundo et tertio providebit reverendus provincialis cum suo diffinitorio; in magistrum studii pro anno 1558 fr. Balthassarem Textoris, pro 1559 fr. Iohannem Egidii, pro 1560 fr. . . . 20

In studio Neapolitano de officialibus providebit reverendissimus magister ordinis, in studentes pro rata provinciae Dalmatiae fr. Bartholomaeum de Venetiis, pro provincia sancti Thomae fr. Angelum de Rubis et fr. Nicolaum de Gravina. 25

In studio Patavino in regentem pro tribus annis fr. Ioannem Matthaicum Valdina (5) eiusdem studii methaphisicum, in baccalaureum pro primo anno fr. Iordanem Utinen. (6), pro secundo fr. Marianum Valdina, pro tertio fr. Angelum de Tarvisio; in biblicum pro primo anno fr. Marianum Valdina, pro secundo fr. Angelum de Tarvisio, pro tertio fr. Ioannem Baptistam Pipi (7); in magistrum studii pro primo anno fr. Angelum de Tarvisio, pro secundo fr. Ioannem Baptistam Pipi, pro tertio fr. Camil- 30

(1) De fr. Agapito de Fino cf. MOPH. IX, 357.

(2) De fr. Vincentio de Casali cf. l. c. pag. 329.

(3) De fr. Matthia de Aquaris cf. SSOP. II, 302.

(4) De fr. Ioanne Walteri (Gualteri) cf. MOPH. IX, 292.

(5) De fr. Ioanne Matthaeco Valdina cf. l. c. pag. 356.

(6) De fr. Iordane de Utino cf. l. c. pag. 358.

(7) De fr. Ioanne Baptista Pipi cf. l. c. pag. 359.

lum Gattella; concedimusque fr. Camillo de Venetiis (1), quod si quam habet a reverendissimo bonae memoriae magistro ordinis fr. Stephano Ususmaris (2) in eo conventu et studio facultatem, quam ei confirmamus, illa utatur. Volumus quoque et declaramus praedictos omnes in eodem
5 conventu esse assignatos, praecipientes omnibus studentibus sub poena remotionis a dicto studio, quod nullus eorum sit beneficiatus nullusque a lectionibus audiendis se subducatur. Assignamus in studentem formalem pro rata provinciae s. Thomae fr. Petrum Martyrem de Medunio (3).

In studio Florentino provinciae Romanae in regentem pro tribus an-
10 nis fr. Maurum Arrigettum (4), in baccalaureum pro eisdem fr. Petrum Fratrum (4), in magistrum studii pro primo anno fr. Nicolaum de Perusia, pro secundo et tertio annis fr. Angelum Grifium de Florentia.

In studio Mediolanensi sancti Eustorgii in regentem pro tribus an-
15 nis fr. Ioannem Ambrosium de Mediolano, in baccalaureum pro primo et secundo annis fr. Dionisium de Mediolano, pro tertio fr. Philippum de Mediolano (5); in magistrum studii pro primo et secundo annis fr. Philippum de Mediolano, pro tertio fr. Bartholomaeum de Praelormo.

In studio Cracoviensi provinciae Poloniae providebit reverendissimus magister vel capitulum provinciale.

20 In studio Barchinonensi provinciae Aragoniae in regentem pro tribus annis fr. Petrum [de] Salamanca, in baccalaureum fr. Ludovicum Mas, in studentem pro rata provinciae Dalmatiae fr. Angelum de Catharo.

In studio Valentino eiusdem provinciae in regentem pro tribus annis fr. Raymundum Paschasium.

25 In studio Caesaraugustano eiusdem provinciae in regentem pro tribus annis fr. Thomam de Regibus (6), in baccalaureum fr. Dominicum de Sanctis, in magistrum studii fr. Ioannem de Villacampa. De reliquis officialibus providebit reverendissimus magister ordinis vel capitulum provinciale.

In studio Cordubensi et Hispalensi provinciae Bethicae providebit
30 reverendissimus magister ordinis vel capitulum provinciale.

In studio Panormitano provinciae Trinacriae in regentem, quem dederit reverendissimus magister ordinis, in baccalaureum pro primo et secundo annis fr. Nicolaum Gulotta, pro tertio providebit magister ordinis. In magistrum studii pro primo anno fr. Augustinum de Mirto, pro se-

(1) De fr. Camillo de Venetiis cf. MOPH. IX, 358.

(2) De fr. Stephano Ususmaris cf. supra pag. 11.

(3) De fr. Petro Martyre de Medunio cf. MOPH. IX, 358.

(4) De fr. Mauro Arrigetto et Petro Fratino cf. supra pag. 20.

(5) De fr. Philippo de Mediolano cf. MOPH. IX, 358.

(6) De fr. Thoma de Regibus cf. supra pag. 20.

cundo fr. Simonem de Augusta (1), pro tertio fr. Paulum de Palatiolo (1).

In studio Ulisbonensi et de Bello provinciae Portugalliae providebit reverendissimus magister ordinis vel capitulum provinciale.

In studio Montispessulani provinciae Provinciae providebit reverendissimus magister ordinis.

In studio Nannerensi congregationis Gallicanae in baccalaureum ad lecturam sententiarum pro forma et gradu pro anno 1558 fr. Ioannem Leodegarii, pro anno 1559 fr. Nicolaum Boutoiri.

In studio Avenionensi congregationis Franciae in baccalaureum ad legendum sententias pro forma et gradu fr. Ioannem Lamberti (2) et fr. Robertum Gentonis, ad lecturam bibliorum fr. Ioannem Vineae.

In studio Andriae provinciae sancti Thomae in regentem pro tribus annis, quem dabit reverendissimus magister ordinis, in baccalaureum pro duobus primis annis fr. Antoninum de Martina, pro tertio fr. Thomam de Medunio (2), in magistrum studii pro primo anno fr. Salvatorem de Castellaneto, pro secundo fr. Sabinum de Brundusio (3), pro tertio fr. Vincentium de Medunio.

In studio Consentino provinciae Calabriae in regentem pro primo anno fr. Ioannem Baptistam de Bisiniano magistrum, pro secundo et tertio providebit reverendissimus; in baccalaureum pro primo et secundo annis fr. Franciscum de Amantea (4), pro tertio fr. Hieronymum de Zagaresio, in magistrum studii pro primo anno fr. Ioannem de sancto Donato, pro secundo fr. Thomam de Consentia, pro tertio providebit reverendissimus.

In studio civitatis Regum de Peru in lectorem primum pro sacra scriptura fr. Thomam de Argumedo, in lectorem secundum fr. Ambrosium Guerra, in magistrum studentium pro primo anno fr. Ambrosium Guerra, pro secundo fr. Illefonsum Guerra, pro tertio fr. Illefonsum Gasco.

Commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis curam prosequendi erectionem fabricae pro hospitibus aliarum provinciarum in Urbe.

Committimus reverendo provinciali Lombardiae superintendentiam congregationis Marchiae non tanquam illi provinciae incorporatae, sed duntaxat commendatae, quam per se vel alium visitare et per vicarium substitutum regere, fratres amovere, punire et corrigere poterit.

(1) De fr. Simone de Augusta et Paulo de Palatiolo cf. MOPH. IX, 359.

(2) De fr. Ioanne Lamberti cf. l. c. pag. 354.

(3) De fr. Thoma de Medunio et Sabino de Brundusio cf. l. c. pag. 358, MOPH. IX, 19.

(4) De fr. Francisco de Amantea cf. l. c.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem in praemissis et circa praemissa et omnia alia declarandi, interpretandi, addendi vel minuendi et omnia et singula faciendi, quae capitulum generale et nos facere possumus, prout eius prudentiae visum
5 fuerit opportunum.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Paulo papa III., qui dedit huic capitulo eleemosinam, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimis regibus et principibus christianis et pro pace inter
10 eos componenda et bono statu reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Morono, protectore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Alexandrino, viceprote-
15 ctore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis et reverendissimis dominis cardinalibus Caraffa et Neapolitano, et Duce ac Marchione totaque eorum generosa familia Carafforum quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo domino archiepiscopo Toletano quilibet sacerdos unam missam.
20

Pro omnibus benefactoribus et his praesertim, qui huic capitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione totius nostri ordinis ac reverendissimi magistri generalis cum eius societate necnon pro reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam.
25

Et ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semper letaniae, conversis vero et laicis decies pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima reverendissimi domini cardinalis domini Matthaei de
30 Ursinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro generali capitulo in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

35 Pro animabus eorum, qui dum viverent, per litteras magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque alijs benefactoribus quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

40 Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus reverendis provincialibus et diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias eius unum ex iis, qui usque ad hanc

diem fuerunt apostatae vel damnati ad poenas gravioris culpae suae provinciae et in sua provincia tantum, non tamen suspectum de fide.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod sacerdotem nostri ordinis ad confessionum audientiam alias expositum sibi in confessorem semel tantum eligere et ab eodem de praeteritis usque ad praesentium notitiam casibus, peccatis, excessibus et censuris omnibus absolvi possint, a quibus reverendissima paternitas absolvere potest.

Capitulum sequens, quod erit provincialium, assignamus in conventu Avenionensi congregationis Franciae hinc ad tres annos, anno videlicet 1561.

Datum Romae die 4. iunii 1558.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
AVENIONE CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTI DOMINICI
IN FESTO SANCTISSIMI PENTECOSTES
ANNO DOMINI ·M^o·D^o·LXI^o· DIE XXV. MAII

Sub reverendissimo patre fr. Vincentio Iustiniano (1) sacrae theologiae professore, magistro generali ordinis praedicatorum, diffinientibus reverendis provincialibus videlicet:

fr. Antonio Deidonis magistro provinciali Tholosano,
fr. Petro Divole magistro (2) provinciali Franciae,
fr. Iacobo Feran (3) magistro provinciali Aragoniae,
fr. Seraphino de Brixia (4) magistro provinciali Terrae sanctae,
fr. Petro Vignole (5) magistro provinciali Provinciae,
fr. Gabriele Santoyo (6) magistro provinciali Bethicae,
fr. Godofrido de Mirlo (7) magistro provinciali Germaniae inferioris,
fr. Augustino Zagaresio (8) magistro provinciali Calabriae,
fr. Iohanne Maria de Liagnasco Taparello magistro studii Bononiensis
pro provinciali utriusque Lombardiae,

(1) De fr. Vincentio Iustiniani cf. supra pag. 12.

(2) De fr. Petro Divole cf. MOPH. IX, 334.

(3) De fr. Iacobo Ferran cf. l. c. pag. 311.

(4) De fr. Seraphino de Brixia cf. SSOP. II, 213.

(5) De fr. Petro Vignole cf. MOPH. IX, 231.

(6) De fr. Gabriele Santoyo cf. supra pag. 19.

(7) De fr. Godofrido de Mirlo cf. l. c. et pag. 21.

(8) De fr. Augustino de Zagaresio cf. l. c. pag. 17.

fr. Matthaeo Lachio (1) magistro socio pro provinciali Romano,
 fr. Gregorio de Balneolo (2) magistro socio pro provinciali Regni,
 fr. Thoma de Monaco (3) magistro socio pro provinciali Trinacriae.

5 Frater Vincentius Iustinianus totius ordinis praedicatorum gen. magister
 et servus universis eiusdem ordinis professoribus salutem.

Nec ignotum nec novum vobis esse scio, patres carissimi, cur post
 longa itinera et labores ad hunc celeberrimum consessum adveneritis,
 sane ut quod nostris in constitutionibus invenimus expressum laudabili-
 que consuetudine firmatum, opere perficeremus. Maiores enim nostri, viri
 10 prudentissimi, licet nos genere ac genuinis moribus locorumque inter-
 vallis distare cognovissent, voluerunt tamen in observantiis canonicae
 religionis uniformes esse debere; quod facere minime potuissent, nisi
 crebro convenissent, et alii aliis sua communicassent. Hinc in primaevo
 nostri ordinis ortu sanctissime constitutum est, ut synodi generales,
 15 quas nos capitula appellamus, singulis annis alternatim tamen citra et
 ultra montes haberentur, ut hinc maior uniformitas et communio ser-
 varetur, et subinde mores filiorum edocti patres, quod cuique congrue-
 bat, reddere, sucrescentes abusus tollere, pullulantia suppressere vitia,
 virtutes fovere et tandem mores optimos facilius excolere possent.

20 At postquam semel bene plantata religio et firmioribus decretis et
 constitutionibus roborata convaluit, non ita frequenter haberi capitula
 cepere, sed in summum in duos aut tres annos distributa, ut celebren-
 tur, constitutum est. Qua constitutione freti reverendi patres provinciales
 et diffinitores, qui Romae in capitulo nostrae electionis 1558 intererant
 25 una mecum generale capitulum, quod nunc agimus, 1561 in conventu
 Avenionensi, loco omnibus provinciis commodo, celebrandum indixerunt.
 Ego et si pluribus alioquin legitimis impedimentis tum indictionis sa-
 crosancti oecumenici concilii tum haereticorum strepitu viarumque di-
 scriminibus propulsatus, licite potuissem celebrationem hanc in aliud
 30 transferre tempus, malui tamen evidentibus periculis me exponere, quam
 religionis approbatam consuetudinem et patrum deliberationem violare.
 Veni autem non solum, ut constitutionibus nostris facerem satis, sed
 simul ac magis, ut convenientes nostri ordinis reverendi patres ac spe-
 ctatissimi proceres etiam me instruerent, commonerent ac corrigerent, et
 35 vicissim quae in diversis provinciis a recta nostrarum institutionum forma

(1) De fr. Matthaeo Lachio cf. MOPH. IX, 358.

(2) De fr. Gregorio de Balneolo cf. supra pag. 21.

(3) De fr. Thoma de Monaco cf. SSOP. II, 388.

deficiunt, communi definitione restitueremus et bona, quae coalescunt, firmaremus et ad meliora promoveremus.

Speciali autem dei providentia factum est, ut tali in tempore, tali in loco nostram hanc synodum congregaremus, quatenus negotio fidei in hoc regno fluctuante nostris nos rebus provideremus. Adivi ego quam- 5
plura coenobia, perscrutatus sum, quae hactenus fuere eorum studia, qui mores, quae erga religionem pietas et fidem catholicam sinceritas, et cum lachrimis refero. Quis enim in tam miserabili casu lachrimas continere valeat? Actum est de praedicatoria familia in hac praesertim provincia, nisi vos patres vestra prudentia, zelo et religione succurratis. Hic 10
mihi deploranda esset reliqua nostri ordinis portio, quae vel haereticorum invidia et obstinata malitia, vel demeritis nostris hoc exigentibus ita defecit, ut multarum provinciarum non supersit vestigium, et quod reliquum est, speciem tantum religionum retineat.

Dignitas religionis nostrae in potentissimo regno Angliae simul ac 15
Daciae penitus est extincta. In amplissimo regno Ungariae vix unum et alterum cenobiolum nobis remansit. Provinciarum Boemiae, Scotiae, Hiberniae, Graeciae, Terrae sanctae utinam non solo nomine gloriaremur. Amplitudo nostri ordinis in populosissima superiore Germania et Saxonia fere ad nihilum est redacta. Ubi enim doctissimi et religiosissimi 20
illarum religionum patres, qui non nobis duntaxat, sed toti Europae ornamento erant? Ubi tantus studiorum numerus? Ubi tot ludi et scholae, in quibus humanarum et divinarum scientiarum studia quam gloriosissime florebant? Ubi legum et sanctionum nostrarum observantia, quibus tanquam vehiculis filiorum nostrorum animi ad dulces virtutum am- 25
plexus quam saepissime deducebantur? Templi nostra aut destructa sunt aut nuda remanserunt vel in prophanos usus deputata. Scholae solo aequatae, studia perierunt, emarcuerunt ingenia, sanctiones nostrae despectae et lumina denique omnia extincta sunt.

Periculum igitur reipublicae nostrae cernentes, extremam calamita- 30
tem ante oculos vestros habentes, vestram est eam propulsare et tales vos esse demonstratis, quales nomen ipsum, quod tenetis, suadet. Maiores nostri cuique suspicioni occurrendum esse iudicarunt. Vos periculum, quod ob oculos versatur et ultimam minatur ruinam, non curabitis? Illi nomen nostrum imminui non tulerunt, sed celebre ubique fecerunt. Vos 35
gloriam nostram dilabi ac ruere permittetis et famam nostram extinguere patiimini? Num pro patribus degeneres nati sunt filii, qui paternam hereditatem non valeant conservare? Videte, quem animum habere debetis, videte, ne quemadmodum illis honori atque gloriae fuit, ita nobis dedecori et ignominiae sit, eam servare nolle, dum possumus, aut aliud 40
expectare tempus, cum facultas non adsit. Nostris igitur rebus consulite,

neque ab his degeneretis, quibus successistis, sed nos sanctis admonitionibus, decretis et constitutionibus tutos et bene munitos reddite, reliquiasque salvas facere studete.

In nomine domini nostri Iesu Christi et beatæ Mariæ semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctarum dei.

Haec sunt acta, quae in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo auctore, proponuntur.

Inchoationes.

Inchoamus hanc, quod in capitulo quartodecimo de studentibus distinctione secunda ubi dicitur: nec aliquis magistretur in theologia, nisi prius actus exercuerit pro forma et gradu praedicti magisterii per quatuor annos ad minus in aliqua universitate, addatur: vel legitima exercitia fecerit in lectura et aliis actibus, quae in eadem universitate, in qua promoveri debet, de iure fieri consueverunt.

Confirmationes.

Confirmamus hanc, quod in capitulo decimo nono prima distinctione de gravissima culpa ubi dicitur: gravissima culpa est incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere et poenas recusat ferre, addatur: vel ex ea saepius repetita inflexione iudicio discretorum cognoscitur non proficere; et infra ubi dicitur: si magis expediens iudicabitur, addatur: per magistrum ordinis vel capitulum provinciale, et post verbum: expellatur, addatur: quod tamen mature fiat et ita, ut appareant gesta cum processu et sententia in scriptis et cum debitis subscriptionibus, et hoc si talis sani capitis et integri sensus usque ad illam horam extitisse cognoscitur. Deinde sequatur, quod habetur in fine capituli quinti: nullus autem cum habitu ordinis etc. usque ad verbum: puniatur, inclusive, inseratur et hoc pacto capitulum illud compleatur. Reliqua vero omnia demantur. Et haec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc, quod in secunda distinctione capitulo octavo de capitulo generali ubi dicitur: altera vice citra montes alternatim, addatur: de triennio in triennium, et quando sequitur: nisi magistro et diffinitoribus ex causa legitima quandoque aliud videatur, dicatur: nisi magistro cum diffinitoribus vel cum discretorum maturo consilio ex legitima et urgentissima causa illud alibi assignare, aut assignatum transferre vel per annum praevenire, aut etiam prorogare necessarium videatur, et nisi obitus magistri generalis acciderit, quo eveniente fiat, sicut capitulo quarto de electione magistri ordinis est decretum. Et ubi sequitur: praedicti autem vigintiquatuor provinciarum diffinitores duobus annis, et vigintiquatuor priores provinciales in tertio anno, dicatur: praedicti autem triginta unius provinciarum diffinitores in duobus capi-

tulis et triginta et unus provinciales in tertio capitulo etc. Et capitulum septimum de biennali vel triennali totum utpote superfluum deleatur. Et haec habet tria capitula.

Item confirmamus ordinationem factam in praecedentibus capitulis, quod novitii in minoribus conventibus recepti non retineantur soli aut 5
bini in eisdem conventibus, sed ad maiores mittantur, ubi saltem in numero senario sub bono magistro educari possint, a cuius cura iuniores ante quadriennium non removeantur; quae ordinatio, cum iam habeat tria et quatuor capitula, et admodum necessaria sit, praecipimus, ut inviolabiliter observetur ab omnibus praelatis, admonentes eos, ne sint dif- 10
ficiles recipere ad habitum eos, qui petunt recipi et idonei iudicantur; super quo eorum conscientias pro conservatione ordinis, qui continue decrescit, oneramus.

Item confirmamus ordinationem in eisdem capitulis factam contra abusum vendentium aut testantium cameras. Et licentiae quaecunque datae in 15
contrarium tam in huiusmodi quam etiam in dispositione aliarum rerum non intelligantur in casu mortis, inhibentes expresse fratribus in ipso mortis articulo nullo modo praetextu cuiuscunque licentiae posse testari.

Item confirmamus ordinationem disponentem, quod in conventu, ubi sunt iuvenes, sit aliquis lector, qui eos doceat gramaticam vel artes iuxta 20
eorum capacitatem. Sint etiam in conventibus lectores casuum conscientiae, et assidue de ipsis collationes fiant; discernentes, quod quicumque a solida sancti Thomae doctrina recesserint, novitatem sectantes vel verbo aut scripto aliquid dixerint contrarium dictae doctrinae, ab officio lectoratus et a quocunque alio officio gradu et dignitate perpetuo sint privati. Super quo provinciales diligentissime invigilent. Insuper confirmamus 25
aliam, videlicet quod nullus promoveatur ad baccalaureatum, nisi saltem per quatuor annos legerit in artibus, exceptis studiis Parisiensi et Lovaniensi, in quibus promovendi consueta exercitia ab universitate statuta servabunt. 30

Item quod licentia dispensandi ad sacerdotium ante completum vigesimumquartum aetatis annum soli magistro ordinis reservetur.

Insuper confirmamus aliam, quod nullus prior provincialis aut conventualis nullusve praesidens sub poena suspensionis ab officio recipiat fratres fugitivos aut vagabundos alterius provinciae sine licentia provincialis illorum, et hactenus sic receptos statim a notitia praesentium expellant. Mandantes omnibus fratribus nostri ordinis sub poena gravioris 35
culpa, ne quis extra terminos suae provinciae aut conventus praedicet in nostris vel alienis ecclesiis aut quaestum faciat sine licentia magistri ordinis aut reverendi provincialis aut prioris, in quorum terminis praedicare aut quaesturare contigerit. 40

Item aliam, quod qui per quatuor annos steterunt extra ordinem, non recipiantur nisi de licentia magistri ordinis, et quod auctoritas licentiandi fratres manendi extra claustrum paenes magistrum ordinis resideat.

5 Item quod nullus frater nostri ordinis ratione paternitatis aut alterius gradus exemptionem praetendere possit a sequela chori aut aliis gravaminibus ordinis, lectoribus, praedicatoribus ac magistris in theologia actu legentibus aut praedicatoribus duntaxat exceptis, circa quos legitimae consuetudines provinciarum observentur.

10 Item aliam quod provinciales aut vicarii non possint vicarios pro electione prioris faciendi mittere ad conventus nisi in casu magnae dissensionis eligentium, sive si conventus adeo sit destitutus, quod nullus sit in eo, qui electionem dirigere queat; et nihilominus qui sic missus fuerit, careat voce passiva in eadem electione, irritum decernentes, quic-
15 quid secus factum fuerit.

Item quod translationes filiorum de conventu in conventum non possint nisi de consensu maioris partis filiorum utriusque conventus respective in conventu praesentium fieri et de consensu reverendi provincialis, exceptis provinciis desolatis.

20 Item quod reverendi provinciales provinciarum, in quibus non viget arcta regularis observantia ad petitionem fratrum arcte regularem vitam servare volentium vel iubente reverendissimo magistro ordinis teneantur sine difficultate assignare unum vel plures conventus, in quibus in veritate secundum rigorem constitutionum vivere possint, et si in hoc pro-
25 vinciales aut vicarii se difficiles praestiterint ac facere negaverint, recurrant dicti fratres ad reverendissimum magistrum ordinis, qui eis providebit, ne spiritum dei contingat extinguí, proviso tamen, quod in huiusmodi non vendantur vel alienentur nec refutentur possessiones conventuum, nec aliqua singularitas in habitus forma vel qualitate inferatur
30 et conventus sub cura et iurisdictione provincialis remaneant.

Item confirmamus pro provincia Germaniae inferioris ordinationem, quod in studio Lovaniensi nullus frater nostri ordinis extra conventum causa dicti studii manere possit, sed quos conventus ipse facta etiam
35 solutione alicuius taxae non capit, a dicto studio ad suas provincias remittantur. Addentes, quod nulla concedatur licentia, qua se ab observantia reverendi provincialis subtrahere possint, sed in omnibus obtemperent illi et priori illius conventus sicut caeteri provinciae studentes necnon ad onera studii cum illis obligentur; quod si detrectaverint, ad suas provincias remittantur.

40 Item confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo factam, quod qui de caetero abiuraverint tanquam de haeresi vehementer su-

specti, non possint restitui aut promoveri ad aliquod officium vel dignitatem toto tempore vitae eorum, sed permittantur in humilitate deflare peccatum suum; irritum decernentes, quicquid in oppositum factum fuerit.

Item aliam saepissime factam, quod sub poena privationis vocis activae et passivae per quinquennium nullus absque licentia magistri vel procuratoris ordinis aut sui provincialis veniat ad Urbem, exceptis his quibus propter conventus suarum provinciarum, ad quos vadunt, necesse est inde transire vel illo accedere.

Item aliam quod nullus sit aut intelligatur electus in priorem tam provincialem quam conventualem nec in vicarium nec in diffinitorem aut socium, qui solum ex vi renuntiationis seu cessionis proprii suffragii seu voti excessit medietatem eligentium in quacunque electione.

Item confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo factam, quod de caetero in studio Parisiensi ex quatuor regentibus principalibus studii actu legentibus semper saltem unus sit de provincia Franciae.

Declarationes.

Declaramus conformiter ad tenorem nostrarum constitutionum, quod mortuo vel amoto priore provinciali prior conventualis illius loci, in quo primum capitulum provinciale fuerit celebrandum, vices eius obtineat, quousque prior provincialis sit electus et confirmatus vel ille, cui vices suas commiserit, praesens in provincia extiterit. Si autem conventus ille priorem non habuerit vel infra tempus suae vicariae mori vel amoveri contigerit, officium ad priorem conventus, ubi antecedens capitulum fuerat celebratum, devolvatur, donec prior conventualis conventus, ubi celebrandum est capitulum provinciale, fuerit electus et confirmatus.

Item declaramus et statuimus, quod conventus oppidi Ayora incorporatus sit provinciae Aragoniae, quem praesentium tenore eidem provinciae incorporamus et subditum reddimus in omnibus reverendo patri provinciali eiusdem provinciae pro tempore, cui committimus, ut fugitivos aliarum provinciarum a dicto conventu depellat et ad provincias proprias remittat et eidem conventui de aliis fratribus idoneis provideat, revocantes quascunque litteras in oppositum alias concessas.

Denuntiationes.

Denuntiamus omnibus fratribus nostri ordinis non esse a nobis acceptatam mutationem diei festi beati Dominici patris nostri, idcirco solemnitas eius die hactenus consueto servetur et fiat.

Denuntiamus omnibus fratribus nostri ordinis ad consolationem fratrum provinciae Hiberniae esse legitime separatam a provincia Angliae et in provinciam erectam locumque habere inter caeteras provincias post provinciam sanctae Crucis Indiarum iuxta determinationem immediate praecedentis capituli.

Denuntiamus omnibus fratribus nostri ordinis etiam in praesenti nostro diffinitorio conclusum et decretum, prout in praecedenti capitulo etiam decretum est, quod reverendi provinciales cum suo diffinitorio vel cum quatuor patribus provinciae, aut qui fuerunt aliquando diffinitores provincialis capituli, delictis maioribus et facinorosis hominibus possint adhibere poenas extraordinarias etiam triremium in delictis gravioribus apud saeculares notis.

Ordinationes.

Ordinamus, quod in feria quinta, quando propter festum vel alias non potest fieri officium de sanctissimo sacramento, quod nihilominus fiat memoria de eo, sicut fieri solet de beato Dominico in feria tertia et in sabbato de beata Virgine in toto ordine.

Ordinamus et ordinando praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub poena excommunicationis latae sententiae (ac) unica pro trina admonitione praemissa, ne de caetero frater aliquis, cuiuscunque gradus sit et conditionis, praesumat scribere per se vel per alium litteras ad quoscunque intus vel extra ordinem sine proprio nomine; contrafacientes vero non possint absolvi nisi a reverendissimo generali vel suo provinciali.

Ordinamus et mandamus omnibus fratribus, ne in itinere deferant arma invasiva, cuiuscunque sint conditionis et qualitatis; oppositum facientes puniantur a suis provincialibus poena debita his, qui deferunt arma infra septa monasterii.

Ordinamus et ordinando praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae reverendis provincialibus, vicariis, prioribus seu praesidentibus quibuscunque nostri ordinis, ne permittant, quod fratres in conventibus nostris sive sorores in monasteriis deinceps faciant comedias sive repraesentationes cuiuscunque generis; oppositum facientes a superioribus a suis officiis in poenam absolvantur.

Ordinamus, quod fratres propter reverentiam sacramenti poenitentiae, etiam sacerdotes, dum confitentur peccata sua, flectant genua ante confessorem.

Ordinamus, ut alias etiam ordinatum est, quod dum in missa cantata dici debet Credo sive symbolum apostolicum, totum cantetur a fratribus in choro existentibus, et nullatenus eo tempore pulsentur organa.

Ordinamus, quod in provincia Aragoniae provinciales contenti sint solitis contributionibus et visitationibus conformiter ad seriem nostrarum constitutionum, nec provincia gravari debeat expensis extraordinariis pronuntiis mittendis sive alias, sed huiusmodi expensas teneatur ipse provincialis solvere ex suis contributionibus, expensis pro capitulo generali duntaxat exceptis.

Ordinamus, quod vicariae sancti Dominici, Romanae et sancti Petri Martiris possint mittere duos fratres ad quaecunque studia generalia, dummodo assignationes fiant per suos vicarios et diffinitores, congregationes vero Marchiae et Aprutinae unum duntaxat.

Ordinamus, quod in provincia Provinciae nullus de cetero intelligatur expositus ad audientiam confessionum nec ad praedicandum verbum Dei, nisi per reverendissimum magistrum ordinis vel per fratres ab eo ad hoc deputatos fuerit expositus, et constet per literas eorum ad hoc specialiter factas; oppositum facientes puniantur poena suspectis in materia fidei debitis, et si provinciales super hoc negligentibus fuerint, a suis officiis absolvantur.

Ordinamus, quod omnes baccalaurei legentes pro forma et gradu magisterii in quacunque universitate teneantur legere textum magistri sententiarum, alias non admittantur ad gradum magisterii.

Ordinamus, quod ad subveniendum tribulationi ecclesiae, quae paene ubique periclitatur, in singulis conventibus nostri ordinis et monasteriis sororum per singulas ebdomadas semel vel bis solemniter et processionaliter in ecclesia vel per claustrum letaniae decantentur diebus et horis a prioribus sive praelatis designandis.

Ordinamus et inviolabiliter observari volumus, quod apud quemcumque inventus fuerit liber haereticus, omni excusatione explosa compellatur ad abiurandum haeresim et per annum ad minus suspendatur ab officio praedicandi et omni executione sacrorum ordinum. Et suspectis de haeresi sive ex familiaritate cum notatis sive ex stilo dicendi et loquendi sive ex omissione interdicitur praedicandi et celebrandi potestas, donec ad arbitrium provincialium se purgaverint vel satisfecerint. In eadem vero suspensionem relapsi non possint restitui nisi per duo capitula provincialia; tertio vero relapsis in eadem suspitione nulla fiat perpetuo relaxatio.

Ordinamus et praecipimus singulis praedicatoribus, ut aperte et animose pro fide loquantur contra haereses, servata tamen modestia, et teneantur proponere ac asserere dogmata fidei et ecclesiae Romanae, quoties locus inciderit, praecipue per quadragesimam. Quod si quis comprobetur omissione notabili peccasse, pro hac sola culpa privetur officio celebrandi et praedicandi.

Ordinamus, quod in congregatione Franciae nullo modo permittatur fratribus acceptare, quas vocant regentias in ecclesiis extra ordinem, et qui hactenus eas habent, vel resignare eas habeant vel nullum eis regimen committatur, et nihilominus etiam si subditi existentes eas possederint, teneantur fructus et redditus consimilis regentiae communitati restituere iuxta laudabilem consuetudinem eiusdem congregationis.

Ordinamus ad petitionem provinciae Regni, quod post haec non admittantur promovendi ad magisterium ultra numerum magistrorum duodenarium.

Ordinamus et praecipiendo mandamus priori seu praesidenti pro
5 tempore conventus sancti Petri Martiris de Neapoli, ut pro subventione reverendissimi magistri ordinis, qui a multis provinciis desolatis exigere non valet contributiones sibi debitas, singulis annis in perpetuum, incipiendo in praesenti anno, solvere debeat eidem reverendissimo summam ducatorum centum de camera, quem tamen conventum ob id liberamus
10 ab omni collecta extraordinaria, quae a provincia Regni quacumque de causa imponi contigerit, et a residentia provincialium in eodem conventu nisi semel in anno gratia visitationis ordinariae per quindecim dies.

Acceptationes.

Acceptamus facultatem theologiae erectam Remis ab illustrissimo do-
15 mino domino cardinali Lodoringiae et fratres nostros hactenus in ea promotos et promovendos.

Item acceptamus universitatem Caturcensem ad petitionem diffinito-
rum et vicarii congregationis Franciae, dummodo tamen fiant in ea le-
ctiones et actus ordinarii sicut et in aliis universitatibus, alioquin in ea
20 promoti nullo modo pro graduatis habeantur.

Acceptamus universitatem et studium generale in conventu sanctae
Catherinae Giennensis provinciae Bethicae, damusque facultatem reverendo
provinciali moderno, ut de officialibus studii provideat, et qui in eo studio
promoti fuerint, pro rite promotis habeantur, dummodo tamen habeatur
25 prius apostolica facultas in tali studio promovendi ad gradus.

Acceptamus domum sanctae Mariae de monte Sion in civitate Hi-
spalensi erectam ab illustrissima domina Mencia de Guzman cum sta-
tutis debitis per eam in suo testamento ordinatis et per capitulum pro-
vinciale dictae provinciae acceptatis et approbatis.

30 Acceptamus monasterium sororum sanctae fidei de Caesaraugusta et
illud submittimus curae ordinariae provincialis pro tempore provinciae
Aragoniae.

Privationes et absolutiones.

Quoniam provincia Provinciae est vehementer desolata ac de hae-
35 resi gravata nec adhuc coepit visitari a patre provinciali, cui circiter
annum est commissa, qui etiam de praesenti non potest superintendere,
utpote praeventus in causa haeresis coram inquisitore, et non scitur,
quando aut etiam quis exitus causae erit, ipsa vero provincia praesen-
tissimum expostulat remedium, quare ipsum reverendum patrem et ma-
40 gistrum provincialem fratrem Iacobum Bourghignosium iam nostra au-
ctoritate ab officio suspensum deponimus et absolvimus ac absolutum

esse declaramus ab officio provincialatus. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Insuper eidem sub poena gravioris culpae interdicens omne ministerium sacrorum ordinum ac praedicationis officium, donec de exitu causae suae tam apud inquisitorem Carcasonensem quam apud senatum Tholosanum iuridice admonuerit patrem generalem magistrum, 5
cui imponimus, quod eundem non relaxet, donec exhibuerit sententiam perfectae iustificationis et non solum relaxationis.

Privamus magistrum Ursetum conventus Tharasconae perpetuo omni voce activa et passiva in actibus capitularibus suae provinciae duntaxat.

Restitutiones. 10

Restituimus provinciae Romanae locum sancti Vincentii de Nursia illumque eidem provinciae incorporamus, praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto provinciali nunc et pro tempore dictae provinciae, ut curam illius suscipiat et de praelato et fratribus provideat ac superintendentiam habeat monasterii sororum, 15
iuxta quod consueverunt facere in aliis locis suae provinciae in omnibus et per omnia.

Restituimus locum Franchaevillae vicariae sancti Petri Martyris, liberantes provinciam Lombardiae ab eius cura.

Restituimus ad gratias ordinis fr. Gulielmum Gullialmerium conventus sancti Maximini, in provincia Aragoniae fr. Hieronymum de Martis conventus Sardiniae, in provincia Calabriae fr. Antoninum de Polistina, fr. Petrum de sancto Georgio, fr. Antoninum de Amigdalara, fr. Vincentium de Calenzario, fr. Antoninum de Maida (1) magistrum. 20

Confirmationes. 25

Confirmamus seu damus in provincialem provinciae Terrae sanctae reverendum magistrum fr. Seraphinum de Brixia (2), qui eandem provinciam per vicarium regere possit, quamdiu est in societate reverendissimi magistri ordinis.

Confirmamus in provincialem provinciae Provinciae reverendum magistrum nostrum Vignole (2) conventus Aquensis cum solita auctoritate. 30

Confirmamus in provincialem provinciae Hispaniae reverendum patrem fr. Christophorum de Corduba (3) magistrum cum auctoritate solita.

Translationes.

Concedimus fratribus Antonio Rescio (4) et Michaeli Hermam sacerdotibus de provincia Angliae, ut possint affiliari in conventu aliquo supe- 35

(1) De fr. Antonino de Maida cf. supra pag. 19.

(2) De fr. Seraphino de Brixia et fr. Petro Vignole cf. supra pag. 26.

(3) De fr. Christophoro de Corduba cf. MOPH. IX, 329.

(4) De fr. Antonio Rescio cf. l. c. pag. 352.

rioris aut inferioris Germaniae, ubi locum invenerint, donec provincia Angliae fuerit restaurata. Transferimus etiam fr. Ioannem de Ochioa (1) magistrum ex provincia Hispaniae et ex conventu sancti Pauli Hispalensis ad conventum novum sanctae Mariae de Montesion eiusdem civitatis provinciae Bethicae, fr. Petrum a Toletto a conventu sancti Pauli Hispalensis ad conventum sancti Dominici Malechitani, fr. Bartholomeum de Pineda a conventu sancti Pauli Cordubensis ad conventum sanctae Mariae Magdalenaee della Guardia, fr. Alphonsum Dasa a suo conventu et provincia Hispaniae ad conventum sanctae Mariae Magdalenaee de la Gardia provinciae Bethicae, fr. Guilermum Fornerium a conventu Ruthe-
 5 nensi provinciae Tholosanae ad conventum Alesti provinciae Provinciae.

Item transferimus fr. Ioannem Baptistam de Diano in provinciam Provinciae, fr. Ludovicum de Aragonia laicum a provincia Aragoniae ad provinciam Regni, fr. Petrum Carellum a conventu suo Montis Albani
 15 congregationis Franciae ad provinciam Provinciae, approbantes eius affiliationem in conventu Narbonensi, fr. Vincentium de Castronovo a conventu Clarasci ad conventum Pinarollii, annullantes omnem aliam eius affiliationem, fr. Albertum de Reate a conventu suo ad conventum Campi Regii de Senis, fr. Thomam de Monacho (2) magistrum a conventu Drepani ad conventum sancti Dominici de Panormo, fr. Georgium Paes a conventu sancti Andreae Ubetensis ad conventum sancti Dominici de Porta Caeli, fr. Ioannem Martinez et fr. Antonium de Saldana ex provincia Hispaniae a suis conventibus ad conventum sanctae Catherinae Gienensis, fr. Petrum Coites a conventu sancti Dominici del Campo ad conventum
 25 praefatum sanctae Catherinae Gienensis.

Item in provincia Calabriae fr. Augustinum de Zagarisio (3) a conventu Zagarensi ad conventum Catanzarii, fr. Hieronymum de Zagarisio (4) ab eodem conventu ad eundem Catanzarii, fr. Ioannem Baptistam de Polistina a conventu Rossarni ad conventum Catanzarii.

30 Item transferimus fr. Agerycum Vercolier a conventu Verdunensi ad conventum Remensem provinciae Franciae, fr. Heliam Crochier provinciae Tholosanae a conventu Emilianensi ad conventum Podiizeritanum provinciae Aragoniae.

Concessiones.

35 Concedimus fratribus conventus Remensis provinciae Franciae, ut, quatenus succurrere possint futurae suae egestati, valeant aliquam suae

(1) De fr. Ioanne de Ochioa cf. MOPH. IX, 285.

(2) De fr. Thoma de Monacho cf. supra pag. 27.

(3) De fr. Augustino de Zagarisio cf. l. c. pag. 26.

(4) De fr. Hieronymo de Zagarisio cf. l. c. pag. 24.

habitationis partem super vicum publicum consistentem dare et alienare pro domibus edificandis, accedente tamen consensu maioris partis vocalium.

Concedimus fratribus vicariarum sancti Dominici, Romanae, sancti Petri Martyris, congregationis Marchiae et Aprutinae, ut priores conventuum conformiter ad seriem nostrarum constitutionum possint recipere 5 fratres ad habitum et ad professionem, dummodo tamen quoad receptionem utrorumque servetur series nostrarum constitutionum tam circa aetatem quam alia requisita.

Concedimus provinciae Bethicae ad ipsorum petitionem, ut in gratiam illius regionis possint sub festo toto duplici sanctos et doctores in- 10 frascriptos venerari diebus, quibus ab ecclesiis matricibus venerantur, videlicet de sanctis Isidoro, Leandro, Fulgentio, Yllephonso, Iusta et Rufina, Cisclo et Victoria, item similiter de archangelo Gabriele.

Concedimus fratribus provinciae Portugalliae ad eorum petitionem, ut provinciales electi incipiant exercere officium a die suae electionis, 15 impetrato tamen super hoc beneplacito et facultate per breve apostolicum, conformiter ad tenorem consimilis facultatis impetratae a provinciis Hispaniae et Bethicae.

Approbationes.

Approbamus magisterium reverendi patris fr. Eustachii de Bononia (1) 20 procuratoris ordinis.

In provincia Hispaniae approbamus praesentaturam de lectura sententiarum pro forma et gradu magisterii exclusive factam in capitulo Segoviensi fr. Philippi de Urries (2) pro collegio Vallis Oletani et fr. Alphonsi Munnos (3) pro conventu Tolletano et fr. Petri Porto Carriero (4) 25 pro conventu Abulensi.

Item approbamus expositionem pro lectura sententiarum pro forma et gradu magisterii inclusive fr. Philippi de Menesses (5) pro collegio sancti Gregorii Vallis Oletani, et fr. Pauli Marin (6) pro conventu sanctae Crucis de Carboneras pro forma et gradu magisterii exclusive, et fr. Ferdinandi 30 del Castillo (7) pro conventu sancti Pauli Vallis Oletani, et fr. Dominici Vanens magistri studentium in conventu Salmantino, et fr. Petri Hernandez pro conventu sanctae Crucis Segoviensis in capitulo sancti Dominici de Piedrahita promotorum.

(1) De fr. Eustachio de Bononia cf. SSOP. II, 327.

(2) De fr. Philippo de Urries cf. l. c. pag. 229.

(3) De fr. Alphonso Munnos cf. l. c. pag. 209.

(4) De fr. Petro Porto Carriero (Portocarrero) cf. l. c. pag. 329.

(5) De fr. Philippo de Menesses cf. MOPH. IX, 329.

(6) De fr. Paulo Marin cf. SSOP. II, 270.

(7) De fr. Ferdinando del Castillo cf. l. c. pag. 308.

Item approbamus magisterium fr. Ioannis della Penna (1).

In provincia Tholosana magisterium fr. Bertrandi Arabsu, fr. Dominici Samanos (2), fr. Petri de Casa (3), et praesentaturam fr. Raphaelis Fortis (2), fr. Emanei Goreri.

5 In provincia Franciae magisterium fr. Geraldii Leporis Remensis, fr. Ioannis Galois et fr. Nicolai Bonyn Senonensium in universitate Bituricensi, fr. Petri Canum (4) in studio Parisiensi et lecturam sententiarum fr. Renati Poinet Andegavensis, Augustini Bullot Belovacensis, Ioannis Chiampagne (5) Remensis in eodem.

10 Item lecturam bibliorum fr. Ludovici Galle (5) Pruviniensis in eodem studio.

In provincia Lombardiae magisterium fr. Bartholomaei de Lugo et Seraphini de Brixia (6).

In provincia Romana baccalaureatum fr. Paulini Bernardini de Lucca.

15 In provincia Regni magisterium fr. Vincentii de Aversa (7).

In provincia Germaniae superioris magisterium fr. Theoderici de Bosco (7) prioris Coloniensis.

In provincia Trinacriae magisterium fr. Thomae de Monaco.

In provincia Trinacriae magisterium fr. Mariani Valdina (8).

20 In provincia Aragoniae magisterium fr. Michaelis Pinedo (9), fr. Antonii Massot (10), fr. Thomae Alox (9) et fr. Laurentii Lopez (11).

In provincia Bethicae magisterium fr. Gregorii de Cruce, fr. Lucae de Caycedo, fr. Gabrielis de Sanctoio (12) et fr. Dionisii de Sanctis (13).

25 In provincia Germaniae inferioris approbamus licentias fr. Georgii Blavonis (14), fr. Ioannis Straetman (14) et fr. Balthasaris Textoris (15).

(1) De fr. Ioanne della Penna cf. SSOP. II, 270.

(2) De fr. Dominico Samanos et fr. Raphaele Fortis cf. supra pag. 19.

(3) De fr. Petro de [la] Casa cf. MOPH. IX, 354.

(4) De fr. Petro Canum (Canu) cf. SSOP. II, 216.

(5) De fr. Ioanne Chiampagne (Champagne) et fr. Ludovico Galle cf. supra pag. 21.

(6) De fr. Seraphino de Brixia cf. l. c. pag. 36.

(7) De fr. Vincentio de Aversa et fr. Theodorico de Bosco cf. MOPH. IX, 358.

(8) De fr. Mariano Valdina cf. supra pag. 22.

(9) De fr. Michaele Pinedo et fr. Thoma Alox (Alax) cf. l. c. pag. 18.

(10) De fr. Antonio Massot cf. l. c. pag. 19.

(11) De fr. Laurentio Lopez cf. l. c. pag. 20.

(12) De fr. Gabriele Sanctoio (Santoyo) cf. l. c. pag. 26.

(13) De fr. Dionysio de Sanctis cf. l. c. pag. 21.

(14) De fr. Georgio Blavonis et fr. Ioanne Straetman cf. l. c. pag. 20.

(15) De fr. Balthasare Textoris cf. l. c. pag. 23.

In provincia Portugalliae magisterium fr. Emanuelis de Vega (1), fr. Didaci de Morays (2), fr. Lupi de Avivo (2).

Item praesentaturam fr. Ludovici de Sotto-mayor (2), fr. Antonii de Aievedo (2), fr. Ludovici Perera (2), fr. Antonii Seran et fr. Francisci Forero (2). 5

In provincia sancti Ioannis del Peru magisterium fr. Dominici de sancto Thoma (3).

In congregatione Franciae magisterium fr. Rostanni Porcelli conventus Massiliensis, fr. Arnaldi Caupeti conventus Carcassonae, fr. Florii Provincii conventus Avenionensis, fr. Raymundi de Fivo conventus Ca- 10
strensis, fr. Petri Cachardi conventus Massiliensis, fr. Petri Guilloti (4) conventus Castrensis, fr. Ioannis de Roffiaco conventus Albiae, fr. Stephani Condomi conventus Castrensis, fr. Andreae Deodati eiusdem conventus, fr. Iacobi de Casanova conventus Tholosae, fr. Petri Radelli conventus Carcassonae, fr. Roberti Gentonis (5) conventus Phaniiovis; magiste- 15
rium fr. Guiliermi Caputlane conventus Albiae.

Item lecturam sententiarum fr. Ioannis Vineae (5) conventus Massiliensis.

In provincia Provinciae magisterium fr. Fulcrandi Varellos (6).

In vicaria sancti Petri Martyris magisterium fr. Cypriani de Hyp- 20
poregia (7) et fr. Leonardi Lappini (8).

In provincia Calabriae magisterium fr. Francisci de Amanthea (9) et baccalaureatum fr. Hieronimi Zagarensis (10) et fr. Thomae de Trenta.

Item magisterium eorum, qui in hoc capitulo per reverendissimum magistrum ordinis promoti sunt, videlicet fr. Hieronimi de Mendoza pro- 25
vinciae Bethicae, fr. Antonii Cavallerii conventus sancti Maximini, fr. Raymundi Ioannini (7) conventus Diensis, fr. Ioannis Bordini conventus Carcassonae, fr. Raymundi Cavalesii conventus Narbonae provinciae Pro-

(1) De fr. Emanuele de Vega cf. supra pag. 21.

(2) De ffr. Didaco Morays, Lupo de Avivo (Aveiro), Ludovico de Sottomayor, Antonio de Aievedo (Azevedo), Ludovico Perera (Pereyra), Francisco Forero (Ferrero) cf. l. c. pag. 18.

(3) De fr. Dominico de s. Thoma cf. MOPH. IX, 332.

(4) De fr. Petro Guilloti cf. l. c. pag. 333.

(5) De fr. Roberto Gentonis et fr. Ioanne Vineae cf. supra pag. 24.

(6) De fr. Fulcrando Varelos cf. MOPH. IX, 357.

(7) De fr. Cypriano de Hyporegia et fr. Raymundo Ioannini (Iannini) cf. l. c. pag. 359.

(8) De fr. Leonardo Lapini cf. supra pag. 21.

(9) De fr. Francisco de Amanthea cf. l. c. pag. 23.

(10) De fr. Hieronymo Zagaresio cf. l. c. pag. 37.

vinciae, fr. Iohannis Operarii conventus Auxensis congregationis Franciae et fr. Iordani Bassi de Utino vicariae sancti Dominici.

Sententias iudicum tam in materia fidei quam in aliis causis approbamus, ut iacent in omnibus.

5 Provisiones studiorum.

Quoad congregationem Gallicanam et suas provisiones ac promotiones disponimus ut infra: et primo absolvimus et absolutum declaramus ex nunc fr. Augustinum de Rivis (1) magistrum a vicariatu eiusdem congregationis ob certas causas animum nostrum iuste et rationabiliter
10 moventes, et continuo instituimus ac confirmamus in vicarium eiusdem congregationis ab eis electum fr. et magistrum Iulianum Fresneau (2) sub ista tamen lege et conditione, quod obedierit ordini realiter et cum effectu in subsequen-
15 id non effecerit, ipsum absolvimus nunc prout ex tunc et econtra et absolutum declaramus ab officio vicariatus et ei subrogamus in eodem officio fr. et magistrum Iulianum Borisorgueil (3) sub eadem conditione.

Circa provisiones conventus Parisiensis.

Restituimus et relinquimus eundem conventum in directione et auctoritate congregationis, ut prius erat.
20

Admittimus duos regentes praesentatos magistros videlicet Nicolaum Borini et Iacobum Dumei (4).

In alterum regentium continuamus et confirmamus fratrem et magistrum Iohannem Luppreau (5) Carnutensis provinciae Franciae. Fratres
25 vero Antonium Abeli (4) magistrum et Dominicum Sergent (4) ut indignos denegamus, quorum priorem scilicet Abeli assignamus conventui Trecensi, et privamus cubiculo, quod tenet extra dormitorium propter causas dignas. Alterum vero declaramus non pertinere ad conventum Parisiensem, sed eum remittimus assignatum ad conventum suae professionis sine gradu.

30 Quartum vero, quem idoneum in regentem nominaverint, confirmabit reverendissimus; fr. Iacobum Marchant omnium testimonio indignum reiicimus a sua nominatione et imponimus consilio, ut alterum idoneum nominet loco suo, et reverendissimus eum admittet; caeteros nominatos ad lecturas sententiarum et biblicorum acceptamus ut infra.

35 Lectorem vero logices fr. Hyeronimum Leconde ut omnibus modis

(1) De fr. Augustino de Rivis cf. MOPH. IX, 357.

(2) De fr. Iuliano Fresneau cf. SSOP. II, 233.

(3) De fr. Iuliano Borisorgueil (Brisorguill) cf. MOPH. IX, 357.

(4) De ffr. Iacobo Dumei, Antonio Abeli, Dominico Sergent cf. supra pag. 20.

(5) De fr. Ioanne Luppreau cf. l. c. pag. 21.

incapacem suae functionis destituimus, mandantes vicario congregationis confirmato, ut infra tres dies a praesentium promulgatione de consilio conventus alterum ei substituat.

In eodem studio Parisiensi pro anno 1561 ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii in magnis scholis assignamus fr. Petrum Nepos conventus Rotomagensis congregationis Gallicanae. 5

Eodem anno ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Albinum Caroli conventus Pruviniensis provinciae Franciae.

Eodem anno ad lecturam bibliae fr. Guilelmum Annel conventus Pollimiacensis provinciae Franciae. 10

Pro anno 1562 ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Franciscum Gorascium (1) conventus Florianensis vicariae Romanae.

Pro eodem anno ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii in parvis scholis fr. Ugonem Guillelmi conventus Cathalonensis congregationis Gallicanae. 15

Pro eodem anno ad lecturam bibliae fr. Ioannem Caronis conventus Compendiensi congregationis Gallicanae.

Pro anno 1563 ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii in magnis scholis fr. Herardium Prevot conventus Cenonensis provinciae Franciae. 20

Pro eodem anno ad lecturam sententiarum in parvis scholis alium nominent loco Marchant, ut praedictum est.

Pro eodem anno ad lecturam bibliae fr. Franciscum Moriscet conventus Pictavensis provinciae Franciae. Assignamus ad praesenturam pro anno 1562 fr. Adrianum de Atrio (2) provinciae inferioris Germaniae conventus Atrebatensis. 25

In studio Bononiensi pro praesenti anno 1561 in regentem fr. Stephanum de Ast (3) magistrum, pro duobus aliis annis fr. Vincentium de Soncino (3), in baccalaureum pro primo anno fr. Vincentium de Soncino, pro secundo et tertio fr. Georgium de Vercellis (3). 30

In magistrum studii pro primo anno fr. Archangelum de Gambulato, pro secundo fr. Angelum de Cremona, pro tertio fr. Marcum de Verona.

In studentes pro rata provinciae Provinciae fr. Thomam Caravado conventus Niciensis et fr. Petrum conventus sancti Maximini. 35

(1) De fr. Francisco Gorascio cf. SSOP. II, 272.

(2) De fr. Adriano de Atrio cf. supra pag. 21.

(3) De ffr. Stephano de Ast, Vincentio de Soncino, Georgio de Vercellis cf. l. c. pag. 18.

Pro rata vicariae Romanae fr. Stephanum de Senis.

Pro rata vicariae sancti Petri Martyris fr. Antonium de Ripolis, et loco primi loci vacantis fr. Iohannem Dominicum de Montereali.

In studio Coloniensi in regentem fr. Theodoricum de Bosco, in magistrum studii fr. Antoninum Rescium (1), in lectorem phisices fr. Cornelium Heusden, in lectorem logices fr. Gulielmum Ghenepli; quos duos ascribimus numero studentium theologiae.

In studio Tholosano in regentem fr. Andream Deodatum magistrum conventus Castrensis et in eodem promovemus ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii pro primo anno fr. Laurentium Privati conventus Tholosae, pro secundo fr. Petrum de Lana eiusdem conventus, pro tertio anno fr. Petrum Pasturini conventus Castrensis.

In studio Lovaniensi providebit reverendus provincialis cum suo difinitorio.

In studio Neapolitano sancti Dominici providebit reverendissimus iuxta morem provinciae.

In eodem studio assignamus in studentes formales fr. Matthiam de Salerno, Antoninum de sancto Angelo, Athanasium de Magdalono et Ludovicum de Medunio pro tribus annis, fratrem vero Chrisostomum de Balneolo pro uno anno duntaxat.

Pro rata provinciae Calabriae fr. Ferdinandum de sancto Georgio pro tribus annis, fr. Dominicum de Galeato reassignamus pro uno anno.

Pro rata vicariae sancti Dominici assignamus fr. Virgineum de Utino.

In studio Patavino de regente pro primo anno providebit reverendissimus, pro secundo et tertio assignamus magistrum Iohannem Ambrosium Barbavarium (2), in baccalaureum pro primo anno videlicet pro 1561 fr. Iohannem Baptistam Pipi Siculum (3), et pro eodem anno in baccalaureum extraordinarium fr. Albertum de Venetiis; in biblicum pro eodem anno fr. Camillum Patella Tarvisinum (4), in magistrum studii fr. Alphonsum Soto de Florentia. Pro secundo anno in baccalaureum fr. Damascenum de Cypro, in extraordinarium fr. Aloisium de sancta Iustina Patavinum, in biblicum fr. Alphonsum de Soto Florentinum, in magistrum studii fr. Petrum Martyrem de Rodigio, pro tertio anno in baccalaureum fr. Alphonsum de Soto de Florentia, in biblicum fr. Petrum Martyrem de Rodigio. In magistrum studii fr. Hieronimum Bigarella de Utino (5). Qui tamen omnes prius examini rigoroso subiiciendi

(1) De fr. Antonino (Antonio) Rescio cf. supra pag. 36.

(2) De fr. Ioanne Ambrosio Barbavario cf. MOPH. IX, 356.

(3) De fr. Ioanne Baptista Pipi cf. supra pag. 22.

(4) Idem est ac Camillus Gattella, de quo l. c. pag. 23.

(5) De fr. Hieronymo Bigarella de Utino cf. SSOP. II, 279.

sunt, et si digni aliudicati fuerint, admittantur, sin minus reiiciantur et alii loco eorum a reverendissimo deputentur. In examinatores autem eorum damus reverendum regentem et magistros Adrianum de Venetiis (1) et Iohannem Ambrosium Barbavarium de Mediolano.

In studio sanctae Mariae Novellae de Florentia de regente, bacca- 5
laureo et magistro studii providebit reverendus provincialis sive vicarius cum suo diffinitorio.

In studio Mediolanensi sancti Eustorgii in regentem pro duobus primis annis fr. Lodovicum Codebo Mediolanensem magistrum, in bac-
calaureum pro eisdem annis fr. Philippum de Mediolano (2), in biblicum 10
fr. Bartholomeum de Prelormo (2), in magistrum studii pro primo anno fr. Hieronymum de Ast (3), et pro secundo anno fr. Matthiam de Aquario (4), in regentem pro tertio anno fr. Philippum de Mediolano, in
baccalaureum fr. Bartholomeum de Prelormo, in biblicum fr. Hierony-
mum de Ast, in magistrum studii fr. Ioannem Baptistam de Albinga. 15

In studio Cracoviensi provinciae Poloniae providebit reverendissimus vel provincialis.

In studio Barchinonensi in regentem pro tribus annis fr. Anthonium Massot (5) magistrum, in baccalaureum fr. Franciscum Garsiam (6), in magistrum studii quem designabit reverendissimus vel reverendus pro- 20
vincialis.

In studio Valentino in regentem fr. Petrum de Salamanca (7), in bac-
calaureum fr. Iacobum Serranum, de magistro studii providebit reveren-
dissimus vel provincialis.

In studio Caesaraugustano in regentem fr. Thomam de regibus (7) 25
magistrum, in baccalaureum et magistrum studii quem providebit reve-
rendissimus vel provincialis.

In studio Cordubensi in regentem fr. Vincentium Mexiam (8) magi-
strum, de aliis officialibus providebit reverendissimus vel provincialis.

In studio Hispalensi de regente et aliis officialibus providebit reve- 30
rendissimus vel provincialis de eius commissione.

In studio Panhormitano provinciae Trinacriae in regentem fr. Tho-

(1) De fr. Adriano de Venetiis cf. MOPH. IX, 355.

(2) De fr. Philippo de Mediolano et fr. Bartholomaeo de Prelormo cf. supra pag. 23.

(3) De fr. Hieronymo de Ast cf. l. c. pag. 17.

(4) De fr. Matthia de Aquario (Aquaris) cf. l. c. pag. 22.

(5) De fr. Antonio Massot cf. l. c. pag. 39.

(6) De fr. Francisco Garsia cf. SSOP. II, 267.

(7) De fr. Petro de Salamanca et fr. Thoma de Regibus cf. supra pag. 20, 23.

(8) De fr. Vincentio Mexia cf. SSOP. II, 198.

mam de Monacho magistrum, in baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Augustinum de Cathania (1), pro tertio anno et de aliis officialibus providebit reverendissimus vel prior provincialis cum suo diffinitorio.

In studio Ulixbonensi et de Bello de regente et aliis officialibus providebit reverendissimus vel prior provincialis cum suo diffinitorio.

In studio Nanetensi congregationis Gallicanae fr. Natalem Ponselth (2) conventus Valliasensis, fr. Thomam Guilelmi conventus Argentonensis pro anno 1561, pro anno vero 1562 fr. Iohannem Sagliart conventus Compediensis et Iohannem Rassert conventus E[b]royssensis.
10 Pro anno autem 1563 fr. Iohannem Piglaut conventus Turonensis et Iohannem Rabiglion conventus Redonensis et Gabrielem Messonier.

In studio Avenionensi congregationis Franciae in regentem fr. Petrum Galisardum (3) magistrum conventus Arelatensis, ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii pro anno 1561 fr. Germanum de
15 Torta conventus Revelli, pro anno 1562 fr. Iohannem Operarii conventus Auxensis, pro anno 1563 fr. Ludovicum Vitalis et fr. Stephanum de Lahayo conventus Avinionensis.

In studio Andriae provinciae sancti Thomae de regente providebit reverendissimus vel provincialis de eius commissione. In baccalaureum
20 pro primo anno fr. Thomam de Bitonto, pro secundo et tertio fr. Salvatore de Castellaneto (4), in magistrum studii pro primo anno fr. Vincentium de Tarento (5), in caeteris providebit reverendissimus.

Licentia promovendorum.

In provincia Tholosana ad magistrum fr. Emaney Gorori et fr. Petrum Doryandi (6), ad praesentaturam fr. Bartholomeum Fita Bayonensem.

In provincia utriusque Lombardiae ad magistrum fr. Vincentium de Soncino (7) completo suo baccalaureatu, ad baccalaureatum fr. Clementem de Genua.

In provincia Regni ad magistrum fr. Ambrosium de Lapigio (8)
30 et fr. Bartholomeum de Pola (9), ad baccalaureatum fr. Antonium de Camerota (10).

(1) De fr. Augustino de Cathania cf. MOPH. IX, 359.

(2) De fr. Natale Ponselth cf. supra pag. 21.

(3) De fr. Petro Galisardo cf. SSOP. II, 246.

(4) De fr. Salvatore de Castellaneto cf. supra pag. 24.

(5) De fr. Vincentio de Tarento cf. MOPH. IX, 359.

(6) De fr. Petro Doryandi cf. l. c. pag. 329.

(7) De fr. Vincentio de Soncino cf. supra pag. 42.

(8) De fr. Ambrosio de Lapigio cf. MOPH. IX, 355.

(9) De fr. Bartholomaeo de Pola cf. l. c. pag. 333.

(10) De fr. Antonio (Antonino) de Camerota cf. SSOP. II, 293.

In provincia Aragoniae ad magisterium fr. Thomam Esquivel (1) praesentatum, fr. Michaellem Pinedo (2) praesentatum, fr. Ludovicum Nadal (2) praesentatum, fr. Ludovicum Mas (3) praesentatum, ad gradum autem baccalaureatus sive praesentaturae fr. Franciscum Gartia, fr. Iacobum Serano. 5

In provincia superioris Germaniae concedimus fr. Antonio Ressio (4) de provincia Angliae, ut possit in universitate Coloniensi promoveri ad gradum baccalaureatus et magisterii, servatis his, quae in eadem universitate servari solent.

In provincia Bethicae ad magisterium fr. Iohannem de sancto Petro (5) 10 (in) modernum vicarium insularum fortunatarum, Gregorium Casueglia (5) Vincentium Carillo, Hieronimum de Mendoza, Anthoninum a Leone (6), Georgium de la Fonte, et fr. Laurentium de Figaroa (5), dum tamen prius legat pro more sententias. Ad praesentaturam vero fr. Michaellem de Lara, Didacum Ordognes, Alphonsum de Ortega, Augustinum Salu- 15 tium (7), Andream Romero, Martinum Cano et fr. Albertum de Casaus.

In provincia Germaniae inferioris ad magisterium inclusive fr. Georgium Bacconis (8), fr. Iohannem Egigis (8), fr. Petrum Bacherium (9), fr. Paulum Coiye (10), fr. Heliam Buxtel, fr. Iohannem Straacmen (8), qui ubi duobus annis servierit conventui suo et consensum suae provin- 20 ciae obtinebit.

In provincia Calabriae ad magisterium fr. Hieronimum de Zagarisio (11) et fr. Thomam de Trenta, transacto anno praesenti, fr. Iohannem Baptistam de Polistina.

In congregatione Franciae ad magisterium fr. Iohannem Vineae (11) 25 conventus Massiliensis.

In vicaria sancti Petri Martyris ad magisterium fr. Dionysium de

(1) De fr. Thoma Esquivel cf. supra pag. 20.

(2) De fr. Michaelle Pinedo et fr. Ludovico Nadal (Natalis) cf. l. c. pag. 18, 39.

(3) De fr. Ludovico Mas cf. l. c. pag. 23.

(4) De fr. Antonio Rescio cf. l. c. pag. 43.

(5) De ffr. Ioanne de s. Petro, Gregorio Casueglia (Casuela), Laurentio de Figaroa cf. l. c. pag. 19.

(6) De fr. Antonino a Leone cf. MOPH. IX, 330.

(7) De fr. Augustino Salutio cf. SSOP. II, 346.

(8) Videntur esse idem ac Georgius Blavonis, Ioannes Egidii, Ioannes Straetman, de quibus supra pag. 20, 39.

(9) De fr. Petro Bacherio cf. SSOP. II, 347.

(10) De fr. Paulo Coiye cf. l. c. pag. 267 et supra pag. 46 (Cuije).

(11) De fr. Hieronymo de Zagarisio et fr. Ioanne Vineae cf. supra pag. 40.

Mediolano (1) et fr. Philippum de Mediolano (1), et ad baccalaureatum fr. Bartholomeum de Praelormo (1).

In vicaria sancti Dominici ad magisterium fr. Camillum de Venetiis (1) et fr. Iordanem de Utino (2).

5 In studio Consentino provinciae Calabriae in regentem pro primo anno fr. Franciscum de Amantea (1) magistrum, pro secundo et tertio fr. Hieronimum de Zagarisio, in baccalaureum pro primo anno fr. Thomam de Trenta, pro secundo et tertio providebit reverendissimus vel provincialis de commissione sua et de aliis officialibus. Et reassignamus
10 in studentem fr. Iohannem Baptistam de sancto Georgio.

In studio Civitatis Regum del Peru provinciae sancti Ioannis Baptistae de regente et aliis officialibus providebit provincialis de consilio discretorum patrum.

In studio Montispezzulani provinciae Provinciae fr. Raymundum Cavalesium, fr. Iohannem Boldinum ad lecturam sententiarum et fr. Iohannem Baptistam de Diano in conventu Aquensi ad consimilem lecturam.
15 Commissiones.

Committimus ac mandamus reverendo provinciali Franciae et prioribus suae provinciae respective, quatenus dent operam efficacem, ut
20 omnes alienationes perpetuae rerum immobilium suorum conventuum factae iuris forma non servata annullentur et via iuris ordini restituantur.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut provideat provinciae sancti Antonini de novo Regno de provinciali, qui eam regat per se absque dependentia ad provinciam sancti Iohannis Baptistae del Peru,
25 declarantes eandem provinciam sancti Anthonini in omnibus et per omnia ab praefata provincia sancti Iohannis Baptistae separatam.

Committimus et mandamus reverendis patribus provincialibus, vicariis, prioribus et praesidentibus conventuum totius ordinis, ut singulis mensibus acta huius capituli legi faciant.

30 Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem in praemissis et circa praemissa et omnia alia declarandi, interpretandi, addendi vel minuendi et omnia et singula faciendi, quae capitulum generale et nos facere possumus, prout eius prudentiae visum fuerit opportunum.

35 Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Pio papa quarto quilibet sacerdos unam missam.

(1) De fr. Dionysio de Mediolano, Philippo de Mediolano, Bartolomaeo de Praelormo, Camillo de Venetiis, Francisco de Amantea cf. l. c. pag. 23, 40, 44.

(2) De fr. Iordane de Utino cf. l. c. pag. 22.

Pro felici celebratione sacrosancti oecumenici concilii quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimis regibus et principibus christianis et pro pace inter eos conservanda et pro bono statu reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam. 5

Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Morono, protectore ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino cardinali Alexandrino et aliis prelati ex ordine nostro assumptis quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus et his qui recepti fuerunt ad beneficia ordinis per reverendissimum generalem, et pro his qui huic capitulo elemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam. 10

Pro statu et reformatione nostri ordinis ac reverendissimi magistri generalis cum eius societate ac etiam pro reverendo procuratore ordinis, quilibet sacerdos unam missam. 15

Ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semper letaniae, conversis vero et laicis decies pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima reverendissimi domini cardinalis domini Matthaei de Ursinis ex nostro ordine assumpti, qui perpetuam elemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster. 20

Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

Pro animabus eorum qui, dum viverent, per litteras magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque aliis benefactoribus quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster. 25

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus reverendis provincialibus et diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias eius unum ex iis, qui usque ad hanc diem fuerunt apostatae vel damnati ad poenas gravioris culpae suae provinciae et in sua provincia tantum, non tamen suspectum de fide. 30

Concedit idem reverendissimus magister ordinis et omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod sacerdotem nostri ordinis, alias ad confessionum audientiam expositum, sibi in confessorem semel tantum eligere et ab eodem de praeteritis usque ad praesentium notitiam casibus, peccatis, excessibus et censuris omnibus absolvi possint, a quibus sua reverendissima paternitas absolvere potest. 35

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum primum, assignamus in conventu Bononiae provinciae utriusque Lombardiae, hinc ad tres annos videlicet 1564. 40

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
 BONONIAE CELEBRATI
 IN CONVENTU SANCTI DOMINICI
 IN FESTO SANCTISSIMO PENTHECOSTES
 5 ANNO DOMINI ·M^o·D^o·L^o·XIII^o· DIE XX. MAII.

Sub reverendissimo patre fr. Vincentio Iustiniano Chiensi (1) sacrae theologiae professore magistro generali ordinis praedicatorum, diffinitibus reverendis diffinitoribus videlicet :

- fr. Ioanne Gallo (2) magistro diffinitore provinciae Hispaniae,
 10 fr. Petro Martire de Lugano diffinitore provinciae utriusque Lombardiae,
 fr. Angelo Diaceto (3) diffinitore provinciae Romanae,
 fr. Iordano Crispo (4) magistro diffinitore provinciae Regni,
 fr. Ioanne Genserico magistro diffinitore provinciae Theutoniae,
 fr. Antonino Frondelino de Chio concionatore diffinitore prov. Graeciae,
 15 fr. Aurelio Schilino Brixienti Inquisitore diffinitore prov. Terrae sanctae,
 fr. Raimundo Paschasio (5) magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
 fr. Cornelio de Tabia diffinitore provinciae Provinciae,
 fr. Marino de Brachia priore diffinitore provinciae Dalmatiae,
 fr. Nicolao Diaz (6) diffinitore provinciae Portugaliae,
 20 fr. Alphonso della Milla (7) magistro diffinitore provinciae Bethicae,
 fr. Dominico Zeghers Bruxellensi diffinitore prov. Germaniae inferioris,
 fr. Antonino de Martina (8) magistro diffinitore provinciae s. Thomae,
 fr. Francisco de Amanthea (9) magistro diffinitore provinciae Calabriae.

Frater Vincentius Iustinianus Chiensis sacrae theologiae professor,
 25 totius ordinis praedicatorum generalis magister et servus, universis eiusdem ordinis professoribus salutem.

In eum statum et conditionem N., res nostrae, ut de maioribus ecclesiae universalis negotiis sileam, pervenerunt, ut si mihi nunc verum

(1) De fr. Vincentio Iustiniano cf. supra pag. 26.

(2) De fr. Ioanne Gallo cf. MOPH. II, 356.

(3) De fr. Angelo Diaceto cf. supra pag. 2.

(4) De fr. Iordano Crispo cf. SSOP. II, 200.

(5) De fr. Raymundo Paschasio cf. supra pag. 23.

(6) De fr. Nicolao Diaz cf. SSOP. II, 319.

(7) De fr. Alphonso della Milla cf. MOPH. IX, 333.

(8) De fr. Antonino de Martina cf. supra pag. 24.

(9) De fr. Francisco de Amanthea cf. l. c. pag. 47.

nobis fatendum sit, non magis videre possum lachrimis, ne et commiseratione agendum sit an remedio. Quid enim tam salubre a nobis excogitari potest, quid, si cum morborum multitudine et rerum nostrarum iactura conferatur, non debile prorsus et ineptum appareat? Nil inter nos amplius quietum, omnia perturbatissima cernimus, amplissimas provincias amisimus, quam plurimae fluctuant, dicam rectius, maximam passae sunt tempestatem, et quid reliquum est, si structuras et lapidea edificia liceat inspicere, vix speciem religionis retinet, adeo a pristino nostro candore excidit et quotidie a patrum et maiorum nostrorum sanctissimis sanctionibus et decretis exorbitat. Sed tandem si lachrimis et deplorationibus tantum nobis incumbendum est, profecto amissa non reparabimus et reliquias nostras, ne pessum eant, quemadmodum summum periculum instare videtur, minime curabimus.

Quo circa longe magis opportunum esse puto, ab his deplorandis revocato animo, nostra ingenia, vires et studia in hoc unum enixissime transferre, quomodo vulnus hoc nostrum, si non sanari per omnia, constringi saltim et cohiberi queat. Ad hoc enim sanctissimi patres huc convenistis, hac de causa primum quidem ut synodi, quas generalia capitula appellamus, singulis annis et subinde quolibet triennio celebrentur, est a maioribus nostris constitutum.

Primum autem et praecipue vos alloquor, patres, ad quos summa ferendarum legum deducitur, nobis elaborandum est, ut studeamus collapsam regularem disciplinam restituere, abusus, qui sucreverunt, tollere, vota ut inviolabiliter observentur, totis viribus intendere, sublatis iniquissimis glossis, prout et sanctissimi patres in hac oecumenica Tridentina Synodo statuerunt, honesta studia renovare et tandem, quemadmodum vitae nostrae et bonis moribus consulamus, et quid in ipsis ad Dei gloriam et proximorum salutem agendum sit, diligentissime circumspiciamus.

Quis enim ignorat, universalis etiam ecclesiae praesentes fluctus, quos cernimus, suam hinc originem ac radicem deduxisse, et si natura comparatum est, eadem via recessum fieri, qua fuerit accessus factus, intelligere iam potestis, unde nobis exordiendum sit, quo principio, qua fronte morbum hunc diluere conveniat.

Praescriptus est modus, constitutas habemus leges, ad quas omnia revocare componereque singula necessarium existimo, nihil intactum, turbatum, inhonestum, non ornatissimum nobis patres nostri reliquerunt, tantum nos auctores patronos, severos vindices habeant, et tunc foelicissimam serenitatem nobis illuxisse sentiemus. Recolite, quomodo superioribus aetatibus patres nostri se gesserint, gravissimas leges tulerint, et ab earum observatione nec latum unguem discesserint, qua constan-

tia, qua fortitudine sint inter pericula versati, quo robore animi, qua maiestate nunquam de suo iure cesserint, exilia potius, deportationes, praesenti vita carere diligebant, quam dignitatem suam contemni patientur.

5 An fortasse id agebant, quoniam de se suisque commodis, honoribus, voluptatibus rationem aliquam haberent? Nonne rebus ipsis praeclarissime demonstrarunt, nullam aliam cogitationem eorum animis insedis-
10 illi quidem partis suae esse curas et labores cogitabant, fructus vero et emolumenta in filios et posteritatem pervenire debere; satis enim futurum ipsis putabant, si virtutum omnium angelicae quin potius apostolicae cuiusdam vitae experimentum suis posteris edidissent.

15 Quid igitur agimus, patres, quo ferimur, quo rapimur? Num ad huius sanctae familiae etiam nomen ipsum exterminandum? Num et nos ipsi nostrae religionis nostrarumque legum iugum excussimus evulsimusque de pectore memoriam? An non potius revelli viscera, totum corpus exenterari, exhalare spiritum omnem satius nobis fuerit quam in talem calamitatem incidisse? Fierine potest, ut tantam legum nostrarum in-
20 observantiam, studiorum neglectum, corruptissimos mores, abusus subintroductos conniventibus oculis suspiciamus? Quo stupore laboramus, cur non obviam imus, cur medelam differimus? Oh nos miseros, qui somnia existimamus extremam rerum nostrarum ruinam quiescimusque, ac si omnia tuta forent et nullum immineret periculum.

25 Expectant filii patrum saluberrima decreta, id expetunt sanctissimi ecclesiae praesules, et totus denique orbis in nos oculos dirigit, modo dignitates vestrae se tales praestent, quales bonorum omnium animus et sentit et sperat futuros esse. Dignissimum autem fuerit talem de vobis expectationem non frustrari, omnesque cognoscant, non temere, sed di-
30 vino spiritu, quem saepius invocamus, magnaue causa huc convenisse.

Surgite itaque N. et una mecum emulatores simus legis dei et testamenti patrum nostrorum, ut filiis benedictionem, et nobis aeternam gloriam promereamur.

35 In nomine domini nostri Iesu Christi et beatae Mariae semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta, quae in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo authore, praepōnuntur.

De sacri concilii Tridentini decretis.

40 In primis quoniam generalis reformationis a sacrosancta synodo Tridentina dudum propositae pars non modica est, quae regularibus in-

stituitur, eius nos sanctissima decreta omni pietate suscipientes, et qua decet obedientia, exequi cupientes universis fratribus nostris tam praelatis quam subditis districte iniungimus, ut ipsius sacri concilii canones praecipue, qui de regularibus praescribuntur, attente legant et sollicite observent. At nequam deinceps possint ignorantiam praetexere, omnibus prioribus aliisque nostrorum conventuum praesidentibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ut intra mensem a notitia praesentium ea, quae in ultima sessione de regularibus ac monialibus statuta sunt, in communi mensa sive in capitulo publice legi faciant, et quicquid in communi vel in particulari in nostris conventibus reformandum viderint, sedulo iuxta praedictos canones conentur exequi.

Quaedam vero, quae potiora et nostro instituto magis necessaria visa sunt, huius capituli actis inserere decrevimus.

Mandamus igitur, quod in proximis capitulis provincialibus in quolibet provincia nostri ordinis celebrandis per provincialem seu vicarium et diffinitores diligenter provideatur, ut nostris conventibus, in quibus litterarum studia vigent et in aliis etiam, qui ab ipsis idonei iudicabuntur, sacrae scripturae lectio assignetur, ad quam praelegendam ii potissimum assumantur, quorum doctrina et fratres et saeculares convenientes spirituales fructum referre possint.

Diligenter attendant praelati nostri ordinis et quicumque alii fratres omnia, quae circa reverendissimorum episcoporum observantiam a sancta synodo fuerunt statuta, et si examinare velint expositos ad confessiones audiendas aut promovendos ad ordines, humiliter pareant, neque ipsis contradicentibus etiam in nostris ecclesiis praedicare praesumant. Et si in aliquo horum durius aliquando cum fratribus nostris agere videantur, aequo animo sustineant nec super ea re quaestiones habeant aut lites intendant; caeterum si non ferenda gravamina interim occurrant, consulatur reverendissimus generalis vel illius provinciae superior praelatus, ut secundum eorum consilium de oportuno remedio provideatur.

Denuntiamus omnibus fratribus nostris privilegia olim circa promovendorum aetatem ordini nostro concessa a sancta synodo revocata esse; nullus itaque in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vicesimum secundum, ad diaconatus ante vicesimum tertium, ad presbiteratus ante vicesimum quintum aetatis suae annum promoveatur, et nihilominus statuta alia de vita, moribus ac scientia ordinandorum inviolabiliter observentur. Post susceptionem vero minorum ordinum nemo intra annum ad maiores promoveatur, nec subdiaconus infra alterius anni spatium ad diaconatum ascendat, nisi ea sit necessitas ministrorum, quae patrum consilio iudicetur, sufficiens causa, ut aliter fiat, et ordinaturo episcopo etiam referatur.

In nostris conventibus, in quibus fratrum est sufficiens multitudo, sacri altaris ministeria etiam minima ab ordinatis ministris, quoad fieri possit, exerceantur. Nullusque deinceps sacris vestibus indutus solemniter epistolam canere permittatur, qui ad eum ordinem non fuerit promotus, iniungimusque visitoribus nostri ordinis et superioribus praelatis, ut si in nostris conventibus tales abusus invenerint, poenitus de medio tollant et delinquentes severe vindictae subiiciant.

Quoniam ad extirpandum proprietatis vitium praecipue sancta synodus intelisse videtur, ne quod in fratribus nostris illius vestigium supersit, omnibus nostri ordinis professoribus horum serie denuntiamus, quod omnia bona immobilia et quicumque annui redditus vel proventus, undecunque advenire soleant, communi nostri ordinis utilitati incorporata et applicata sunt, sicut etiam nos praesenti decreto applicamus et incorporamus, et illis conventibus nostri ordinis incorporata et applicata sunt, sicut etiam nos praesenti decreto applicamus et incorporamus, et illis conventibus nostri ordinis applicata censeantur, quibus secundum iura et nostras constitutiones potissimum debentur. Quod si in hac causa dubium acciderit, cui conventui applicari debeant, reverendissimus generalis vel superior praelatus illius provinciae aut congregationis, quid in hac parte faciendum sit, de maturo discretorum consilio quam citius decernat.

Ad haec omnes licentias generales suscipiendi aut expendendi pecunias sive quaecunque alia absque proprii prioris consensu requisito vel retinendi aut conservandi pecunias extra commune depositum, etiam si a reverendissimo generali sint obtentae, ex nunc abrogatas esse volumus et declaramus. Neque de caetero eiusmodi licentiae generales absque rationabili causa alicui concedantur, officialibus conventuum, qui communia procurant, exceptis. Qui vero a suis conventibus absunt, quam primum ad eos fuerint reversi, propriis praelatis dati et accepti rationem reddere teneantur.

Praeterea ne in mobilium usu superfluum aliquid inveniatur, praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae omnibus nostrorum conventuum praesidentibus, ut intra unum mensem a notitia praesentium omnium subditorum, nemine excepto, privatas cellas visitent et eorum suppellectilia considerent. Quod si aliquid invenerint, quod statui paupertatis non conveniet, auferant et communi applicent utilitati. Deinceps vero fratres nostri singulis annis sua omnia praelatis exponant et subiiciant, sicut in nostris constitutionibus decretum est.

Verum quod deinceps ex communibus bonis conventuum facilius possit singulorum necessitatibus subveniri, districte iniungimus reverendis provincialibus et difinitoribus capitulorum provincialium, quae proxime

celebranda sunt, ut certum aliquem in singulis conventibus numerum statuunt fratrum, qui iuxta domus facultatem commode sustineri possint, nec sine licentia provincialis aut superioris prelati illius provinciae praefixus numerus augeatur.

Praecipimus etiam in virtute spiritus sancti omnibus fratribus monachialium nostri ordinis praepositis, ut infra mensem a notitia praesentium illis omnibus denuntient, privatos redditus et proventus, si quos habent in particulari, ex nunc suis conventibus incorporatos et unitos esse. Studeant tamen dicti praepositi, ut ex eiusmodi proventibus, quae ipsis monachalibus olim erant designati, sic eis provideatur, ne dum proprietatis species aufertur, earum iustae necessitati ulla ex parte subsidium desit.

Nullus fratrum nostrorum se alicuius principis vel episcopi aut communitatis sive cuiusvis alterius obsequio subiiciet vel ad legendum aut praedicandum absque sui praelati licentia suas operas locet, alioquin tamquam inobediens et proprietarius puniatur, neque a nostris conventibus cuiquam absque praesidentis licentia recedere liceat etiam praetextu adeundi superiorem, nisi cum ab eo fuerit evocatus. Quod si contra fecerit, tanto tempore poenae gravioris culpae subiaceat, quanto extra conventum absque licentia fuerit commoratus. Illi vero qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in quibus sunt nostri ordinis conventus, in ipsis duntaxat habitent, alioquin omni gradu acquirendo habeantur indigni et insuper a provinciali sive a praelato dicti conventus iusta animadversione puniantur.

Denuntiamus fratribus nostris, professionem ante sextum decimum annum expletum deinceps fieri non posse, et si secus fiat, irritam esse, ut sancta synodus decrevit. Mandamus autem nostrorum conventuum praesidentibus, ut quoad fieri possit, ad habitum non recipiant pueros ante quintum decimum annum, et cuicumque novitio, cum ad habitum recipitur, coram omnibus explicetur, professionem ad praedictum tempus esse faciendam. Quod si pueri ante quartum decimum annum fuerint aliquando recepti, adhuc nostra constitutio in capitulo de novitiis observetur, ut ultra sextum decimum annum tres alii menses superaddantur, in quibus de assumendo religionis statu commodius deliberare queant.

In recipiendorum sive novitiorum donationibus sive renuntiationibus sollicite omnia illa serventur, quae sancta synodus praecepit; ad quoscunque igitur contractus eiusmodi faciendos ordinarii primum licentia requiratur et solum intra duos menses ante professionem fiant; verumtamen cuiusvis donationis aut renuntiationis praetextu nullum ius ante professionem acquisitum esse intelligant. Praecipitur etiam sub anathematis poena, ne quidpiam etiam sponte oblatum a parentibus vel cura-

toribus novitiorum praeter eorum victum et vestitum fratres nostri recipiant. Quod si aetatis propectae novitii ad monasterium aliqua detulerint, praecipimus nostrorum conventuum praelatis, ut ea omnia in communi deposito servanda reponant, et in libro ad hoc deputato conscribi faciant, addita subscriptione ipsius novitii et aliorum duorum fratrum; neque etiam de eius licentia ante professionem expendi possint aut alienari.

Circa monialium clausuram sic earum praefecti omnesque nostri ordinis fratres sanctae synodi novum decretum servandum esse intelligant, ut tamen antiqua constitutio Bonifacii octavi, quae nostris constitutionibus est inserta, in sua robore persistat. Quod si aliqui ex fratribus nostris, sive consuetudine sive privilegio sive alia speciali licentia vel causa praeter eas, quae in novo decreto vel antiqua constitutione exprimuntur, aliter sibi licere praetenderint, a sancta synodo haec omnia abrogata esse cognoscant; nos etiam quantum praesenti decreto possumus, huiusmodi consuetudines et licentias penitus revocamus et insuper reverendissimo generali committimus, ut omnes, qui circa hoc obrepserunt, abusus sedulo auferri curet et in concedendis in posterum licentiis multa moderatione uti velit.

Quia vero sancta synodus prohibet, quod sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterii monialium conservetur, non obstante quocumque indulto aut privilegio, mandamus visitoribus aliisque monialium praefectis, ut in prima visitatione post horum notitiam futura, antequam a monasterio monialium recedant, quod hoc decreto praeceptum est, sine ulla excusatione aut mora exequantur providentes, ut quantum fieri possit, is locus conservandae eucharistiae deligatur, qui existentibus intra chorum monialibus conspicuus sit.

Omnia vero et singula, quae nostri ordinis monialibus convenient, earum praefecti studeant quam diligenter observari ea praecipue, quae circa earum receptionem et ingressum constituta sunt; et ne forsitan aliquam excusationem aut ignorantiam deinceps obtendere possint, provideant reverendi provinciales sive superiores praelati, quorum gubernationi creditae sunt, quod per fratres idoneos ab ipsis deputandos haec sacri concilii decreta in proprium regionis idioma transferantur cum huius capituli ordinationibus, quae ad ipsorum executionem sunt appositae, et singulis conventibus monialium sua exempla transmittant; et cum ad visitandum accesserint, de horum observatione diligenter inquirant. Formam quoque electionis inferius ponendae distincte ac clare in singulis conventibus monialium explicare studeant, ut secundum eam deinceps in futuris electionibus procedatur.

Quae circa missarum numerum a sancta synodo decreta sunt, exequi cupientes, illius auctoritate nostro generali capitulo commissa in hac parte

fungentes, mandamus omnibus prioribus et aliis praesidentibus nostrorum conventuum in virtute spiritus sancti, ut infra mensem a notitia praesentium maior praelatus cum tribus patribus, qui a consiliis solent esse in conventu, omnes missas, quae defunctorum testamenti relictæ et a conventu fuerint susceptæ, ut perpetuo vel singulis aut aliquibus die- 5
bus determinatæ dicerentur, in numerum redigant et ex alia parte similiter summum stipendii sive eleemosinae, quæ pro qualibet missa instituta fuit. Deinde ratione habita stipendii sustentationis, quod nunc iuxta morem cuiusque patriæ pro una missa dignum communi aestimatione censeretur, ex illis omnibus certum aliquem missarum numerum in po- 10
sterum dicendarum statuunt, quem inviolabiliter prædicti conventus fratres possint implere, super quo eorum conscientias oneramus, ut quoad fieri possit, æqua sit aestimatio, cum ad eximendos fratrum nostrorum scrupulos hoc remedium maxime necessarium sit. Et nihilominus in quotidianis capitulis et aliis suffragiis, quæ extra fieri solent, defunctis, 15
qui talia sacrificia petierunt, coram divina misericordia subveniatur.

At ne deinceps huiusmodi suffragiorum et missarum gravamina nostris conventibus imponantur, nulla in posterum perpetua obligatio ad certas missas vel suffragia admittatur, nisi cui tale fuerit sustentationis annexum subsidium, quod prudentum iudicio sufficiens aestimetur. Ut 20
vero cum maiori consideratione omnia hæc fiant, nolumus, quod huiusmodi contractus rati habeantur, nisi praelati et maioris partis fratrum consensus accesserit, et praelati oppositum facientes a suis officiis absolvantur. Quod si alicubi ea est consuetudo, ut provincialis adhuc licentia requiratur, nolumus eam ullo pacto derogari. 25

Praesidentibus quoque nostrorum conventuum et aliis, qui huiusmodi eleemosinis recipiendis deputati fuerint, districte præcipimus, quatenus missarum per singulos dies advenientium eum numerum dumtaxat admittant, quem commode possint implere, ne ultra modum gravati occurrentibus aliis necessitatibus providere nequeant, et ne hac occasione 30
sacerdotes aut non admodum dispositi aut ex consuetudine potius quam devotionis affectu ad tremendum altare interim accedant.

Quia electionum libertati quam maxime sancta synodus consultum voluit, admonemus in primis reverendos provinciales et alios superiores, quibus potestas dirigendi et confirmandi electiones commissa est, ut ea 35
quam modeste utantur. Quare ubi specialis necessitas non fuerit, nullus electoribus proponatur. Quod si necessarium existimabunt, non pauciores quam tres pro singulis electionibus proponant. Caeterum si electores alioquin dignum, quamvis non de propositis elegerint, eam tamen electionem confirmator divini iudicii memor, nisi iusta subsit causa, con- 40
firmare non differat. Quod si circa alterum horum severiori remedio in-

terim opus fuerit, reverendissimo generali committimus, ut opportune studeat adhibere.

Quo vero recte omnia et sine ulla fraude fiant, ab eadem sancta synodo diffinitum est, ut praelati et officiales deinceps eligantur per vota secreta, ita quod eligentium nomina nunquam publicentur; in huius ergo executionem praecipimus universis fratribus nostris, ut in futuris electionibus infrascripta forma deinceps observetur, et si secus factae fuerint, irritae prorsus habeantur. Singuli electores in schedula scribant electi nomen vel scribi faciant, eligentis autem nomen nunquam scribatur, nec scrutatoribus nec confirmatori electionis unquam reveletur.

Ad recipiendum vero praedictas schedulas tres scrutatores a constitutionibus deputati sedeant, quibus conventus possit addere quartum, quem electores eligant in capitulo per schedulas tribus primis exhibendas, et qui plures habuerit, quamquam vota non excesserint medietatem, ille nihilominus sit quartus scrutator. Quod si duos aequalia vota habuisse constiterit, ille praefendus est, qui fuerit antiquior in ordine, ita quod ex primo scrutinio quartus ille scrutator semper habeatur, pro ea dumtaxat electione.

Postquam vero praedicti tres aut quatuor scrutatores ad mensam in conspectu omnium sederint, schedulas involutas ab electoribus accipiant et in urnam aut capsulam demittant, nihil aliud respicientes, nisi quod una tantum ab uno exhibeatur. Postquam omnes acceperint, in communi effundant et legant, et facta collatione numeri ad numerum, cum invenerint, quod aliquis extra collegium aut numerum eligentium existens fuerit electus a maiori parte ultra medietatem omnium eligentium, eius electio rata et legitima habeatur. Si vero de numero ipsorum eligentium aliquis electus fuerit, ut illius electio rata et legitima habeatur, duo vota ultra medietatem adesse oportet, ne fraudi locus adsit, et ne possit aliquis se ipsum eligere. Habito schedularum numero et collatione facta numeri ad numerum schedulae omnes in conspectu praesentium electorum exurantur, deinde in medium capitulum venientes scrutatores nomina publicent eorum, qui fuerunt electi, exprimentes numerum votorum, quem unusquisque habuit. Quod etiam faciendum est, licet nullus fuerit a maiori parte ultra medietatem electus, ut ad secundum scrutinium possint dirigi electores. Decretum vero electionis ab illo, qui inter scrutatores primus fuit, quamvis electo suum votum non contulerit per haec verba formetur: ego frater N. vice praesentium electorum eligo fratrem N. in priorem etc. Quod si primus scrutator fuerit electus, secundus scrutator in publicando scrutinio et formando decreto succedat. Et ea solum, quae in capitulo publicantur, in decreto electionis ad confirmatorem mittendo scribenda sunt, subscriptis nominibus scrutatorum,

clausum vero et sigillo munitum ad confirmatorem transmittatur. Et idem modus eligendi servetur in electione prioris provincialis et magistri ordinis et diffinitorum capituli generalis et provincialis et socii prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale. In reliquis vero omnibus, quae hic non expresse mutantur, antiqua statuta observentur. Socii vero provincialis euntis ad capitulum generale sive diffinitoris capituli generalis eodem modo a diffinitoribus capituli provincialis eligatur aut designetur, sicut antea consuevit fieri. In receptione quoque novitiorum ad habitum sive ad professionem, et in praestando consensu in contractibus, quae circa temporalia negotia fieri solent, nihil innovatum censeatur. 10

Declaramus praeterea, ut in illis provinciis, in quibus vel ex apostolico indulto vel probata et iam diu recepta consuetudine praeter nomen electi solent apponi alia nomina eorum, qui simul postulatur, ea consuetudo deinceps conservetur, et nomina eorum, qui postulatur, numerus quoque postulantium similiter in capitulo publicentur. 15

Inchoationes.

Inchoationum loco, quae in similium capitulorum actis solent praemitti, quantum possumus, in domino hortamur et admonemus omnes reverendos provinciales, diffinitores atque alios quoscunque nostri ordinis praelatos, ut a mutatione legum et multitudine ordinationum abstineant, quibus fratres nostri onerari potius solent quam iuvari, sed omnes animi nervos intendant, ut antiqua statuta serventur et novi abusus excidantur, ii potissimum, qui in multiplicandis censuris et praecipis iam excrevisse videntur. Quare auctoritate nostra omnes sententias excommunicationis latae sententiae, quae in nostris constitutionibus vel generalium capitulorum actis non sunt expressae, praesentium tenore revocamus, praecipis tamen et ordinationibus, quibus erant appositae, in suo robore permanentibus. Et quoniam in huiusmodi sententiis ferendis sancta synodus moderamen esse voluit, deinceps attendant reverendi provinciales et diffinitores, ut nisi pro gravioribus causis, quae praesentaneum exigunt remedium, non imponantur. Priores etiam conventuales quam rarissime et matura deliberatione censuris uti debent, et qui in hoc faciles inventi fuerint, a suis superioribus corrigantur. Praecepta etiam ad mortale peccatum obligantia aut nulla aut quam paucissima fiant, maxime circa eas ordinationes, quae longo tempore sunt duraturae. In aliis quoque omnibus, quae ad relevandas subditorum conscientias necessaria videbuntur, praelati se benignos et faciles exhibeant, memores illius qui misericordiam dilexit plus quam sacrificium. 20 25 30 35

Confirmationes.

Confirmamus hanc, quod in capitulo quarto decimo de studentibus distinctione 2, ubi dicitur: nec aliquis magistratur in theologia, nisi prius 40]

actus exercuerit pro forma et gradu praedicti magisterii per quatuor annos ad minus in aliqua universitate, adlatur: vel legitima exercitia fecerit in lectura et aliis actibus, quae in eadem universitate, in qua promoveri debet, de iure fieri consueverunt. Et haec habet duo capitula.

5 Item confirmamus ordinationem in praecedentibus capitulis saepe factam, quod novitii in minoribus conventibus recepti non retineantur soli aut bini in eisdem conventibus, sed ad maiores mittantur, ubi saltem in numero senario sub probato magistro educari possint; a cuius cura iuniores ante quadriennium nullatenus subtrahantur, salva illarum provin-
10 vinciarum consuetudine, in quibus usque ad sacerdotium praedicti iuvenes magistris novitiorum subiecti sunt. Et quoniam haec ordinatio necessaria est, praecipimus inviolabiliter observari ab omnibus prioribus nostrorum conventuum et in prima visitatione proxime futura priores provinciales et alii visitatores, antequam a minoribus his conventibus
15 recedant, novitios, quos inibi invenerint, iuxta hanc ordinationem ad maiores transmittant.

Item confirmamus, quod in conventu, ubi sunt iuvenes, sit aliquis lector, qui eos doceat grammaticam vel artes iuxta eorum capacitatem. Sint etiam in omnibus conventibus, in quibus maiora studia non vigent,
20 lectores casuum conscientiae, et assidue de ipsis collationes fiant, et quod nullus promoveatur ad baccalaureatum, nisi saltem per tres aut quatuor annos in artibus legerit, exceptis studiis Parisiensi et Lovaniensi, in quibus promovendi consueta exercitia ab universitate statuta servabunt.

Item confirmamus, quod iam olim a multis capitulis decretum est,
25 ut quicumque a solida sancti Thomae doctrina recesserint, novitates ipsi contrarias verbo vel scripto inducentes, ab officio lectoratus et ab alio quocumque officio gradu et dignitate perpetuo priventur; super quo provinciales diligentissime invigilent hoc potissimum tempore, in quo manifeste compertum est, illius doctrinam summopere necessariam esse.

30 Item quod nullus prior provincialis aut conventualis nullusve praesidens sub poena suspensionis ab officio recipiat fratres fugitivos aut vagabundos alterius provinciae sine licentia provincialis illorum, et hactenus sic receptos a noxia praesentium expellant. Mandantes omnibus fratribus nostri ordinis sub poena gravioris culpae, ne quis extra terminos suae
35 provinciae aut conventus praedicet in nostris vel alienis ecclesiis aut quaestum faciat sine licentia magistri ordinis aut reverendi provincialis aut prioris, in quorum terminis praedicare aut quaesturare contigerit.

Item confirmamus aliam, quod provinciales aut vicarii non possint pro electione prioris facienda vicarios mittere ad conventus nisi in casu
40 magnae dissensionis eligentium, vel quando conventus adeo fuerit destitutus, quod nullus in eo sit, qui electionem dirigere queat, et nihilo-

minus qui sic missus fuerit, voce passiva careat in eadem electione; irritum decernentes, quicquid secus factum fuerit.

Item quod translationes filiorum de conventu in conventum non possint fieri nisi de consensu maioris partis filiorum utriusque conventus respective in conventu praesentium, ac requisito etiam consensu reverendi provincialis, exceptis tamen provinciis desolatis. 5

Item quod reverendi provinciales earum provinciarum, in quibus non viget arcta regularis observantia ad petitionem fratrum arcte regularem vitam servare volentium teneantur sine difficultate assignare unum vel plures conventus, in quibus secundum rigorem constitutionum nostrarum religiose vivere possint, et si provinciales aut vicarii hoc negaverint aut se difficiles praestiterint, recurrant dicti fratres ad reverendissimum magistrum ordinis, qui eis providebit, ne spiritum dei contingat extinguí, proviso tamen, quod nulla singularitas in habitus forma vel qualitate inferatur, et conventus sub cura et iurisdictione provincialis remaneat, cui ante subiectus erat. 15

Item confirmamus et inviolabiliter observari praecipimus, quod qui de haeresi vehementer suspecti ante sex annos abiuraverunt, vel deinceps abiuraverint, non possint restitui aut promoveri ad aliquod officium vel dignitatem nostri ordinis toto tempore vitae eorum, sed permittantur in humilitate deflere peccatum suum, irritum decernentes, quicquid in oppositum factum fuerit. 20

Item confirmamus et approbamus ordinationem factam a reverendissimo generali pro Aragoniae provincia, quod provincialis electus statim provinciam regere incipiat, sic tamen quod tempus sui provincialatus computetur a die, quo fuit electus et inceptit provinciam gubernare. 25

Item confirmamus ordinationes factas tam in capitulo Avenionensi quam in aliis praecedentibus super contributionibus solvendis reverendissimo magistro ordinis tam a provinciis quam ab aliquo singulari conventu, quas omnes praecipimus deinceps observari. 30

Item confirmamus ordinationem factam in eodem capitulo de numero magistrorum provinciae Regni, quod numerum duodenarium non excedant.

Declarationes.

Declaramus, quod si priores conventuales in provinciales electi fuerint, statim ut provincialatus confirmationem acceperint, ab officio prioratus censeantur absoluti, etiam si talis absolutio in litteris confirmationis non fuerit expressa. 35

Declaramus, quod magistri in theologia, qui in eodem capitulo acceptati fuerint aut approbati, inter se locum obtineant secundum antiquitatem, quam in ordine habuerint. 40

Declaramus, quod provinciales, qui suum tempus expleverint aut etiam fuerint absoluti, in eisdem provinciis non possint ad id officium assumi infra tantum tempus, quanto duorum provincialium integra officia durare solent.

5 Declaramus, provinciales provinciae Bohemiae debere perseverare in officio provincialatus per sexennium et non ultra, ita tamen quod intermedia capitula secundum ordinis consuetudinem non intermittant.

Declaramus, quod diffinitores capituli provincialis suam auctoritatem ultra duos dies prorogare non possunt, ita quod a die electionis eorum
10 usque ad diem, quo illorum auctoritas spirat, nunquam sint nisi decem dies, cum in constitutionibus nostris hic numerus dierum diffinitoribus capituli generalis assignetur, et ibidem habeatur, quod capitula provincialia intra praetaxatum numerum dierum terminentur.

Declaramus, quod si aliquis prior conventualis in diffinitorem capituli generalis vel in socium illius electus fuerit, solum propter absentiam a suo conventu absolvi non potest, et facta absolutio irrita habeatur. Quod si aliae causae ad absolvendum fuerint, reverendis provincialibus iudicandae relinquuntur.

Admonitiones.

20 Admonemus in primis reverendos provinciales, ut in conventibus nostris, qui haereticorum terris sunt appositi, studeant habere viros doctrina praeditos, dei zelo et spiritu plenos, qui adversus infidelium incursus murum se opponant pro ecclesia dei.

Item admonemus reverendos provinciales, ut circa ingressum ad
25 monasteria monialium magnam custodiam adhibeant, et quando gravis necessitas pro sui officii executione intrare compulerit, unum tantum aut duos ut plurimum socios eosque graves secum adducant. Inferioribus autem monialium praefectis ipsi reverendi provinciales leges praescribant, quando eis et cum quibus sociis ingredi liceat, super quo eorum conscientias oneramus, ut fratrum et sororum honestati quam maxime consultum sit.
30

Item admonemus reverendos provinciales, ut, si quando fratres apostatas ad ordinem receperint, qui olim scandalose vixerunt, ad eos conventus transmittantur, in quorum terris non sit tam manifesta praecedens eorum infamia, etiam si aliorum conventuum sint filii, quorum filiationem non intelligantur amisisse.
35

Item admonemus omnes inquisitores et commissarios nostri ordinis, ut si quid in fratribus nostris circa fidem aut religionem corrigendum intellexerint, non ante adversus eos procedant, quam proprium delinquentis praelatum adeant et admoneant, et communi consilio et auctoritate negotium geratur. In conventibus etiam, in quibus dicti inquisi-
40

tores et commissarii commorantur, religiose et modeste se in omnibus studeant exhibere, et rationes dati et accepti suis provincialibus aut superioribus reddere teneantur.

Item admonemus et admonendo praecipimus omnibus verbi dei praedicatoribus, ut aperte et animose pro fide loquantur adversus haereses, et ea fidei dogmata constanter et explicite proponant, quae loci et temporis ratio postulaverit, et contra christiani populi scelera strenue clament, et inter caetera blasphemiarum et periuriorum pravitatem frequentissime insectentur, admoneantque christifideles, ut indulgentiarum et privilegiorum, quae sanctissimus dominus noster Pius III. nunc concessit, participes efficiantur, quorum originalia in nostro diffinitorio exhibita fuerunt.

Item admonemus omnes praefectos et confessores monialium, ut unusquisque sibi subiectis denuntiet, reverendissimum magistrum ordinis statuisset, ut nulla soror ante quatuor annos a professione computandos ad electionem priorissae deinceps admittatur.

Item quod nulla soror nostri ordinis alicui sacerdoti regulari sive saeculari extra obedientiam nostri ordinis constituto confiteatur absque expressa licentia proprii praesidentis, et quae contra fecisse deprehensae fuerint, severe corripiantur. Admonemus tamen omnes earum praefectos, ut statutum sacri concilii de extraordinariis confessoribus mittendis diligentissime observetur.

Admonemus etiam reverendos provinciales, ut, cum celebrandae electiones in conventu aliquo tempus instat, etiam si priori mensis unus supersit sui officii, maxime abstineant a mutationibus fratrum in dicto conventu, in quo instat electio, nisi in his casibus, qui nostris constitutionibus exprimuntur, ne propter hoc eligentium libertati aliquod praedudicium fieri videatur.

Ordinationes.

Ordinamus in primis, quod in omnibus conventibus nostri ordinis bis aut ter in anno constitutiones nostrae in communi mensa legantur, et diligenter attendant praelati, ne contra eas abusus aut consuetudines praevalere incipiant, super quo provincialium et visitorum conscientias oneramus; ut si quos priores aut praesidentes invenerint, qui abusus inducant aut consuetudines nostris legibus contrarias in communi tolerant, in poenam ab officiis absolvant, et omnibus fratribus nostris ea cura maxima sit, ut regularis disciplina, sicubi collapsa est, ad pristinum statum restituatur.

Item ordinamus, quod omnes caeremoniae, quae ad altaris ministerium et ad alia divina officia in nostris ordinariis notatae sunt, diligenter observentur, et in eis addiscendis et exercendis iuvenes instituantur, et quoniam ex nostris rubricis dubia multa solent oriri, curet reve-

rendissimus generalis, ut per fratres ab ipso deputandos apertius omnia explicentur, quo in sacro illo altaris ministerio maxima uniformitas inter fratres nostros ubique appareat. Vestium quoque sacrarum et corporali-
5 decet sacrificium.

Item ordinamus, ut in examinandis et exponendis confessoribus et praedicatoribus magna diligentia adhibeatur, et secundum priorum discretionem non nisi in aetate matura ad audiendas confessiones extraneorum aliquis exponatur, neque liceat eis mittere iuvenes non sacerdotes
10 ad praedicandum, etiam in villulis, infra aetatem viginti quinque annorum, et qui contrarium permiserint, graviter puniantur. De caetero etiam fratres nostri et maxime iuvenes neque sine socio a praelato deputando nec sine testimonialibus literis a suis conventibus recedant, quas praesidentes conventuum, ad quos declinaverint, legere teneantur.

15 Item ordinamus, ut in promovendis studiis nostris sollicitos se praebeant reverendi provinciales et in eis reformandis sedulo invigilent provideantque in primis, ut temporis ad studendum praefixi maior pars theologiae quam artibus impendatur. Item in generalibus studiis duae
20 sunt, nec solum speculativa, sed etiam moralia a lectoribus praelegantur, et praetextu lectionis sacrae scripturae, de qua superius statutum est, circa studia scholasticae theologiae nihil poenitus immutetur.

Item ordinamus, quod in publicis disputationibus, quae deinceps in nostris capitulis generalibus aut provincialibus habendae sunt, asser-
25 tiones proponantur de pertinentibus ad sacram scripturam sive ad theologiam moralem aut speculativam. Alia vero, quae curiositati sunt potius quam utilitati, aut parce inserant aut omnino praetermittantur.

Item ordinamus, quod, quando in aliquo provinciali capitulo provincialis electio facienda occurrit, ipsa electio provincialis in principio
30 capituli celebretur; is vero qui tempus provincialatus officii tunc expleverit, in diffinitorem eiusdem capituli eligi non possit.

Item quod, qui in uno conventu fuerit electus semel in socium prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale, in eodem conventu non possit eligi in socium prioris pro capitulo provinciali immediate se-
35 quenti, et si secus fiat, irrita electio censeatur.

Item ordinamus et praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, ne de caetero frater aliquis cuiuscunque gradus et conditionis scribere praesumat per se vel per alium criminatorias literas vel de gra-
40 vioribus negotiis ad quascunque personas intus vel extra ordinem constitutas sine proprii nominis subscriptione, et qui in hoc deprehensus fuerit, poenae gravioris culpaе subiiciatur.

Item ordinamus et praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae reverendis provincialibus, vicariis, prioribus seu praesidentibus quibuscunque nostri ordinis, ne permittant, quod fratres in conventibus nostris sive sorores in monasteriis deinceps comedias sive repraesentationes faciant cuiuscunque generis, habitu mutato; oppositum vero permittentes a suis officiis in poenam absolvantur. Ordinamus item, quod de caetero nullus conversus sub habitu albo in nostro ordine recipiatur, nec eis detur licentia, ut clerici fiant absque digna et rationabili causa, quam reverendissimus magister ordinis iudicet, qui solus huiusmodi licentiam potest concedere. 10

Item ordinamus, quod si in aliquibus provinciis aut conventibus certa pecuniae summa consuevit assignari fratribus pro eorum vestibus, eiusmodi consuetudines poenitus aboleantur, et ex nunc abolitas esse declaramus. Provideant tamen praelati, ut secundum facultatem domus necessaria subministrentur, super quo diligentiam adhibeant visitatores, cum ad eos conventus visitandos accesserint. 15

Item ordinamus, quod in conventibus, in quibus defunctorum lectiones dominicis diebus dici solent, propter hoc hora nona ante prandium nullatenus dicatur, sed tempore consueto. Curam etiam habeant praelati, ut orationes, quae in silentio haberi solent a toto conventu post completorium et post matutinas aut nonam pro tempore, si alicubi in desuetudinem abierunt, omnino restituantur. 20

Item ordinamus, quod in nostris conventibus, in quibus hucusque pro communi deposito certus locus non habetur, intra breve tempus a visitoribus deputandum certus aliquis locus statuatur, in quo privilegia et aliae scripturae necessariae sub tribus clavibus conserventur; et si quando inde pro necessitate conventus fuerint productae, quam citius reponantur neque in cella prioris aut syndici nisi pro tempore necessario retineri possint. 25

Item ordinamus, quod festum sanctae coronae Domini celebretur sub totius duplicis solemnitate die septima aprilis. 30

Item quod festum beatae Barbarae et beatae Dorotheae eisdem illis diebus, quibus earum festa celebrari solent, sub toto duplici deinceps celebrentur.

Acceptationes.

Acceptamus in provincia Portugalliae domum sancti Antonii in oppido de Montemor, et domum sancti Salvatoris in oppido de Viena dotatam et fundatam a reverendissimo domino Bracharensi. 35

Acceptamus unionem apostolica auctoritate factam de loco sanctae Mariae de Azzanello dioecesis Cremonensis cum conventu sancti Domini de Cremona a reverendissimo patre generali laudatam et approbatam, et ubi secus quid attemptetur, totum sit irritum et inane. 40

Acceptamus et erigimus in conventum locum Suriani et locum Petrae Paulae in provincia Calabriae, dummodo habeant numerum fratrum in nostris constitutionibus requisitum.

Acceptamus universitatem a catholico rege Phylippo erectam in civitate Duacensi provinciae inferioris Germaniae, et concedimus, posse fratres in ea promoveri ad gradus, prout in aliis universitatibus fieri consuevit, ac idcirco approbamus baccalaureatum fr. Ioannis Gentil in eadem universitate promoti.

Acceptamus et erigimus in conventum locum Zacynthi provinciae Graeciae, dummodo re ipsa teneat numerum fratrum eis concessum in capitulo Romae celebrato 1546.

Acceptamus studium erectum in conventu Castelli pro vicaria Romana, dummodo in eodem realiter et cum effectu legant ea, quae in aliis studiis legi consueverunt.

Restitutiones.

Restituimus provinciae Romanae monasteria sancti Nicolai de Prato et sancti Petri de Urbe veteri, et praecipimus provinciali pro tempore in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut illarum curam recipiat et cum aliis monasteriis suae provinciae annumeret et de confessore, visitatione ac aliis, quae ad bonum illarum regimen requiruntur, provideat, prout in caeteris suae provinciae monasteriis facere consueverunt, invocato, si opus fuerit, auxilio superiorum ad debitam obedientiam eas reducendas.

Restituimus ad gratias ordinis fr. Albertum de Grangia (1), attenta fide et testimonio patrum diffinitorum sui capituli, quod plene sit purgatus de his, quibus fuerat apud sanctum Egidium proclamatus, absolvimusque eum ab omnibus poenis eidem in capitulo Avenionensi impositis, praedicta dumtaxat de causa stante relatione supradicta.

Restituimus similiter ad gratias ordinis fr. Petrum Martirem de Pleormo, quibus privatus erat, eo quod extra ordinem stetisset.

Item restituimus in provincia Calabriae ad gratias ordinis fr. Thomam Parisium de Seleno.

Commissiones.

Committimus magistro ordinis, ut si non constiterit sibi aliud in oppositum contra personam magistri de Varellos (2) provinciae Provinciae, electionem provincialatus factam in personam eius post completum tempus magistri nostri Vignole (3) confirmare debere, obtenta prius di-

(1) De fr. Alberto de Grangia cf. MOPH. IX, 330.

(2) De fr. Fulcrando de Varellos cf. supra pag. 40.

(3) De fr. Petro Vignole cf. l. c. pag. 26.

spensatione sedis apostolicae ad removendum scrupulum, qui oritur super validitatem eiusdem electionis celebratae in indebito tempore.

Committimus et imponimus rev. provinciali Germaniae superioris, ut omnem adhibeat diligentiam et studium, quatenus fratres iuvenes suae provinciae in aliquo conventu bene instituantur in his, quae ad religionem et studium pertinent, et si indiguerit opera aliquorum exterorum, admoneat rev. patrem generalem, qui operam dabit, ut aliqui idonei lectores ad illam provinciam mittantur pro eorundem iuvenum institutione.

Causam controversiae inter conventum Coloniensem et Augustanum coram nobis exhibitam pleno iure committimus rev. patribus Joanni Gressenico, magistro diffinitori huius capituli, priori Ulmensi, Colmariensi et Selistadiensi, ut partibus auditis et causa debite et mature tractata ius dicant.

Committimus rev. provincialibus provinciarum, quae solent exteros recipere in eorum provinciis gratia studii, ne nova gravamina eis imponant circa vestes et alia quae occurrere solent, quamdiu in provinciis degunt, sed servetur is mos, qui hactenus servatus est, vel eos in suas provincias non recipiant.

Committimus, prout alias commissum est, provinciali pro tempore provinciae Lombardiae congregationem Marchiae cum facultate instituendi vicarium, deputandi lectores, praedicatores et alia faciendi, quae ad bonum regimen et profectum eiusdem congregationis cognoverit expedire, cui mandamus in meritum obedientiae, ut omni semota excusatione superintendentiam hanc suscipiat et curam illius congregationis in omnibus gerat.

Translationes.

Transferimus fr. Vincentium de Quintiano (1) magistrum, fr. Ludovicum de Luere (2), fr. Seraphinum de Martinengo et fr. Seraphinum de Brixia (3) magistrum a suis conventibus originalibus in conventum sancti Dominici de Brixia. Transferimus etiam rev. patrem fr. Ioannem Mariam Tapparellum de Liagnasco (4) a suo conventu originali ad conventum sanctae Mariae Gratiarum de Mediolano.

Transferimus fr. Dionisium de Assisio (5) a suo conventu in conventum Fulginatensem et fr. Maximum et Ioannem de Castello a suis conventibus ad conventum Castelli et similiter fr. Gregorium de Civitate ve-

(1) De fr. Vincentio de Quintiano cf. MOPH. IX, 235.

(2) De fr. Ludovico de Luere cf. l. c. pag. 338.

(3) De fr. Seraphino de Brixia cf. supra pag. 39.

(4) De fr. Ioanne M. Tapparello de Liagnasco cf. l. c. pag. 26.

(5) De fr. Dionysio de Assisio cf. SSOP. II, 258.

tula ad eundem conventum Castellii. Transferimus similiter fr. Reginaldum de Melo provinciae Portugalliae a conventu Elbensi ad conventum Portuensem.

Transferimus fr. Ioannem Baptistam de Diano (1) a loco Diano provinciae Lombardiae ad conventum Draghiniani provinciae Provinciae et eum ibidem affiliamus, fr. Antonium de Montibus a conventu Castren. ad conventum Avenionen., fr. Remigium Nanini de Florentia (2) magistrum a conventu sanctae Mariae Novellae ad conventum sanctorum Ioannis et Pauli de Venetiis et fr. Alphonsum de Soto de Florentia (3) ab eodem conventu ad conventum sancti Augustini de Padua, fr. Vincentium de Corzula ex provinciis Indiarum ad provinciam Dalmatiae et ad conventum Corzulen. cum gratiis et gradu, et fr. Paulum Iadrensem (4) a conventu Pagensi ad conventum Iadrensem.

In provincia Aragoniae approbamus filiationes fr. Iacobi Gavarda magistri, fr. Balthasaris Ochioa et fr. Michaelis Rocca in conventu Oriolae; transferimus autem a conventu Valentino fr. Tamerit et restituimus ad suum proprium conventum.

Concessionones.

Concedimus provinciae Graeciae posse acceptare loca illis oblata, servatis tamen his, quae iure et secundum nostras leges servari debent, dummodo tamen ad minus alere possint quatuor fratres.

Concedimus provinciali Saxoniae, ut ius acquisitum a quibusdam suis conventibus alendi iuvenes in conventu Coloniensi in studio et bonis moribus, in alios conventus transferre suae provinciae, habentes filios, possit, cum ius hoc provinciae Saxoniae bonis acquisitum sit, hac tamen lege, ut quam primum priores conventus, qui ius acquisierunt, fratres ad hoc idoneos habere contigerit, iure suo uti possint, et Colonienses in hoc parere teneantur, non obstantibus quibuscunque.

Revocationes.

Revocamus omnes literas concessas vicariis locorum provinciae Regni, quibus deputantur in eisdem vicariatibus diuturno tempore, et remittuntur in omnibus debitae obedientiae et iurisdictioni suorum provincialium.

Revocamus concessionem in praecedenti capitulo factam vicariis de duobus studentibus mittendis ad studium Bononiense et volumus antiquum morem servari de uno duntaxat mittendo et non ultra.

Confirmationes.

(1) De fr. Ioanne Baptista de Diano cf. supra pag. 47.

(2) De fr. Remigio Nanini de Florentia cf. MOPH. IX, 355.

(3) De fr. Alphonso de Soto cf. supra pag. 43.

(4) De fr. Paulo de Iadra cf. l. c. pag. 22.

Confirmamus in priorem provinciam nostrae provinciae utriusque Lombardiae rev. patrem fr. Ioannem Mariam Tapparellum de Liagnasco lectorem theologum canonicè electum cum solita auctoritate et praecepto.

Confirmamus in vicarium vicariae olim provinciae sancti Petri Martiris rev. patrem fr. Ciprianum de Hipporegia (1) magistrum canonicè electum cum solita auctoritate et praecepto. 5

Approbationes.

Approbamus et acceptamus studium theologiae et artium nuper a capitulo provinciali Hispaniae Matricii celebrato institutum in conventu sancti Pauli Burgensi. 10

Acceptamus in provincia Lombardiae magisteria fr. Vincentii de Soncino (2) et Georgii de Vercellis (3).

In provincia Romana magisterium fr. Paulini de Lucca (4). Item lectionem sententiarum fr. Francisci Goracei (3) conventus Florian. et fr. Albini Caroli (3) conventus Pruvinen. et fr. Ugonis Guillelmi (3) Catalonen. 15 habitam Parisiis.

In provincia superioris Germaniae magisteria fr. Wilielmi Hameri (5) prioris Ulmensis, Matthiae Zitardi (6) Caesareae maiestati a sacris concionibus, et Ioannis Gerssen (7) praesentis capituli diffinitoris.

In provincia Portugalliae magisteria fr. Francisci Forreri (8) et Ludovici de Granata (9). 20

In provincia Aragoniae magisteria fr. Ludovici Mas (10), Ludovici Nadal (10), Petri Zatorres, Benedicti Desclergue et Michaelis Rubinat. Item praesentaturam fr. Petri Salvatoris et fr. Francisci Garcia (10).

In provincia sancti Thomae magisteria fr. Antonini de Martina (11), 25 Dionisii de Licio (12), Dominici de Tarento (12), Thomae de Bitonto (13), Thomae de Medunio (14) et Vincentii de Medunio (14).

(1) De fr. Cypriano de Hyporegia cf. supra pag. 40.

(2) De fr. Vincentio de Soncino cf. l. c. pag. 45.

(3) De ffr. Georgio de Vercellis, Francisco Goraceo, Albino Carolo, Hugone Guilelmo cf. l. c. pag. 42.

(4) De fr. Paulino de Lucca cf. l. c. pag. 39.

(5) De fr. Guilelmo Hamero cf. SSOP. II, 186.

(6) De fr. Matthia Zitardo cf. l. c. pag. 215.

(7) Idem est ac Ioannes Gensericus, Gressenicus, de quo supra pag. 49 et 66.

(8) De fr. Francisco Forrero cf. l. c. pag. 40.

(9) De fr. Ludovico de Granada cf. SSOP. II, 285, 826.

(10) De ffr. Ludovico Mas, Ludovico Nadal, Francisco Garcia cf. supra p. 46.

(11) De fr. Antonino de Martina cf. l. c. pag. 49.

(12) De ffr. Dionysio de Licio et Dominico de Tarento cf. l. c. pag. 21.

(13) De fr. Thoma de Bitonto cf. l. c. pag. 45.

(14) De fr. Thoma de Medunio et fr. Vincentio de Medunio cf. l. c. pag. 24.

In provincia Provinciae magisteria fr. Antonii Cavallerii (1) conventus sancti Maximini et fr. Raimundi Cavalesii (2) conventus Narbonensis, et praesentaturam fr. Ioannis de Mota (3) conventus Aquensis.

In provincia inferioris Germaniae magisteria fr. Georgii Blavoeth (4),
5 Ioannis Straetmani et Pauli Coye.

In provincia Bethicae magisteria fr. Vincentii Carrillo, Antonini de Leon, Hieronymi de Mendoza, Georgii de la Fuente, Gregorii de Casuella, Laurentii Figueroa et Petri Arias (5), et praesentaturas fr. Michaelis de Lara, Augustini Salutio, Andreae Romerò et Martini Cano.

10 In congregatione Franciae magisterium fr. Arnaldi sancti Fortis conventus Altvillararis et fratris Petri de Lana (6) conventus Tholosae. Item lecturam sententiarum fr. Ioannis Fortassis conventus Figiaci, Ioannis Vineae conv. Massilien., et Stephani de Lahyo (7) conv. Avenionensis.

In vicaria sancti Petri Martiris magisteria fr. Cipriani de Iporegia (8),
15 Leonardi de Florentia (8), Dionisii (9) et Philippi Mediolanen. (9), baccalaureatum fr. Bartholomaei de Plerormo (9).

Approbamus insuper magisteria fr. Hieronymi de Cremona (10), Angeli de Cremona (11), Vincentii de Lugo, Archangeli de Gambulato (11), Valerii de Placentia et Feliciani de Morbinio (12).

20 Item magisteria omnia et praesentaturas sive baccalaureatus omnium, qui ante hoc capitulum auctoritate reverendissimi magistri ordinis approbati sunt, et eorum etiam omnium, qui in hoc capitulo ab eodem magistro ordinis et diffinitoribus sunt expositi et promoti, acceptamus et eorum gradus approbamus cum omnibus gratis, quibus caeteri rite
25 in ordine nostro promoti gaudere solent et consueverunt.

Provisiones studiorum.

In studio Parisiensi ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii in magnis scholis pro anno 1564 fr. Bonus Campion conventus

(1) De fr. Antonio Cavallerio cf. supra pag. 40.

(2) De fr. Raymundo Cavalesio cf. l. c. pag. 47.

(3) De fr. Ioanne de Mota cf. l. c. pag. 20.

(4) De fr. Georgio Blavoeth, qui idem esse videtur ac Georgius Blavonis, ceterisque ad Ioannem Vineae cf. l. c. pag. 46.

(5) De fr. Petro Arias cf. l. c. pag. 19.

(6) De fr. Petro de Lana cf. l. c. pag. 43.

(7) De fr. Stephano de Lahyo cf. l. c. pag. 45.

(8) De fr. Cypriano de Hiporegia et fr. Leonardo de Florentia cf. l. c. pag. 40.

(9) De fr. Dionysio de Mediolano, Philippo de Mediolano, Bartholomaeo de Plerormo (Praelormo) cf. l. c. pag. 47.

(10) De fr. Hieronymo de Cremona cf. l. c. pag. 22.

(11) De fr. Angelo de Cremona et fr. Archangelo de Gambulato cf. l. c. p. 42.

(12) De fr. Feliciano Ninguarda de Morbinio cf. SSOP. II, 313; K. SCHELLHASS in *Quellen und Forschungen* etc. Bd. I. sqq.

Atrabatensis provinciae inferioris Germaniae. Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii pro eodem anno fr. Stephanus de Repas conventus Divionensis provinciae Franciae. Ad lecturam bibliae pro eodem anno fr. Ioannes Chambrelan conventus Vailliacensis congregationis Gallicanae. Ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii pro anno 1565 fr. Hieronymus Leconte (1) conventus Parisiensis congregationis Gallicanae. Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii pro eodem anno fr. Stephanus Cichee conventus Lingonensis provinciae Franciae. Ad lecturam bibliae pro eodem anno fr. Petrus Bovigeot conventus Lexoviensis provinciae Franciae. Ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Iacobus de Rost conventus Argentomensis congregationis Gallicanae pro anno 1566. Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii eodem anno fr. Marinus Hauribech conventus Cenomanensis congregationis Gallicanae. Ad lecturam bibliae pro eodem anno fr. Iacobus Bernardi conventus Ebroicensis congregationis Gallicanae.

Committimus vicario congregationis, non obstante quacunq[ue] nominatione, ut ius extraneorum conformiter ad ordinationes reverendissimorum generalium conservetur et nullum eis fiat praeiudicium.

Committimus vicario congregationis, ut de discretorum consilio ex quinque regentibus, qui habent assignationes, seligat quatuor, quos magis pro studio iudicaverit idoneos, et qui praesentes esse et actu legere debeant.

In studio Bononiensi in regentem pro praesenti anno rev. patrem fr. Vincentium de Soncino (2) magistrum, pro duobus aliis annis fr. Georgium de Vercellis (3) magistrum, in baccalaureum pro duobus annis primis ven. patrem fr. Clementem de Genoa (2), pro tertio anno fr. Thomam de Muriano (4), in magistrum studii pro primo anno fr. Petrum de Genoa, pro secundo et tertio providebitur secundum morem provinciae. In studentes pro rata provinciae Theutoniae fr. Lucam de Petovia suo tempore, pro provincia Provinciae fr. Vincentium Theobaldum de Nicia. Pro provincia Aragoniae fr. Petrum Pallau loco fr. Ioannis Almendrae. Pro provincia Portugalliae fr. Antonium de Conceptione et fr. Thomam de Susa. Pro provincia Trinacriae fr. Alphonsum de Zacca et fr. Albertum de Noto. Pro provincia Calabriae fr. Dominicum de sancto Georgio loco fr. Bar-

(1) De fr. Hieronymo Leconte cf. supra pag. 41.

(2) De fr. Vincentio de Soncino et fr. Clemente de Genua cf. l. c. pag. 45, 68.

(3) De fr. Georgio de Vercellis cf. l. c. pag. 68.

(4) De fr. Thoma de Muriano cf. MOPH. IX, 357.

tholomaei de Polistina et fr. Petrum de Neocastro loco fr. Francisci de Riolo. Pro congregatione Marchiae fr. Joannem de Recaneto.

In studio Salmantino et aliis studiis provinciae Castellae providebit reverendus provincialis cum suo diffinitorio.

5 In studio Tolosano in regentem studii fr. Iacobum Grifoleti magistrum conventus Malvicini et in eodem promovemus ad gradum magisterii fr. Joannem Fortassis praesentatum conventus Figiaci. De magistro studentium ac lectoribus sententiarum per reverendissimum generalem promotis ac etiam de lectoribus artium providebit vicarius congregatio-

10 nis. In eodem conventu pro studio artium fr. Monetum Muni de Grassa. In studio Perusino in regentem pro annis 1564, 1565 fr. Paulinum Bernardini de Lucca (1) magistrum, in baccalaureum pro eisdem annis fr. Thomam Nerium de Florentia (2), in magistrum studii pro annis 1564, 1565 fr. Vincentium Sectarium Perusinum, pro anno vero 1566 in re-

15 gentem fr. Thomam Nerium, quem ad magisterium suscipiendum licentiamus, in baccalaureum eiusdem anni 1566 fr. Nicolaum de Perugia (3) pro forma et gradu magisterii, in magistrum studii pro eodem anno 1566 fr. Angelum Corsinianum. In studio sancti Dominici de Neapoli in regentem pro tribus annis

20 fr. Antoninum de Camerota (4) magistrum, licentiatum in hoc capitulo, in baccalaureum pro primo anno fr. Iacobum de Petra (5), pro secundo et tertio fr. Augustinum de Neapoli, in magistrum studii fr. Bartholomaeum de Neapoli (6) pro primo anno, pro secundo autem et tertio eum quem etc. reverendissimus secundum ordinem provinciae designabit. In studentes in

25 eodem conventu sancti Dominici de Neapoli fr. Victorium de Neapoli et fr. Dominicum de Salerno, pro rata provinciae sancti Thomae fr. Horatium de Tarento et fr. Augustinum de Ferrandina, pro provincia Trinacriae fr. Paulum de Panhormo post completum studium fr. Hieronymi Infalleri, pro provincia Aragoniae fr. Ciprianum Forcadellum et fr. Mar-

30 tinum Duart.

In studio Coloniensi assignamus in regentem rev. patrem fr. Theodoricum a Busco (7) magistrum, in magistrum studii ven. patrem Vilel-
mum Gennepeum (8) sacrae theologiae baccalaureum, cui etiam commit-

(1) De fr. Paulino Bernardini de Lucca cf. supra pag. 68.

(2) De fr. Thoma Nerio de Florentia cf. MOPH. IX, 358.

(3) De fr. Nicolao de Perugia cf. supra pag. 23.

(4) De fr. Antonino de Camerota cf. l. c. pag. 45.

(5) De fr. Iacobo de Petra cf. MOPH. IX, 359.

(6) De fr. Bartholomaeo de Neapoli cf. l. c. pag. 358.

(7) De fr. Theodorico a Busco cf. l. c. pag. 39.

(8) De fr. Guilelmo Gennepeo (Gheneph) cf. l. c. pag. 43.

timus lecturam phisicorum, in lectorem logices fr. Ioannem Ludovici Francfordien.

In studio Friburgensi in magistrum studii fr. Cornelium Heusdem (1) sacrae theologiae baccalaureum.

In studio Lovaniensi in regentem rev. patrem fr. Ioannem Hentenii (2) 5 usque ad sequens capitulum provinciale, quo tempore committimus reverendo provinciali et diffinitoribus, ut provideant de regente, prout iudicaverint expedire, et simile de magistro studii. In magistrum studii pro anno currenti fr. Petrum Bacherii (3).

In studio Patavino pro primo anno in magistrum studii fr. Ioannem 10 Baptistam de Albinga (4), in biblicum fr. Hieronymum Bigarellam de Utino (5), in baccalaureum ordinarium fr. Petrum Martirem de Rovigo (5), in extraordinarium illum quem reverendissimus magister ordinis designaverit; pro secundo anno in magistrum studii fr. Adrianum de Padua, in biblicum fr. Ioannem Baptistam de Albinga, in baccalaureum ordinarium 15 fr. Hieronymum Bigarellam de Utino, in extraordinarium eum quem reverendissimus magister ordinis designaverit; pro tertio anno in magistrum studii fr. Robertum de Trivisio, in biblicum fr. Adrianum de Padua, in baccalaureum ordinarium fr. Ioannem Baptistam de Albinga, in extraordinarium illum quem reverendissimus designaverit; in lectorem 20 autem in dicto studio assignamus per duos aut tres annos fr. Albertum de Mathera provinciae sancti Thomae, quibus debite et cum actuali lectura transactis poterit illum reverendissimus magister ordinis ad gradum baccalaureatus admittere, prout suae prudentiae visum fuerit. Assignamus similiter in lectorem in conventu sancti Nicolai de Trivisio pro tribus 25 annis fr. Deodatum de Trivisio, quibus debite et in actuali lectura expletis, si reverendissimo magistro ordinis visum fuerit, ad gradum baccalaureatus poterit admitti. In regentem pro primo anno pro eodem studio damus rev. patrem fr. Alphonsum de Soto de Florentia (5) in praesenti capitulo magistrum promotum. 30

In studio Mediolanensi in regentem pro duobus primis annis magistrum Philippum Mediolanen. (6), pro anno tertio magistrum Dionisium de Mediolano (6), in baccalaureos licentiamus fr. Hieronymum de Ast (7)

(1) De fr. Cornelio Heusdem cf. supra pag. 43.

(2) De fr. Ioanne Entenio cf. MOPH. IX, 358.

(3) De fr. Petro Bacherio cf. supra pag. 46.

(4) De fr. Ioanne Baptista de Albinga cf. l. c. pag. 44.

(5) De ffr. Hieronymo Bigarella de Utino, Petro Martyre de Rovigo (Rodigiolo), Alphonso de Soto de Florentia cf. l. c. pag. 43, 67.

(6) De fr. Philippo et Dionysio de Mediolano cf. l. c. pag. 69.

(7) De fr. Hieronymo de Ast cf. l. c. pag. 44.

et Angelum de Taurino, et committimus vicario, ut de his in hoc biennio provideat, pro tertio fr. Alexandrum de Monte Regali, in magistrum studii pro primo anno fr. Alexandrum de Monte Regali, et eundem pro secundo biblicum, in magistrum studii pro secundo anno fr. Ioannem
 5 Antonium de Monte Regali, et pro tertio biblicum, in magistrum studii pro tertio fr. Thomam de Castellaneta provinciae sancti Thomae, in studentem pro vicaria Romana fr. Camillum de Floriano.

In studio Cracoviensi providebit reverendissimus vel provincialis cum diffinitoribus sui capituli.

10 In studio Barchinonensi in regentem assignamus fr. Raimundum Paschasium (1) magistrum, in lectorem sacrae scripturae fr. Petrum Xacca magistrum, in magistrum studii fr. Mamertum Martinez. De baccalaureo providebit reverendus pater provincialis, quem obnixe rogamus, ut pro sua virili, quae studii sunt, executioni diligentissime mandet, non solum
 15 in tribus suis conventibus, sed in aliis omnibus suae provinciae.

In studio Valentino damus in regentem fr. Petrum Salamanca (2) magistrum, in baccalaureum ad legendum pro forma et gradu fr. Onofrium Clementem (3), de magistro studii provideatur in capitulo provinciali proxime venturo, admonentes interim patres illius capituli, ut circa
 20 ea, quae studii sunt, sese ostendant diligentissimos.

In studio Cesaragustano in regentem fr. Stephanum de Encontra (4) magistrum, vel provideat reverendus provincialis, in baccalaureum fr. Franciscum Garciam (5) praesentatum, in magistrum studii fr. Hieronymum Despes, instituimus etiam in ea provincia Aragoniae in praedicatores generales fr. Hieronymum Garcia et fr. Onofrium Pinedo.
 25

In studio Cordubensi provinciae Bethicae in regentem fr. Alphonsum Carrillo magistrum, in magistrum studii fr. Albertum de Aguayo.

In studio Hispalensi in regentem fr. Nicolaum de Salas (6) magistrum, in magistrum studii fr. Thomam Duran, quem assignamus in
 30 eodem conventu, ut legat theologiam pro forma et gradu magisterii, et completo tertio anno suae lecturae promoveatur ad magisterium, quem nunc pro tunc exponimus.

In studio Sriciensi (!) in regentem fr. Antoninum de Leon (7) magistrum, in magistrum studii fr. Laurentium de la Flor.

(1) De fr. Raymundo Paschasio cf. supra pag. 49.

(2) De fr. Petro [de] Salamanca cf. l. c. pag. 44.

(3) De fr. Onuphrio Clemente cf. SSOP. II, 234.

(4) De fr. Stephano de Encontra cf. supra pag. 20.

(5) De fr. Francisco Garcia cf. l. c. pag. 68.

(6) De fr. Nicolao de Salas cf. MOPH. IX, 330.

(7) De fr. Antonino de Leon cf. supra pag. 46.

In studio Granatensi in regentem fr. Antoninum del Barrio praesentatum, in magistrum studii fr. Michaellem de Toledo.

In studio Gienensi in regentem fr. Antoninum de Leon praesentatum, in magistrum studentium fr. Hieronymum de Aguilera.

In studio Panormitano in regentem pro primo anno magistrum Thomam de Monacho (1), pro secundo magistrum Marianum Valdina (2), pro tertio providebit reverendissimus; in baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Salvatorem Coves, pro tertio fr. Marcum Antonium Vitalem; in magistrum studii pro primo anno fr. Thomam de Bisbona, pro secundo fr. Dominicum de Castania, pro tertio fr. Decium Palumbum, et in studentem fr. Ioannem Petrum Cortesium.

In studio Ulixbonensi primus lector theologiae fr. Hieronymus Carrea, secundus fr. Antonius de sancto Dominico.

In studio de Bello primus lector fr. Franciscus Dorta, secundus fr. Laurentius de Mello.

In Collegio sancti Thomae providebit capitulum provinciale.

In studio Civitatis Regum del Peru provinciae sancti Ioannis Baptistae de regente et aliis officialibus providebit reverendus provincialis cum suo capitulo.

In studio Avenionensi damus in regentem fr. Petrum Radelli (3) magistrum conventus Carcassonae, in eodem promovemus ad gradum magisterii fr. Ioannem Vineae (4) conventus Massiliensis et fr. Stephanum de Lahio (5) conventus Avenionen., ad lecturam sententiarum fr. Ludovicum Vitalem (5) conventus Biterensis, de magistro studii et lectoribus artium reverendus vicarius providebit. Ad sententias extraordinarie fr. Antonium de Ripolis (6) et fr. Thomam Vicini conventus Limosi.

In studio Andrensi provinciae sancti Thomae in regentem pro duobus annis fr. Thomam de Medunio (7) magistrum, pro tertio fr. Thomam Bitontinum (8) magistrum, in baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Vincentium de Tarento (8), pro tertio fr. Petrum Martirem de Medunio (9), in magistrum studii pro primo anno fr. Dominicum de Vigiliis (10), quo completo possit suscipere baccalaureatum, si a reve-

(1) De fr. Thoma de Monacho cf. supra pag. 45.

(2) De fr. Mariano Valdina cf. l. c. pag. 39.

(3) De fr. Petro Radelli cf. l. c. pag. 40.

(4) De fr. Ioanne Vineae cf. l. c. pag. 69.

(5) De fr. Stephano de Lahio et fr. Ludovico Vitale cf. l. c. pag. 45.

(6) De fr. Antonio de Ripolis cf. l. c. pag. 43.

(7) De fr. Thoma de Medunio cf. l. c. pag. 68.

(8) De fr. Thoma de Bitonto et fr. Vincentio de Tarento cf. l. c. pag. 45.

(9) De fr. Petro Martyre de Medunio cf. l. c. pag. 23.

(10) De fr. Dominico de Vigiliis cf. MOPH. IX, 359.

rendissimo fuerit admissus; pro secundo anno fr. Ioannem de Tricasio, pro tertio fr. Nicolaum de Gravina (1).

In studio Cosentino in regentem magistrum Paulum de Taberna (2), in baccalaureum usque ad sequens capitulum fr. Dominicum de sancto Martino, in magistrum studii pro primo anno fr. Andream de sancto Georgio, pro secundo fr. Ambrosium de Bisignano, pro tertio fr. Franciscum de Riolo.

In studio Castelli in regentem fr. Sebastianum de Gravina, in baccalaureum pro primo anno fr. Vincentium de Castello, pro secundo et tertio anno fr. Angelum de Floriano, in magistrum studii pro primo anno fr. Laurentium de Floriano, pro secundo fr. Ioannem Baptistam de Floriano, pro tertio fr. Franciscum de Reathe.

In studio Nanetensi ad lecturam sententiarum pro anno sibi dato fr. Egidium Mahieu conventus Gerrandiae Britanum, pro aliis annis providebit reverendissimus ad petitionem patris vicarii et aliorum, quorum interest.

Licentiae promovendorum.

In provincia Hispaniae ad magisterium fr. Petrum Serrano (3), Vincentium Varon et Ioannem de s. Hyllephonso praesentatos, ad praesentaturam fr. Dominicum de Zelaya, Ioannem Tostado, Gasparum de los Reyes, Martinum de Marza, Petrum Leguezamon, Dominicum de Guzman (4), Antonium de Arze, Ioannem de Mendiola, et Bartholomaeum de Medina (5).

In provincia Romana ad magisterium fr. Thomam Nerium (6).

In provincia Regni ad magisterium fr. Antoninum de Camerota (7), ad baccalaureatum fr. Augustinum Pisanelum et fr. Ambrosium de Neapoli (8) primum. Item instituimus in praedicatorem generalem fr. Marcellum de Neapoli et fr. Vincentium de Neapoli primum.

In provincia Aragoniae licentiamus ad gradum magisterii fr. Antonium Campomar (9) praesentatum, fr. Dominicum de Sanctis (10) praesentatum, fr. Petrum Salvatorem praesentatum, quem subrogamus loco

(1) De fr. Nicolao de Gravina cf. supra pag. 22.

(2) De fr. Paulo de Taberna cf. MOPH. IX, 360.

(3) De fr. Petro Serrano cf. MOPH. IX, 279.

(4) De fr. Dominico de Guzman cf. l. c. pag. 331.

(5) De fr. Bartholomaeo de Medina cf. SSOP. II, 256.

(6) De fr. Thoma Nerio cf. supra pag. 70.

(7) De fr. Antonino de Camerota cf. l. c. pag. 71.

(8) De fr. Ambrosio de Neapoli cf. MOPH. IX, 358.

(9) De fr. Antonio Campomar cf. supra pag. 20.

(10) De fr. Dominico de Sanctis cf. l. c. pag. 23.

bonae memoriae fr. Jacobi Serrano (1) a provincia expositi, ad praesentaturam fr. Onofrium Clementem, fr. Mamertum Martinez, fr. Ioannem Despes, fr. Thomam Massot, quia legerunt per multos annos in sua provincia; fratrem vero Antonium Pizzarro licentiamus ad praesentaturam, postquam tamen legerit per quatuor annos, promovemus etiam ad praesentaturam fr. Michaellem Hebrera, fr. Thomam Aranaz, Michaellem Rogel, Iacobum Comes; in praedicatorem vero generalem Petrum Gelaberth, Michaellem Tamarro, accedente assensu et beneplacito suae provinciae vel saltim sui reverendi provincialis, quos ei commendamus.

In provincia Trinacriae ad magisterium fr. Damianum de Melita (2), Ioannem Baptistam Pipi (3) et fr. Dominicum Mansonum.

In provincia Portugalliae ad magisterium rev. patrem fr. Antonium Pedago praesentatum, et fr. Ludovicum Perera (4) praesentatum, qui perfecerunt cursum.

In provincia superioris Germaniae ad baccalaureatum ven. patrem fr. Balthassarum Verbinum sacrae theologiae lectorem conventus Colmariensis.

In provincia Poloniae ad baccalaureatum fr. Hieronymum Polonum Zabilium, completo studio suo Bononiensi et hoc etiam ad petitionem suae provinciae.

In provincia inferioris Germaniae ad baccalaureatum fr. Damianum a Ligno (5) et fr. Dominicum Zeghers, completo suo studio Boniensi, et committimus suo reverendo provinciali, ut illi de loco magistri studii ibidem provideat.

In provincia Provinciae ad magisterium fr. Ioannem Baptistam de Diano (6) et fr. Cornelium de Tabia pro eadem provincia.

In provincia Dalmatiae ad magisterium rev. patrem fr. Lucam de Brachia baccalaureum, in baccalaureos ven. patrem fr. Hieronymum de Iadra, quem et assignamus in conventum Iadrensem ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii; promovemus similiter ad baccalaureatum ven. patrem fr. Paulum de Catharo; acceptamus insuper et confirmamus institutionem ven. patris fr. Lucae de Iadra in praedicatorem generalem ab eadem provincia factam et fr. Ambrosii de Sibinico et fr. Pauli de Iadra (7).

-
- (1) De fr. Iacobo Serrano cf. supra pag. 46.
 (2) De fr. Damiano de Melita cf. MOPH. IX, 358.
 (3) De fr. Ioanne Baptista Pipi cf. supra pag. 43.
 (4) De fr. Ludovico Perera cf. l. c. pag. 40.
 (5) De fr. Damiano a Ligno cf. SSOP. II, 245.
 (6) De fr. Ioanne Baptista de Diano cf. supra pag. 67.
 (7) De fr. Paulo de Iadra cf. l. c.

In provincia Trinacriae ad magisterium fr. Damianum de Melita, Ioannem Baptistam Pipi, et Dominicum Mansonum, ad baccalaureatum fr. Salvatorem Coves et Marcum Antonium Vitalem de Panhormo.

In provincia Bethicae ad magisterium fr. Ubertum de Villalam, 5 fr. Franciscum de sancta Cruce (1), fr. Gundisalum Savariego, fr. Ioannem de Spinola, fr. Gondisalum de Arziniega (1), fr. Augustinum Salucio (2) et fr. Petrum Lopez de Garsias, ad praesentaturam fr. Christophorum de Ayora, fr. Thomam Duram, fr. Albertum Aguayo, fr. Bartholomaeum de Aguilar, fr. Dominicum Martinez et fr. Franciscum Mal- 10 donado.

In provincia sancti Thomae ad magisterium fr. Vincentium Cito Tarentinum, dummodo legat sententias in studio Andrensi per duos annos.

In provincia s. Ioannis Baptistae del Peru ad praesentaturam rev. patrem fr. Franciscum de sancto Michaele provincialem modernum.

In provincia Calabriae ad magisterium fr. Ioannem de sancto Do- 15 nato, ad baccalaureatum fr. Dominicum de Galatro, supposito et praemisso examine secundum nostras constitutiones.

In vicaria sancti Dominici ad magisterium fr. Alphonsum Soto de Florentia (3), fr. Aloysium de sancta Iustina (4), fr. Angelum de Tre- 20 visio (5).

Nullus ex his, qui promoti sunt ad gradus in hoc capitulo, suscipere potest gradus huiusmodi, nisi prius examinatus sufficiens repertus fuerit, super quo examinerum conscientias oneramus.

Commissiones.

25 Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut habita pleniori notitia de dispositione provinciae s. Ioannis Baptistae del Peru et habita matura deliberatione possit, separata aliqua portione conventuum eiusdem provinciae, novam provinciam erigere, prout suae prudentiae videbitur expedire.

30 Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem in praemissis et circa praemissa et omnia alia declarandi et interpretandi, addendi vel minuendi et omnia et singula faciendi, quae capitulum generale et nos facere possumus, prout eius prudentiae visum fuerit opportunum.

35 Sententias iudicum approbamus et acceptamus volumusque suum habere effectum.

(1) De fr. Francisco de Cruce et fr. Gundisalvo de Arziniega cf. supra pag. 19.

(2) De fr. Augustino Salucio cf. l. c. pag. 69.

(3) De fr. Alphonso Soto de Florentia cf. l. c. pag. 72.

(4) De fr. Aloysio de s. Iustina cf. l. c. pag. 43.

(5) De fr. Angelo de Trevisio cf. l. c. pag. 22.

Auctoritatem reverendorum diffinitorum durare volumus per totum diem dominicum festum sanctissimae Trinitatis et usque ad secundam feriam inclusive.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Pio papa quarto quilibet sacerdos 5 unam missam.

Pro augustissimo imperatore et serenissimis regibus et principibus christianis.

Et pro pace inter eos servanda et pro bono statu reipublicae christi- 10 anae.

Et pro magna et generosa hac civitate Bononiensi, de nostra religione benemerita, quilibet sacerdos unam missam.

Insuper conventus quilibet pro his regibus, principibus et commu- nitate, sub quorum ditione continetur, unam missam dicat.

Pro illustrissimo reverendissimo domino cardinali Morono, prote- 15 ctore ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino cardinali Lotharingo et illustrissimo domino cardinali Perusino, ordinis viceprotectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino domino cardinali Borromeo quilibet sa- 20 cerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino cardinali Alexandrino et aliis praelatis ex ordine nostro assumptis quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus et his, qui recepti fuerunt ad beneficia ordinis per reverendissimum generalem et pro his, qui in hoc capitulo beneficia et eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam. 25

Pro statu et reformatione nostri ordinis ac reverendissimi magistri generalis cum eius societate ac etiam pro rev. procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semper letaniae, con- 30 versis vero et laicis decies pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima reverendissimi domini cardinalis domini Matthaei de Ursinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam mis- 35 sam, clerici septem psalmos poenitentiales, conversi 25 pater noster.

Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici et laici ut supra.

Pro animabus eorum qui, dum viverent, per litteras magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque aliis benefactoribus, quilibet sa- 40 cerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, conversi et laici 25 pater noster.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias eius unum ex his, qui usque ad hanc diem fuerunt apostatae aut damnati ad poenas gravioris culpae suae provinciae, et in sua provincia tantum, non tamen suspectum de fide.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod sacerdotem nostri ordinis, alias ad confessionum audientiam expositum, sibi confessorem tantum una vice eligere et ab eodem de praeteritis usque ad praesentium notitiam casibus, peccatis, excessibus et censuris omnibus absolvi possint, a quibus sua reverendissima paternitas absolvere potest.

Mandamus acta capituli huius per reverendos diffinitores diligenter conscripta et correcta atque ordinis sigillo sigillata ad suas provincias deferri et publicari diligentia provincialium, quod ut ipsi provinciales sine mora exequantur, in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae mandamus et praecipimus.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum secundum, assignamus in conventu Antverpiensi provinciae Germaniae inferioris hinc ad tres annos videlicet millesimo quingentesimo sexagesimo septimo in festo sanctissimi pentecostes.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
IN FESTO SACRATISSIMI PENTHECOSTES
ANNO DOMINI ·M^o·D^o·LXIX^o· DIE ·XXVIII· MAIL.

Sub reverendissimo patre fr. Vincentio Iustiniano (1), sacrae theologiae professore, magistro generali ordinis praedicatorum, diffinientibus reverendis diffinitoribus, videlicet:

fr. Philippo Urias (2) magistro diffinitore provinciae Hispaniae,
fr. Thoma Licinio de Muriano (3) magistro diffinitore provinciae utriusque Lombardiae,
fr. Vincentio Herculano Perusino (4) magistro diffinitore prov. Romanae,
fr. Bartholomeo de Polla (5) magistro diffinitore provinciae Regni,

(1) De fr. Vincentio Iustiniano cf. supra pag. 49.

(2) De fr. Philippo Urias (Urries) cf. l. c. pag. 38.

(3) De fr. Thoma Licinio de Muriano cf. l. c. pag. 70.

(4) De fr. Vincentio Herculano cf. SSOP. II, 277.

(5) De fr. Bartholomaeo de Polla cf. supra pag. 45.

fr. Bartholomeo Polono conventus Poznaniensis diffinitore prov. Poloniae,
 fr. Dionisio de Candida priore Candiae diffinitore provinciae Graeciae,
 fr. Stephano de Encontra (1) magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
 fr. Fulcandro Varellos (2) magistro diffinitore provinciae Provinciae,
 fr. Simone Rosa magistro diffinitore provinciae Dalmatiae, 5
 fr. Antonino Speciali magistro diffinitore provinciae Trinacriae,
 fr. Remigio Tamariz magistro diffinitore provinciae Bethicae,
 fr. Thoma de Medunio (3) magistro diffinitore provinciae s. Thomae,
 fr. Ferdinando de s. Georgio (4) magistro diffinitore provinciae Calabriae.

Frater Vincentius Iustinianus sacrae theologiae professor 10
 totius ordinis praedicatorum generalis magister et servus
 universis eiusdem ordinis professoribus salutem.

« Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo et florebit quasi
 liliium ». Liceat mihi, patres reverendi et charissimi in Christo filii, in
 tanta totius orbis exultatione, in tam praecipue nostrae dominicanae fa- 15
 miliae gloria ac eximia dignitate, in hac urbe omnium gentium theatro
 hoc nobis felicissimo saeculo adhortationem meam apud vos ab his pro-
 phetae verbis auspicari, conceptum spiritum et praecordiorum meorum
 ingentem laetitiam vel ex parte ostendere.

Ecce enim pius dominus pietatis suae oculis pie admodum inspexit 20
 ecclesiam suam, videns vidit afflictionem populi sui et descendit liberare
 eum, cum maxima pietate sua Pium V. pontificem optimum maximum
 divino suo munere dedit nobis. Ecce nunc os ex ossibus nostris et caro
 de carne nostra, e Christi latere profluens et coelesti Dei providentia
 creatus, surrexit et bonus pastor futurus humani generis in sede beati 25
 Petri, Christi vicarius, mundi rector, coeli claviger est et iudex seculi
 constitutus. Quis enim, quis, inquam, non videat, quis, oro vos, adhuc
 possit ambigere, non hominum hunc consilio, non meritis, non arte,
 non viribus nobis a Deo pontificem demissum caelitus, qui iamiam la-
 bentem erigeret et ab hoste defenderet christianorum ecclesiam, qui no- 30
 stram sanctam praedicatorum religionem sublevaret cadentem et illu-
 strissimam redderet. Quis unquam audivit talia? dicam iterum, quis
 unquam a tot retro seculis talia audivit? quis talia fando temperet a
 lachrimis? quis hoc humana ratione optare aut sperare consilio aut etiam

(1) De fr. Stephano de Encontra cf. supra pag. 73.

(2) De fr. Fulcrando de Varellos cf. l. c. pag. 65.

(3) De fr. Thoma de Medunio cf. l. c. pag. 74.

(4) De fr. Ferdinando de s. Georgio cf. l. c. pag. 43.

cogitatione comprehendere potuisset? O miram et infallibilem Dei ac indulgentissimi patris in vos providentiam! O curam et sedulitatem egregiam! O studium in universam ecclesiam et in nostram praecipue familiam singulare! Vere beati oculi, patres, qui vident, quae vos videtis. 5 Multi enim patres iam abhinc annis ferme trecentis voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, et audire, quae vos auditis, et non audierunt. Quamobrem si cui unquam post hominum memoriam ad laetitiam et exultationem vocans, tibi, tibi, inquam, praecipue post Christi ecclesiam, o illustrissima praedicatorum religio, prophetâ canit: laetabitur 10 deserta et invia, et exultabit solitudo et florebit quasi liliū; germinans germinabit et exultabit laetabunda et laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron; quare ipsi viderunt gloriam domini, decorem Dei nostri. Ergo confortate manus dissolutas et genua debilia roborate. Ecce Deus noster ultionem adducet inimicis nostris, Deus ipse veniet et 15 salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, quia ascissae sunt in deserto aquae et torrentes in solitudine gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. Iam enim omnibus bonis consentientibus et me miserum tanquam in luctu publico conclamantibus, actum erat de religione, ni tale lumen de coelo demissum nobis esset, nisi talis efful-

20 sisset mundo pontifex per omnia probatus, qui vice Christi possit compati infirmitatibus nostris, qui velut alter samaritanus vulnera nostra ligaret, qui sacra tecta templi reponeret et moenia destructa reficeret. Iam igitur spes optima est, futurum, ut sub eius imperio nunc ecclesiae componantur, et quod tot retro pontifices non potuerunt, is tandem aliquando 25 obtineat, et quod incepisse videmus, perficiat.

Gaudendum nobis itaque, patres, primum ob commune ecclesiae commodum, deinde ob dominicani ordinis gloriam, qui si unquam hactenus, nunc in primis sub tanto pontifice floret ac fulget, qui cum sit avidissimus maximeque animi cupiditate teneatur errores adimendi, haereses evellendi, mores hominum castigandi, divinum cultum excitandi, 30 ecclesiam reparandi, nostrarum partium erit, cum eo pro virili concurrere, studium, industriam, cogitationem denique omnem in hoc impendere.

Idcirco enim sanctissimus pater, cum hoc iam diu secum animo reputaret, huius anni comitia Romae solvenda mandavit: primum quidem, 35 ut charissimos filios suos coram se videret, repletet gaudio, benigne susciperet, praesentia laetificaret. Deinde quod corde suo medullitus retinebat, ut rempublicam nostram autoritate sua, consilio et apostolica admonitione iuvaret, et quo res caderet foelicius, nostris ipse actibus inter-

40 teresset, et quod vix credent posteris, nostro sinodo generali adesse inter diffinitores et ipse diffinitor mira sua pietate voluit, et nostris, quae con-

derentur, decretis ea vel addere vel demere, quae tempus et ratio posscere viderentur.

O egregiam certe benignitatem, o raram pietatem, o insignis erga rempublicam nostram providentia! Nonne hoc maximi beneficii loco ponendum est? Nonne immortales illi vices agenda, ac Deus indesinenter 5 orandus, ut quam amplissimas illi dignetur rependere? Nos autem patres integerrimi et filii dilectissimi, laborare pro virili debemus, ut ea omnia, quae non tam nostro quam suo ipsius consilio instituta vel innovata fuerunt, ad unguem observanda curemus. Alioquin, obsecro vos, quid prodest toties leges condere et opere non implere? Nonne potius videri 10 poterit virtutis irrisio, iustitiae subsannatio, religionis prophanatio et fomes ac lerna malorum? Hoc ratio, id honestas exigit. Hinc oritur utilitas maxima, hinc commoditas locupletissima, hic est societatis nostrae nervus, quae nisi fuerit religata legibus, iam desinet esse religio.

Hoc a vobis exposcit Deus, hoc pater noster beatus Dominicus, hoc 15 summus noster hic pontifex cum nepote suo Alexandrino cunctis votis expostulant. In mentem vobis veniat, patres, quorsum huc tandem veneritis tot sumptibus, tot exhaustis laboribus. Amplectamini canones, observate leges, decreta ne violetis, ac pro se quisque nitatur, se primum, dehinc suos accendere. Gravissimum nobis imminet bellum, im- 20 pendunt cervicibus hostes, cum ecclesiasticis viris, cum regularibus illis res est: nos heretici in primis appetunt, nos odio immanissimo prosequuntur, nos insectantur maxime praeter caeteros, omnes dominicae familiae alumnos captant, torquent, iugulant. O beatos illos, quos vobis nunc audientibus paucis ab hinc annis Germania, Gallia, Provincia prae- 25 clarissimos martires gloriosissime praemisit ad coelos.

Sic, sic tandem religionis munus implemus, sic officium praedicatorum, sic beati Dominici patris iussionem et ordinem. Quid stertimus? quid cunctamur? Erigite, patres, erigite per Deum immortalem iacentes animos, confortate, obsecro, manus dissolutas, genua debilia roborate. 30 Denique in hanc curam et cogitationem omnes animi nervos intendite, huc velis remisque curramus. Ponite ob oculos totius ecclesiae ruinam, occurrant animarum naufragia, in mentem veniant tot caedes, tot strages et exitia, quae passim vel cernuntur ab aliis vel audiuntur a nobis, tot coenobiorum, proh dolor, ac templorum iacturam religionis, cuius tam 35 horrida riget et squallet imago, ut pristini sui nitoris vestigium vix teneat.

Excutiamus igitur soporem, excubias agamus, omni ope ac nixu huc tendamur, hoc conemur, hoc laboremus, ut ordinis nostri leges observemus, divinus cultus augetur, studia, inquam, literarum non fugiant, 40 reformentur ad praescriptum mores, docendi et concionandi non desit

occasio. Vos alloquor antistites, vos appello primates, vos coenobiades, vestri muneris erit, ut leges serventur, statuta teneantur, decreta impleantur, alioquin apud verendum Christi tribunal non ita misericorditer post citandi atque sistendi poenas incuriae atque ignaviae vestrae perpetuas luetis; sperandum tamen est Dei benignitate ac nostra diligentia fore, ut deinceps nova sint omnia, ut cum propheta laetari ac canere possimus: laetabitur deserta et invia.

Quod nobis largiri dignetur omnipotens Dominus.

In nomine domini nostri Iesu Christi et beatæ Mariæ semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta, quæ in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo authore, proponuntur.

Confirmationes.

Confirmamus hanc, quod in capitulo 14 de studentibus distinctionis 2, ubi dicitur: nec aliquis magistratur in theologia, nisi prius actus exercuerit pro forma et gradu magisterii prædicti per quatuor annos ad minus in aliqua universitate, addatur: vel legitima exercitia fecerit in lectura et aliis actibus, quæ in eadem universitate, in qua promoveri debet, de iure fieri consueverunt. Et hoc habet tria capitula.

Confirmamus omnes ordinationes et declarationes in præcedenti capitulo factas circa statuta et decreta sacrosancti concilii Tridentini; addito tamen moderamine respective concessionum nobis a sanctissimo domino nostro factarum in suo motu proprio confirmationis privilegiorum.

Item confirmamus, quod in præcedentibus capitulis statutum fuit, quod reverendi provinciales earum provinciarum, in quibus non viget arcta regularis observantia, ad petitionem fratrum arcte regularem vitam servare volentium teneantur sine difficultate assignare unum vel plures conventus, in quibus secundum rigorem constitutionum nostrarum religiose vivere possint, et si provinciales aut vicarii hoc negaverint aut se difficiles præstiterint, recurrant dicti fratres ad reverendissimum magistrum ordinis, qui eis providebit, ne spiritum Dei contingat extinguere. Proviso tamen, quod nulla singularitas in habitus forma vel qualitate inferatur, et conventus sub cura et iurisdictione provincialis remaneat, cui ante subiectus erat; addentes huiusmodi assignandos non debere esse de minimis nec pauperioribus, ut convenientium religio commode ibidem fovendi possit.

Confirmamus ordinationem in superioribus capitulis factam de provincia Regni, quod numerus magistrorum in ea provincia non excedat numerum duodenarium.

Confirmamus provisiones lectionum et ordinationes factas a rev.

patre magistro fr. Vincentio Herculano, apostolico et reverendissimi magistri nostri generalis commissario, pro studio et conventu Lovaniensi et contributiones a provinciae eiusdem conventibus quibusdam ac monasteriis sub eiusdem provinciae existentibus exigendas pro praefati studii mantentione.

Confirmamus et acceptamus reformationem et translationem ab eodem reverendo patre autoritate apostolica factam, qua transtulit conventum s. Catherinae Leodiensem et quatuor monasteria videlicet: Brugensem, Atrebatensem, Insulensem et Valensensem a provincia et regimine rev. provincialis Franciae ad provinciam et curam rev. provincialis Germaniae inferioris, districte eidem rev. provinciali Franciae et omnibus suae provinciae patribus praecipientes, ne de illorum se cura ullatenus intromittant, silentiumque quoad ista omnibus imponentes.

Confirmamus et acceptamus unionem et translationem monialium Asperens. ad monasterium Worecumense et huius reductionem ad clausuram. Itemque extinctionem monasterii Vallis liliorum in Zelandia et illius unionem atque incorporationem cum conventu Zirxensi in eadem insula, ab eodem rev. patre praedicta auctoritate factam.

Confirmamus et acceptamus suppressionem conventus Vinsemensis et illius incorporationem cum conventu Groeningensi in Phrigia, prout idem rev. pater autoritate qua supra decrevit.

Confirmamus in priorem provincialem provinciae Boemiae rev. patrem fr. Michaelem de Ast Genuensem (1) canonicè electum per sexennium iuxta ordinationem capituli Bononiensis de hac provincia factam, una cum plena potestate et autoritate super congregatione Austriae, quam eidem provinciae Bohemiae unimus et annectimus ac incorporamus. Cui etiam committimus autoritatem supra conventum Tirnaviae et monasteria sororum, si qua sunt, et reliquias provinciae Ungariae cum plena autoritate, cassantes quemcunque alium vicarium eiusdem conventus Tirnaviae quomodolibet institutum, et haec ad eorum fratrum petitionem.

Revocamus autem a congregatione Austriae fr. Stephanum Robustellum de Grosupto, cui etiam praecipimus sub poena privationis habitus, ut ab illa congregatione recedat et ad provinciam Lombardiae redeat vel ad reverendissimum infra duos menses a praesentium publicatione, ut ei de conventu provideat.

Confirmamus in priorem provincialem provinciae Graeciae rev. patrem fr. Vincentium de Lugo (2) magistrum ad ipsius provinciae petiti-

(1) De fr. Michaele de Ast de Ianua cf. SSOP. II, 182.

(2) De fr. Vincentio de Lugo cf. supra pag. 69.

nem usque ad sequens capitulum generale cum solita auctoritate seu usque ad aliud quadriennium cum praecepto, ut acceptet.

Confirmamus in priorem provincialem provinciae Provinciae rev. patrem magistrum fr. Bartholomeum Audifredum (1) cum plena auctoritate
5 et potestate consueta cum praecepto, ut acceptet.

Confirmamus in vicarium congregationis Apprutinae rev. patrem fr. Hieronymum de Florentia cum solita auctoritate et potestate usque ad beneplacitum reverendissimi magistri ordinis, et concedimus, ut possit accipere ex provincia Romana duos vel tres fratres in sui adiutorium,
10 cum praecepto, ut acceptet.

Damus in priorem provincialem provinciae sancti Thomae reverendum patrem fr. Paulum de Gabiano provinciae utriusque Lombardiae, cum solita auctoritate et praecepto, ut acceptet.

Declarationes.

15 Declaramus ordinantes festum sanctae Coronae non septima Aprilis, sed septima Maii esse celebrandum, et festa sanctae Dorotheae et Barbarae sub duplici et non toto duplici celebranda. Et ad piam petitionem illustrissimi ac reverendissimi domini domini fr. Michaelis Bonelli (2), cardinalis Alexandrini sanctae Romanae ecclesiae Camerarii, nepotis S. B., quod de
20 incepta festa sanctorum Clementis et Ignatii sub festo duplici celebrentur.

Declaramus omnes fratres, qui redditus particulares habent contra decreta sacrosancti concilii Tridentini et declarationem capituli Bononiensis esse proprietarios et poenis proprietariis debitis subiacere, praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae provincialibus
25 provinciarum et vicariis congregationum ac vicariarum, ut omni diligentia adhibita studeant hos tales cognoscere et poenis debitis punire, et ut omnis species proprietatis tollatur, ordinamus, ut in toto ordine et maxime apud fratres provinciarum utriusque Regni et vicariarum in Italia eleemosinae confessionum et praedicationum communitati fideliter consi-
30 gnentur, ad usum communitatis fideliter convertendae.

Declaramus locum Zacynthi pertinere ad provinciam Graeciae ac idcirco praecipimus fr. Augustino de Calvisano in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena privationis habitus, eiusdem loci praetenso vicario, ut vicariatum dimittat et obedientiam praestet reve-
35 rendo provinciali Graeciae, qui disponet de eo loco, prout sibi iustum visum fuerit et bono regimini consonum.

Declaramus locum sanctae Mariae Calizani esse unitum conventui sancti Dominici de Albinga.

(1) De fr. Bartholomaeo Audifredo cf. MOPH. IX, 356.

(2) De fr. Michaele Bonelli cf. SSOP. II, 323; BO. V, 298.

Declaramus, quod magistri in theologia, qui in hoc capitulo licentiati fuerint, inter se locum obtineant secundum antiquitatem suae professionis, quam in ordine habuerunt.

Quoniam passim suboriuntur quaestiones inter praelatos et officiales studii circa ea, quae pertinent ad studium, necessarium esse duximus declarare et regentis et baccalaurei et magistri studentium officium, cum neque de regentis neque de baccalaurei officio aliquid speciatim ordinatum appareat in constitutionibus neque etiam in ordinario ordinis.

Et primo declaramus, quod in omnibus universitatibus nostri ordinis regens est caput studii, et non modo studentes cuiuscunque facultatis, sed etiam omnes alii officiales studii et lectores ei subditi sunt in omnibus, quae pertinent ad studium, cuiusmodi sunt: lectiones, disputationes publicae, circuli quotidiani, casus conscientiae et quicumque alii actus literarii; et ad eum maxime pertinere declaramus, terminare, resolvere et definire quascunque quaestiones propositas in disputationibus, omnibusque silentium imponere hac lege, ut post datam ab eo resolutionem nulli penitus, exceptis reverendis patribus provincialibus, liceat quidpiam in medium adducere.

Ad officium etiam regentis pertinere declaramus, legere praecipuam theologiae lectionem aliisque lectoribus praescribere, quid legere debeant; legat autem ipse hora, quae ei magis placuerit, et eius lectionibus interesse teneantur non modo studentes formales, sed etiam dantes operam metaphysicae; alii autem lectores legent horis ab ipso regente assignandis.

Ad ipsum etiam pertinere primario declaramus omnia, quae de magistro studentium scripta sunt tum in constitutionibus tum etiam in ordinario ordinis, capite de officio magistri studentium. Cum autem disputandum ei est in capitulo vel generali vel provinciali, liberum ei omnino sit hunc vel alium sibi eligere in respondentem.

Secundum locum in studiis praedictis pertinere declaramus, quantum attinet ad literaria exercitia, ad baccalaureum seu ad secundum lectorem theologiae, exceptis illis universitatibus, in quibus sunt duo vel plures regentes, in quibus volumus omnes regentes secundum suum ordinem se invicem et baccalaureum seu secundum lectorem theologiae praecedere, ac proinde absente primario regente, una cum omnibus aliis regentibus ad baccalaureum pertinet omnia regentis munia modo praedicto adimplere; peculiare autem officium eius est, legere secundam theologiae lectionem nec non in quotidianis circulis aliisque disputationibus dirigere argumentantes et eorum argumenta prosequi.

Tertium autem locum pertinere declaramus ad magistrum studentium, quantum attinet ad literaria exercitia praedicta. Praeter autem ea,

quae de ipso expressa sunt in locis praedictis, ad eum peculiariter pertinere declaramus, proponere conclusiones disputandas in quotidianis circulis assistereque respondentibus. Ad ipsum etiam pertinet proponere temporibus statutis casus conscientiae et quaestiones super epistolas et evangelia et illa ad utramque partem ventilare, relicta ultima resolutione regenti, nec non scribere literas dimissorias studentibus, completo eorum studio, de consensu tamen regentis, curareque, ut regens et baccalaureus una cum ipso illas subscribant, simul declarantes eum exemptum esse a sequela chori, sicut alii lectores actu legentes, licet ad ipsum non pertineat lectionem aliquam legere. Curet etiam habere registrum, in quo continuatim notentur officiales omnes et studentes et eorum receptiones et remissiones nec non ordinationes circa studium.

Declaramus, quod in provincia Trinacriae illi, qui fuerunt provinciales, locum habeant, secundum quod disponunt nostrae constitutiones, apostolica auctoritate praesenti statuto derogantes cuicumque brevi apostolico in contrarium facienti, si quod extaret.

Admonitiones.

Admonemus omnes provinciales nostri ordinis etiam speciali iussu sanctissimi domini nostri, ut publicare faciant bullam, quae legitur in Coena domini in suis conventibus, proviso quod omnes confessores habeant penes se copiam illius et eius tenorem fideliter observent, et si qui illam non habuerint, confessionum audientia priventur.

Admonemus omnes patres priores conventuum, ut ordinationem alias factam in capitulo Avenionensi et aliis capitulis generalibus de aptandis carceribus in eorum conventibus cum serra et pessulo et clave firmis et fortibus omnino executioni mandent, et qui infra sex menses a notitia praesentium id non praestiterint, a provinciali in visitatione ab officio absolvantur.

Admonemus omnes fratres commorantes extra ordinem, ut existentes in Italia teneantur infra duos menses ab harum notitia dicere coram reverendissimo de validitate facultatum, quas habent manendi extra. Existentes vero extra Italiam id facere coram provincialibus provinciarum, ubi degunt respective; alias si id non praestiterint, tanquam fugitivi et apostatae puniantur et licentiae eorum pro revocatis habeantur.

Admonemus omnes priores conventuum, ne faciles se praebeant ad dandum licentiam vagandi et per provinciam discurrendi, et ut aliquod remedium ad tollendos discursus adhibeatur, statuimus, ut licentiae exeundi extra conventus ultra dietam non sint penes priores solos, sed dentur de patrum consilio et in scriptis; et qui sine huiusmodi licentia repertus fuerit, tanquam fugitivus puniatur, prout etiam in sancta synodo Tridentina cavetur.

Admonemus omnes fratres nostri ordinis, ut constitutionem de non equitando observent; et qui sine licentia in scriptis equitare repertus fuerit, conformiter ad nostras constitutiones puniatur; et praelati, ad quos fratres cum equis declinaverint, teneantur requirere de huiusmodi licentia et necessitate et punire, quos transgressores repererint. 5

Admonemus omnes priores, ut fratres, qui ad illos gratia studii conveniunt ex alienis provinciis et in specie ex provincia Poloniae, si non constat de licentia legitima suorum provincialium, nulla ratione eos in suis conventibus retineant, et si aliqui in praesentiarum sunt tales in provincia Lombardia praesertim ex provincia Poloniae, eos a dicta provincia et studio revocamus et ad provinciam Poloniae remittimus. 10

Admonemus omnes provinciales utriusque Regni, ut fugitivos a suis provinciis non recipiant nisi ad carceres, et aliis poenis secundum delictorum qualitatem puniant.

Denuntiationes. 15

Denuntiamus etiam et significamus omnibus nostri ordinis fratribus, qualiter sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius papa quintus pro sua erga suum et nostrum ordinem eximia benignitate feria quarta infra octavam pentecostes, quae fuit prima huius mensis iunii, dignatus est personaliter ad hunc nostrum conventum et capitulum accedere suaque sanctissima praesentia illustrare et humanissime universos fratres nedum ad oscula pedum, verum etiam ad pietissimas aures admittere, per totamque diem nobiscum commorari, universis benedictione et gratiis, quantum licuit, donatis. 20

Denuntiamus etiam illustrissimi ac reverendissimi domini fr. Michaelis Bonelli, sanctae Romanae ecclesiae camerarii, cardinalis Alexandrini, S. B. nepotis, opera singularique humanitate apertum fuisse sanctum sanctorum universis fratribus, qui ad hoc capitulum generale venerunt, universosque inestimabiles thesauros spirituales reliquiarum sanctarum Lateranensis ecclesiae per manus eiusdem illustrissimi domini ostensos fuisse, qua gratia non nisi rarissime magni principes donari solent, et praeter largas, quas nobis contulit eleemosynas, continuam assistentiam simul fecisse concionibus et disputationibus, familiarissimeque nobiscum toto tempore capituli conversatum fuisse. 25 30

Denuntiamus reverendissimum patrem magistrum generalem instituisse in procuratorem ordinis praedicatorum patrem fr. Seraphinum de Brixia (1) magistrum provinciae utriusque Lombardiae, a sanctissimo domino nostro hilari vultu acceptum et commendatum. 35

(1) De fr. Seraphino de Brixia cf. supra pag. 66.

Denuntiamus eundem reverendissimum magistrum generalem a regimine et cura nostri ordinis exemisse ac reiecissee monasterium monialium sancti Nicolai de Prato et illud renuntiasse in manus sanctissimi domini nostri, salvo iure bonorum temporalium nostri ordinis, si quod
5 habet in bonis temporalibus eiusdem monasterii; et propterea praecipimus omnibus nostri ordinis fratribus cuiuscumque gradus vel dignitatis in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub poena gravioris culpae, quam, cum primum contrafecerint, incurrant, ne quis ad monasterium illud pergat, neve monialibus literas vel munuscula, aut nuntium mittat, vel ab eis missa recipiat absque expressa licentia in scriptis
10 habita eiusdem reverendissimi generalis; renuntiationem autem huius monasterii facere cogimur, eo quod diu conventuales et suae professionis inobservantes sint nec veram reformationem amplecti velint, quanquam multoties tentata fuerit.

Denuntiamus reverendum fr. Thomam Pellegrinum (1) methaphysicum
15 Patavinum incidisse in canonem excommunicationis latae sententiae, eo quod vocatus a reverendissimo generali sub censura etc., ut ad capitulum generale veniret, non comparuit. Veruntamen quia ob impedimentum eidem ab illustrissimo ac serenissimo domino Veneto praestitum et per
20 clarissimum domini oratorem nobis relaturn se excusare posset, suspendimus dictae sententiae effectum, quem non nisi infrascripto tempore incurrisse volumus. Cui insuper praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub poena privationis habitus, ut per totum mensem septembris proximum coram eodem reverendissimo personaliter compareat, redditurus rationem eorum, de quibus per reverendissimum fuerit
25 requisitus.

Ordinationes.

Ordinamus pro servanda uniformitate caeremoniarum in ministerio altaris, ut caeremoniae infrascriptae, quas secundum ordinarium legitimas
30 putamus, serventur videlicet:

Ante omnia sacerdos celebraturus, antequam induat sacras vestes, confiteatur, nec ulli unquam confiteri liceat iam illas induto. Confessio autem sive reconciliatio fiat confessore sedente et poenitente genuflexo discoopertoque capite.

35 In introitu missae, circa cuius caeremonias de apertione iunctioneque manuum non modica controversia in opinionibus fuit, atque in usu diversitas, nec ordinarium aliquid exprimit, magis consentaneum illi esse decernimus, ut manus a principio sint iunctae usque ad inceptionem « Gloria in excelsis », ubi deponuntur et aperiuntur ac iunguntur manus

(1) De fr. Thoma Pellegrino (Peregrino) cf. SSOP. II, 270.

iuxta ordinarium, et sic iunctis prosequatur « Gloria » usque in finem. In epistola cancellatis manibus super librum vel super altare, in graduali vero atque offertorio et in prosecutione « Credo » similiter iunctis manibus omnia dicat.

In sacrificio missae, quando prophetia fuerit epistolae praemittenda, 5 ut in festo Nativitatis et quartis feriis quatuor temporum, prophetiam dicat acolitus, epistolam subdiaconus.

In Credo ad verba illa « ex Maria virgine et homo factus est » sacerdos inclinet usque ad genua, ministri genua flectant sicut et chorus; quod et facere debent ad elevationem corporis et sanguinis domini. Ad 10 « dominus vobiscum » post evangelium vel Credo, similiter ad sequens « Oremus » aperiendae primum, deinde claudendae sunt manus; rursum ad offertorium et ad post communionem ante ultimam orationem iungendae sunt manus.

Ad « gratias agamus », ut usus habet, est inclinandum, ita ut unus 15 ministrorum sit contra alium. Consecrationis verba sicut et totus canon non alta voce, ut quibusdam est usus contra multorum capitulorum immo et conciliorum decreta, submissa voce dicantur.

In principio sacri canonis a « Sanctus » usque ad « Memento » inclusive iunctae sint manus, praemissis benedictionibus ad haec dona etc. 20 Post Memento autem apertae; similiter in defunctorum memento principio iungantur, aperiuntur in fine, et sic apertis residuum sacri canonis prosequatur.

Post consecrationem hostiae et ante eius elevationem sacerdos toto corpore inclinet cum maxima reverentia, quod etiam post consecrationem 25 calicis est faciendum.

In missis votivis sive defunctorum sive sanctorum inclinationes fiant sive prostrationes pro tempore eo modo, quo in missa maiori fieri consueverunt. Sequentiae autem in missa beatae virginis in sabatho, tertiusque feriis et in festis solemnibus, in quibus sunt notatae, dicuntur. 30

Memoriam de octava Trinitatis feria sexta post festum corporis Christi ad laudes, missam et vespervas declaramus iuxta ordinarium tam antiquum quam novum esse faciendam. In sabatho autem sequenti ad laudes et missam dumtaxat.

Antiphona super psalmos ad vespervas in duplicibus et totis duplicibus ab uno tantum cantore et non a duobus, ut in quibusdam conventibus fit, reincipiatur. 35

« Benedicamus domino » in vespervis et in laudibus suas differentias sortiatur pro qualitate festorum, sicut et « Ite missa est » vel « Benedicamus », quae dicuntur pro tempore in missa. 40

Cantus hymni « Ad coenam agni » ad omnes hymnos eiusdem

metri in tempore paschali servetur, nisi in festis Apostolorum, et quae proprium obtinent cantum. In sabbathis etiam ac tertiis et quintis feriis ad horas diei, ad vespervas autem et matutinas cantus proprius dicatur.

Disciplinae iuxta ordinarium antiquum post completorium suscipiantur, quia tunc fratrum numerus frequentior est, nisi forte obstaret saecularium praesentia; qui tamen a disciplina suscipienda vel hoc tempore vel illo defuerint, psalmum « Miserere » cum oratione consueta dicere teneantur.

Dominica prima adventus hebdomada semper in dextro choro incipiatur.

Ordinamus pro sua pia devotione suggerente illustrissimo ac reverendissimo domino domino fr. Michaelae Bonello, cardinali Alexandrino, sanctae Romanae ecclesiae Camerario, ut de cetero fratres omnes cum primum ante divinissimum sacramentum altaris se praesentaverint, etiam transeundo, non solum profunda inclinatione, verum etiam genuflexione reverenter adorent.

Ordinamus et observari omnino volumus, ut post completorium toto anni tempore fratres stent in choro in communi oratione per spacium unius mediae horae vel circa.

Ordinamus et mandamus in meritum sanctae obedientiae reverendis provincialibus et visitoribus, ut in eorum visitationibus diligentiam adhibeant ad inquirendum de solitudine lectorum tam in legendo quam in aliis exercitiis literariis exercitatione, et quos negligentes repererint, corrigant et puniant, secundum quod iudicaverint eorum demerita.

Districte praecipimus sub poena privationis cuiuscunque gradus ei, qui contrarium fecerit, ultra poenas a iure statutas, ne quis magister aut regens aut lector aut quivis nostri ordinis audeat asserere aut defendere publice vel privatim articulum ullum pugnantem cum decretis sacri concilii Tridentini sive ad bonos mores sive ad dogmata fidei attinentibus, praesertim cum canone illo de confessione, necessario praemittenda ante sumptionem sacratissimi corporis Christi, etiam si aliquem ex nostris doctoribus insignioribus, nempe Durandum, Caietanum seu quemvis alium patrocinantem habuerit.

Item ordinamus confirmantes, quod iam olim a multis capitulis decretum est, ut quicumque a solida sancti Thomae doctrina recesserint, novitates ipsi contrarias verbo vel scripto inducentes, officio lectoratus et quocunque alio officio, gradu et dignitate perpetuo priventur; super quo provinciales diligentissime invigilent, hoc potissimum tempore, in quo manifeste compertum est, illius doctrinam summopere necessariam esse.

Admonemus provinciales et priores praefectosque studiorum, ut constitutio illa, qua cavetur, ne studentes in libris gentilium et philo-

sophorum studeant etc., exequutioni mandetur, ne praetextu bonarum, quas vocant, literarum et politioris linguae Erasmi libros aut consimilium habeant et legant, unde mala dogmata moresve prava imbibant. Graecam autem linguam aut Haebraicam non addiscant sine peculiari sui provincialis licentia in scriptis habenda, in qua fiat mentio expressa 5
praeceptoris, a quo talem linguam addiscere debeant.

Ordinamus, ut in omnibus conventibus nostris, ubi non sunt constructae librariae communes, quamprimum construantur, et ubi deest locus ad hoc idoneus, ad minus aptetur aliqua camera, in qua libri reponantur, et fratres convenire possint ad studendum; libri vero fratrum 10
decedentium nullo modo vendantur, nisi pro emendis aliis libris magis necessariis, extra ordinem, sed serventur pro fratrum et maxime iuvenum commoditate; et si priores reperti fuerint huiusmodi libros distrahere, ab officio absolvantur.

Ordinamus, quod in conventibus, ubi non est lectio sacrae theologiae, lectio casuum conscientiae de summa Galetani vel huiusmodi habeatur tribus ad minus in hebdomada diebus; festivis autem diebus toto anno volumus, [ut] in nostris ecclesiis legatur populo lectio de sacra scriptura vel de cathecismo, cui lectioni intersint fratres maxime iuniores et laici. 20

Ordinamus, ut in provincia Lombardiae deinceps studentes eiusdem provinciae Lombardiae in sacra theologia stent in studio Bononiensi per triennium, quemadmodum omnes aliae provinciae observant.

Ordinamus et concedimus omnibus provinciis Indorum, ut non teneantur mittere in Hispaniam libros fratrum decedentium apud eos dividendos inter conventus originales, et ubi sunt assignati, sed retineant eos in conventibus, ubi sunt assignati apud eos, et de portione, quae tangit conventus originales apud Hispanos, satisfaciant in pecunia eisdem conventibus. 25

Ordinamus et praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae provinciali provinciae Dalmatiae, ut studium alias in capitulis praecedentibus ordinatum in dicta provincia et conventu Iadrensi restituat, et de officialibus et lectoribus ac studentibus provideat. Et si id exequutioni non mandaverit, reverendissimus admoneatur, ut de opportuno remedio provideat. 30

Ordinamus, ut in quolibet conventu nostri ordinis sint deputati patres aliqui a consiliis viri prudentes, sine quibus non liceat prioribus graviora conventus tractare, prout in constitutionibus et ordinario praescribitur, et ea peculiari libro perscribere, nec possint priores ad libitum hos patres instituere vel destituere, sed munus hoc ad provincialem pertineat. Et praeter eos, qui secundum constitutiones munere hoc fungi 40

consueverunt, provincialis alios etiam substituat, dum numerum tamen duodenarium non excedant, quemadmodum in aliis etiam capitulis generalibus est ordinatum.

Ordinamus et omnino observari volumus, ut apostatae, qui post
5 haec ad ordinem recipientur, etiam si ad omnes ordinis gratias admittantur, nunquam tamen ad praelaturae officium assumi possint ante viginti annos, irritum decernentes, si secus factum fuerit.

Ordinamus, ut confessores monialium habeant praefixum tempus duorum vel trium annorum, quibus expletis, alii eorum loco subrogentur, ut in plerisque provinciis bene institutis observari cernimus.
10

Ordinamus, ut in provinciis, quibus depositas pecunias fratribus singularibus permittere est consuetum, id ea moderatione in posterum concedatur, quo necessitati, non avaritiae cupiditaeque prospicere videantur; quin et eas re ipsa pecunias deponi iubemus, non modo scriptis exponi, ut gravi abusu factum a plurimis hactenus scimus.
15

Ordinamus, ut nullus nostri ordinis frater ad verbum Dei pro sacra concione publice ad populum tractandum admittatur, neque etiam in oppidis, qui theologiam per duos ad minus annos non audierit; cuius oppositum facientes poena gravioris culpae puniantur; praecipientes reverendis provincialibus et prioribus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ne ullo pacto permittant huiusmodi fratres praedicare.
20

Ordinamus, ut de caetero in provincia Trinacriae priores sint biennales, quemadmodum hodie fere omnes Italiae provinciae observant; suppriorum autem in officio perseverent, quamdiu provinciali vel prioribus visum fuerit, nec habeant praefixum tempus sex vel octo mensium. Qui vero nunc actu prioratus officio funguntur, ad biennium perseverent ab inito prioratu, apostolica auctoritate specialiter nobis commissa praesenti statuto derogantes cuicumque apostolico brevi in contrarium facienti.
25
30

Ordinamus, ut de caetero nullus frater provinciae Graeciae, qui in ea professionem emisit, possit extra illam affiliari in conventibus aliarum provinciarum, cum et pauci sint admodum numero eiusdem provinciae fratres, et valde fratribus illa indigeat, irritum decernentes, quicquid secus factum fuerit.
35

Ordinamus pro provincia Dalmatiae, ut examinatores vocum pro electione provincialis et diffinitorum facienda secundum eorum privilegia fiant per vota secreta.

Ordinamus, ut in studio Perusino possint mitti ad minus quatuor
40 studentes forenses in sacra theologia eo modo, quo mittuntur ad alia studia.

Ordinationem in praecedenti capitulo Bononiensi factam, quod, qui in uno conventu fuerit electus semel in socium prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale, in eodem conventu non possit eligi in socium prioris pro capitulo provinciali immediate sequenti, libertati electionum studentes remittimus illam ad seriem nostrarum constitutionum.

Ordinamus, ut in provincia Aragoniae capitula provincialia semper celebrentur dominica « Deus qui errantibus » iuxta communem ordinis consuetudinem, utque semper celebrentur de biennio in biennium, denuo confirmantes ordinationem alias factam, quod provincialis electus statim sit vicarius provinciae, ad ipsum quoque pertineat capitulum celebrare et ex tunc currere intelligatur tempus sui provincialatus; quadrienniumque eius semper compleatur sabbatho praecedenti dictam dominicam « Deus qui errantibus », cum primum ingreditur capitulum pro novi provincialis electione facienda; quem tamen remanere volumus vicarium provinciae, declarantes cum non habere primam vocem in electione. Declaramus etiam, quod quando capitulum provinciale celebrandum est, quod (!) in electione provincialis eomet anno, quo celebrandum est capitulum generale pro electione magistri ordinis vel etiam capitulum generale provincialium, capitulum provinciale transferatur ad primam dominicam septembris proximi post factam electionem magistri ordinis, et provincialis in huiusmodi capitulo electus complere intelligatur quadriennium sui provincialatus incepto anno quarto, sabbatho ante praedictam dominicam « Deus qui errantibus ». Quae omnia et singula, si opus est, apostolica auctoritate confirmamus, qua fungimur in hac parte, non obstantibus quibuscunque.

Ordinamus et de speciali et expresso mandato sanctissimi domini nostri papae praecipimus, ut in unaquaque provincia, congregatione et vicaria nostri ordinis fiat catalogus eorum, qui eligendi sunt et praeficiendi in priores conventuum in capitulo provinciali seu congregationis et vicariae de proximo celebrando per duodecim tantum patres, hoc ordine videlicet per priorem provincialem seu vicarium generalem, per quatuor diffinitores capituli pro tempore existentes, per magistros in sacra theologia approbatos et acceptatos a provincia secundum ordinem suae praecedentiae, per eos, qui fuerunt provinciales eiusdem provinciae seu vicarii congregationum et vicariarum respective, et per eos, qui fuerunt diffinitores capituli generalis pro eadem provincia per priores, qui fuerunt diffinitores provincialis et subinde per priores antiquiores secundum ordinem suae professionis, donec duodenarius numerus compleatur, a quo senatu excludimus et exclusos esse volumus eos, qui fuerunt apostatae. Quibus omnibus 12 simul congregatis, provincialis seu vicarius generalis unum vel duos, si voluerit, quos idoneos ad prioratus officium

iudicaverit, proponat, et de singulis per vota secreta scrutinium fiat, et ille, in quem tres partes suffragiorum ex quatuor convenerint, dicto cathalogo conscribatur. Post provincialem autem seu vicarium generalem proponant alii eo ordine, quo sedent, quos idoneos censuerint, et suffragia ferant, ita quod singuli singulos proponere possint, quousque circulus compleatur; qui toties praemisso ordine repetatur, donec cathalogus in singulis capitulis provincialibus a praemissis patribus pro tempore revideatur, et prout spiritus sanctus suggesserit et necesse fuerit, alii inserantur vel etiam secundum demerita diligenter inspecta vel alias legitima de causa deleantur, ipsorum conscientias in diem Christi onerantes, ne odio vel amore, sed tantum zelo Dei secundum scientiam in huiusmodi propositione vel scrutinio se gerant; illisque inhibemus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ne privatim vel seorsum inter se conveniant, ut pro se vel pro aliis sibi invicem faveant; huiusmodi autem scrutatores numero duodecim hoc munere fungantur in provinciis, congregationibus vel vicariis, habentibus conventus infra numerum quinquaginta; qui autem quinquagenarium conventuum attigerint numerum, scrutatores huiusmodi sint numero viginti secundum praedictam seriem, nec possint ex eodem conventu plures quam quatuor filii de hoc numero scrutatorum esse, nisi in casu, in quo contigerit provincialem seu vicarium generalem et quatuor diffinitores eiusdem conventus esse filios; scrutatores autem nisi ipsi renuntiaverint, habeantur pro inscriptis et dicto cathalogo insertis; in provinciis autem, congregationibus vel vicariis minorem numerum conventuum quam viginti habentibus, provinciales seu vicarii generales et diffinitores et magistri et qui fuerunt provinciales vel vicarii, eadem lege et serie conficiant cathalogum. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

De claustralium seu conventualium reformatione.

De caetero in claustralium conventibus seu locis nullus recipiatur ad habitum nostri ordinis sine expressa in scriptis licentia reverendissimi patris nostri magistri ordinis, qui nisi modo praescripto a sanctissimo domino nostro summo pontifice, cuius mandato et autoritate id decernimus, talem licentiam non conferat; secus autem facto, receptio sive etiam professio irrita sit praesenti constitutione et nulla; praelati autem huiusmodi recipientes ipso facto sint a suis officiis absoluti; qui autem hucusque recepti sunt et non professi nec annum sextum decimum attigerunt, a praelatis sive praesidentibus conventuum, in quibus existunt, statim exuantur habitu atque ad domos proprias emittantur, restitutis sibi quaecumque ad conventum attulerunt.

Si qui vero in legitima aetate constituti secundum dispositionem sacri concilii recepti sunt, sub cura unius magistri novitiorum detineantur

imbuendi in his, quae religionis nostrae sunt, secundum constitutiones nostras; qui ut facilius educari possint in caeremoniis ordinis, unaquaeque vicaria duos vel tres conventus habeat, in quibus tantum novitii, ut praefertur, retineantur. Nec liceat cuiquam eos vel eorum aliquem in propriis cameris vel cellis retinere, seu eorum opera maxime autem circa equos alendos vel curandos uti, multominus professos, cum adoleverint vel in sacris constituti fuerint, quod praecipimus omnibus et singulis fratribus, cuiuscumque gradus et conditionis sint, sub poena gravioris culpa⁵e quoad privativas poenas, quas nunc pro tunc illis infligimus et inflictas declaramus.

Cameras insuper et habitationes a communi cellarum religiosarum forma excedentes praesenti constitutione et speciali sanctissimi domini nostri papae mandato auferimus; mandantes praelatis, ut eas redigant ad consuetam regularium formam, et si id fieri commode non poterit, in communem usum redigantur, et unusquisque tali cella in communi dormitorio, nullo apparatu ornata, contentus sit; et ita infra mensem a praesentium notitia tam praelati quam huiusmodi cameris abutentes exequutioni mandare praesens statutum teneantur, et qui contrafecerint, poenas absolutionis ab officiis et amissionis cuiuscumque et privationis vocis activae et passivae incurrant, quas poenas nunc pro tunc illis infligimus et inflictas declaramus.¹⁰

Mandamus insuper eorum praelatis, ut tunicellas laneas interiores deferant, conformiter ad nostras constitutiones, suosque subditos tam in personis eisdem laneis tunicellis quam in lectis laneis straminibus uti faciant, de quibus sibi debeant infra sex menses, si qui non habent, providere sub poena absolutionis ab officiis.¹⁵

Ut autem commodius regulari vitae inserviant huiusmodi conventualium seu claustralium praelati speciali sanctissimi domini nostri papae mandato eximimus eos a quacunque monialium cura; unde omnibus et singulis monialium monasteriis etiam tertii ordinis eis subiectis praesenti statuto renuntiamus, quae ad curam ordinariorum, in quorum civitatibus aut diocesibus respective consistant, remittimus; et ideo praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali et sub poena excommunicationis latae sententiae, ipso facto incurrenda, unica pro trina canonica monitione praemissa, ne audeant quovis modo in illarum regimine se intromittere. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.²⁰

De accessu ad monasteria monialium.

Ad monasteria autem monialium nostri ordinis nullus accedere praesumat sub poena gravioris culpa²⁵e ad mensem pro prima vice et pro secunda et ulterius ad arbitrium provincialis, exceptis dumtaxat praelatis

ordinariis et confessariis ordinariis ac provincialibus vel visitoribus, praeter quos, si quis alius opus habebit accedere ad dicta monasteria, toties quoties petat a praelato licentiam; qui nullatenus ei concedere possit, nisi prius examinata causa, an urgens et rationabilis sibi videatur, et tunc congregato patrum consilio in conventu praesentium et proposita coram illis causa requisitisque eorum votis per secreta suffragia, tribus partibus ex quatuor consentientibus, licentiam concedat in scriptis inserta causa; quam licentiam ipsemet, cui concessa est, apud se reservet, ut in visitatione provincialis aut visitoris, si requiratur, exhibere possit, et visitor teneatur inquirere de observantia huius decreti.

Perturbationes insuper ordinis, quae a quibusdam irreligiose excitari solent praetextu appellationis, qua praeter dispositionem constitutionum nostrarum et constitutionem felicis recordationis Bonifacii VIII. ad sedem apostolicam immediate confugiunt, tollere volentes, expressa specialique auctoritate apostolica per sanctissimum dominum nostrum nobis concessa praecipimus omnibus et singulis nostri ordinis fratribus et sororibus, cuiuscumque conditionis sint, in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto et sub poenis privationis utriusque vocis ac privationis cuiuscumque gradus et officii et sub poena excommunicationis latae sententiae, unica pro trina canonica monitione praemissa, ipso facto sine aliqua declaratione incurrendis, ut non audeant quavis de causa contra nostrarum dispositionem constitutionum et contra praefatas Bonifacii VIII. literas, immediate et non gradatim, ut nostrae sanciant constitutiones, ad sanctam sedem apostolicam et multo minus ad alia tam secularia quam ecclesiastica tribunalia aliquo pacto appellare.

Translationes.

In provincia Tholosana approbamus affiliationem fr. Petri Siguini et fr. Guilelmi Parvi in conventu Burdegalensi et fr. Geraldii in conventu sancti Severi.

In provincia utriusque Lombardiae transferimus fr. Iulium de Cignano et fr. Andream a Salodio lectores a conventibus suis originalibus et affiliamus eos in conventu sancti Petri Martyris de Muriano cum gratiis et commodis consuetis dari aliis filiis eiusdem conventus. Transferimus filiationem fr. Iacobi de Lugo a conventu Argentiano ad conventum Angelorum Ferrariae utriusque Lombardiae et affiliationem fr. Vitalis de Ravenna (1) a vicaria sancti Dominici ad conventum suum originale sancti Dominici de Ravenna utriusque Lombardiae.

In provinciam Regni transferimus fr. Petrum Philippum Iamfiliatum de Florentia ex provincia Romana et fr. Dominicum de Tibure ex vi-

(1) De fr. Vitale de Ravenna cf. MOPH. IX, 300.

caria Romana ad provinciam Regni, ut eis ita petentibus annuamus sic etiam consentiente provincia.

In provincia Aragoniae transferimus fr. Martium Imania a conventu Pampilonae ad conventum Valentinum, et fr. Martinum Guart a praedicto conventu Pampilonae ad conventum Barchinonensem et fr. Marcum Salas a conventu Alcantrii ad conventum Luchentinum.

Item transferimus omnes filios conventuum nationis Navarrae denuo incorporatorum provinciae Hispaniae, qui voluerunt transire in provinciam Aragoniae, ad illos conventus huius provinciae, a quibus acceptantur in filios.

In provincia Germaniae superioris transferimus a provincia Germaniae inferioris ad provinciam superioris Germaniae fr. Petrum Gerardi et fr. Ioannem Gerardi Valentinenses, fr. Vincentium Siculum, quem in conventu Bulsani affiliamus, fr. Ioannem Floremonium et fr. Ricassium a conventu Bruxellensi provinciae inferioris Germaniae ad hanc provinciam.

In provincia Dalmatiae transferimus a conventu Spalatrensi ad conventum sanctae Crucis de Bua fr. Ioannem de Spalatro eumque ibidem affiliamus et fr. Vincentium de Brachia a conventu Corzulensi ad conventum sanctae Mariae de Bol.

In provincia Trinacriae approbamus affiliationem magistri fr. Thomae de Bivona (1) in conventu Syracusano provinciae Trinacriae, quem legitimum filium eiusdem conventus declaramus, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Affiliamus fr. Blasium de Siraculis in loco Refadalis eiusdem provinciae et declaramus magistrum fr. Ioannem Petrum Cucuzza (2) legitimum filium sanctae Citae de Panormo, non obstantibus in contrarium quibuscumque, et approbamus filiationem fr. Ioannis Baptistae Bruni pro conventu sancti Dominici de Drepano et fr. Antonii la Pergola pro conventu sanctae Citae Panormi, et fr. Vincentii de Ansalono pro loco Saccae, et transferimus fr. Ioannem Petrum Varellum a conventu suo originali Caccabensi ad locum Bisbonae provinciae Trinacriae; declaramus tandem fr. Ioannem Passalacqua esse legitimum filium conventus sanctae Citae Panormi, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Item transferimus fr. Richardum Anglicum a provincia Angliae ad provinciam Trinacriae in conventum Petraperciae ad petitionem provinciae.

In provincia Bethicae transferimus fr. Ludovicum de la Chica (3) a

(1) De fr. Thoma de Bivona (Bisbona) cf. supra pag. 74.

(2) De fr. Ioanne Petro Cucuzza cf. MOPH. IX, 359.

(3) De fr. Ludovico de la Chica cf. supra pag. 16, 17.

conventu nostro Gienen. ad conventum sanctae Crucis Granaten., fr. Ioan-
 nem de Leon a conventu sancti Dominici de Palma ad conventum de
 s. Lucar, fr. Sebastianum de Morales a conventu Malachitano ad con-
 ventum sancti Pauli Hispalen., fr. Antonium de Stibera a conventu sancti
 5 Pauli Corduben. ad conventum Rosarii de Almagro, fr. Dominicum de
 Aranda a conventu de Scala Caeli ad conventum Malachitanum, fr. An-
 dream de Heredia a conventu de Osuna ad conventum de Porta Caeli,
 fr. Antoninum Guillen a conventu sancti Dominici de Murcia ad con-
 ventum sancta Crucis Granaten., fr. Martinum de Herrera a conventu
 10 de Scala Caeli ad conventum sancti Dominici Malachitanum, fr. Bartho-
 lomeum de Bohorques laicum a conventu de Archidone ad conventum
 Montis Syon, fr. Bartholomeum de Mesa laicum a conventu de Palma
 ad conventum de Almagro, fr. Illephonsum Arrue a conventu de Porta
 Caeli ad conventum Reginae Angelorum Hispalen., fr. Petrum de los
 15 Reyes a conventu de Oran ad conventum de Almeria, fr. Petrum de
 Vaena a conventu de Porta Caeli ad conventum de Ronda, fr. Hierony-
 mum de Annasco a conventu de Vaena ad conventum sancti Dominici de
 Guadix, fr. Ferdinandum de Quaesada a conventu de Vaena ad conventum
 de Baeza, fr. Illephonsum Solis a conventu Xiriciensi ad conventum de
 20 Carmona, fr. Ioannem de sancto Andrea laicum a conventu de Ronda
 ad conventum de Guadix, fr. Michaellem Rodrigiani a sua provincia ad
 provinciam Bethicam ad conventum de Porta Caeli, fr. Gregorium de
 Aguero a conventu de Ronda ad conventum Malachitanum, fr. Domini-
 cum de Aguaio a conventu sanctorum Martyrum de Corduba ad con-
 25 ventum s. Pauli Cordubensem.

Item revocamus a provincia nostra Hispaniae fr. Ferdinandum de
 Braca laicum et provinciae nostrae Bethicae transferimus et affiliamus
 eum in conventu sancti Dominici de Baeza.

Item transferimus filiationem fr. Alphonsi Hurtado Indiani a suis
 30 provincia et conventu originalibus ad conventum sancti Bartholomei de
 Utrera provinciae Bethicae, secum dispensantes super quocumque con-
 sensu communiter requisito, non obstantibus quibuscumque in contra-
 rium facientibus.

In provincia sancti Thomae approbamus translationem factam fr. Petri
 35 Martiris de Medunio (1) magistri a conventu Meduniensi ad conventum
 sancti Dominici de Garo et fr. Nicolai de Iuvenatio a conventu Biton-
 tino ad conventum Meduniensem.

In provincia Calabriae transferimus fr. Nicolaum de Peciniano a loco
 Acri ad conventum Peciniani, fr. Franciscum de Surinario a conventu

(1) De fr. Petro Martyre de Medunio cf. supra pag. 74.

Neocastri ad conventum sancti Georgii, fr. Thomam de Peciniano a conventu Nebbani ad conventum Piciniani, fr. Aurelium de Roblano a conventu Cosentino ad conventum Montis alti, fr. Pettum de Neocastro (1) a conventu Neocastri ad conventum Catansarii, fr. Joannem de Radicena a conventu sancti Georgii ad conventum Radicene, fr. Dominicum de Arena a loco Montis Leonis ad conventum Suriani, fr. Aurelium de Maida a conventu Silene ad locum Cirifalci, fr. Vincentium de Monte Soro a loco Cotroni ad conventum sanctae Severinae, fr. Iacobum de Cotrono a conventu Petrae Paulae ad locum Cotroni, fr. Gasparem de Cotrono a conventu Rosarni ad locum Cotroni, fr. Andream de sancto Severino (2), a loco Tropiae ad conventum sanctae Severinae, fr. Thomam de Suriano a conventu Suriani ad locum Tropiae.

Affiliamus fr. Dominicum de Nani in conventu s. Georgii, fr. Bernardum de Briatico a conventu Briatici ad locum s. Nicolai, fr. Marcum de Polistina a loco Radicene ad locum Laureanae, fr. Dominicum de Agrotarea a conventu Filenae ad conventum de Agrotarea, fr. Vincentium de Gemitiano affiliamus in loco Geminiani, fr. Ferdinandum de s. Georgio (3) magistrum in conventu s. Georgii, et transferimus fr. Petrum Dragum de Calabria a conventu Civitatis Vetulae vicariae Romanae ad provinciam Calabriae in conventu s. Georgii conventus sui originalis.

In provincia Ossitana concedimus fratribus Blasio Frassinete magistro conventus nostri Albani et Antonio Recelati eiusdem conventus, ut attenta desolatione dicti conventus ab hereticis facta possint affiliari in conventu Avenionensi vel in alio conventu citra, ubi repererint benevolos receptores secundum pluralitatem vocum et cum consensu vicarii.


In vicaria sancti Dominici affiliamus fr. Lucam de Floriano in conventu portus Grovarii transferendo eum a vicaria Romana et suo originali conventu, fr. Antoninum de Liniaco transferimus a conventu sanctae Mariae de Liniaco in locum sanctae Mariae dalla Stracastribaldi et in eum affiliamus.

In vicaria Romana approbamus filiationem fr. Vincentii de Civitate Castelli in conventu sancti Ioannis de Callio vicariae Romanae, et filiationem fr. Guglielmi de Castello in eodem conventu sancti Ioannis de Callio, fr. Augustini Banchi, fr. Ambrosii Siri, fr. Petri Andreae Ottinelli, fr. Hilarii Forzetti in conventu sancti Iacobi de Anania, et transferimus affiliationem fr. Ioannis Dominici a conventu Castellano provinciae Romanae ad conventum sancti Ioannis de Callio vicariae Romanae.

(1) De fr. Petro de Neocastro cf. supra pag. 71.

(2) De fr. Andrea de s. Severino cf. MOPH. IX, 353.

(3) De fr. Ferdinando de s. Georgio cf. supra pag. 80.



Acceptationes.

Acceptamus in provincia utriusque Lombardiae conventum sanctae Crucis et omnium sanctorum de Boscho, liberalitate sanctissimi domini nostri Pii V. pontificis maximi magnifice a fundamentis exstructum, 5 pinguibus redditibus dotatum et humanissime nostro ordini oblatum et donatum. Item in eadem provincia acceptamus conventum de Tortona sub invocatione s. Martiani.

Acceptamus in provincia Regni conventum nuper datum in civitate Surrentina a reverendissimo domino Iulio Pavesio (1) archiepiscopo ex 10 ordine assumpto sub invocatione sancti Vincentii.

Acceptamus in provincia Aragoniae collegium Oriolae nobis ab illustrissimo domino patriarcha Antiocheno archiepiscopo Valentino fundatum et amplissime dotatum.

Acceptamus in provincia Aragoniae domum sancti Martini civitatis 15 Oristanen. in regno Sardiniae.

Acceptamus in provincia Trinacriae locum in oppido Xichlensi sub invocatione sanctae Mariae de Monte Serrato.

Acceptamus in insula Melitae in civitate nova locum pro erectione novi conventus ab illustrissimo magno magistro nobis concessum.

20 Acceptamus in provincia Bethicae monasterium matris Dei, quod erexerunt illustres admodum dominus Ioannes Vazquez de Molina et domina Aloysia de Mendoza sua coniux et amplissime dotaverunt in civitate Ubetensi. Item conventum fratrum in oppido de Aracena diocesis Hispalensis.

25 Acceptamus in provincia s. Thomae locum sanctae Mariae de Gratia in oppido de Nucis.

Acceptamus in provincia Portugalliae conventum de Viana erectum et dotatum ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Bra- carensi, ex ordine nostro assumpto.

30 Acceptamus in congregatione Apprutina hospitium seu locum de Aversa tanquam membrum conventus Sulmonensis in diocesi Sulmonensi.

Commissiones.

Committimus reverendis provincialibus, ut in visitatione conventuum sequestrent aliquas pecunias annuales pro reparatione fabricae conven- 35 tum, qui passim destruuntur, et ut etiam provideatur loco infirmorum et hospitum de necessariis ad eorum officia, adhibitis gravioribus poenis, ne huiusmodi pecuniae in alios usus distrahantur.

Praecipimus reverendis provincialibus provinciarum Indorum tam praesentibus quam futuris temporibus sub poena absolutionis ab officio,

(1) De fr. Iulio Pavesio cf. BO. V, 55, 303.

ut quamdiu officio provincialatus funguntur, non recedant a suis provinciis redeundi ad Hispanias. Quam primum autem a provinciis ut supra recesserint, committimus tribus prioribus trium antiquiorum conventuum, ut simul congregati eos a suis officiis provincialatus absolutos declarent, et duorum sententia praevaleat, et opportuno tempore ad novam electionem provincialium conveniant. Provinciales autem huiusmodi coram diffinitoribus sicut et ceteri aliarum provinciarum rationem reddant sui regiminis et administrationis.

Committimus curam loci seu vicariae Pesticae intra terminos provinciae sancti Thomae provinciali pro tempore eiusdem provinciae, ut visitet et corrigat et disponat, prout facit de aliis suae provinciae conventibus, quod si domini illius conventus repugnaverint, declaramus locum illum non pertinere ad ordinem, et committimus magistro ordinis, ut fratres ab illo loco removeat.

Committimus omnibus prioribus, ut missale noviter impressum emendare in locis, ubi oportet, debeant, et in collecta D. Gregorii pro defunctis, ubi in oratione dicitur « a poenis aeternis » emendent, mutando « a poenis purgatorii » et sic prestent in aliis locis emendatione dignis.

Committimus et mandamus reverendo provinciali Bohemiae, ut de caetero nullo titulo acceptet fratres fugitivos provinciae Poloniae, et si quos tales nunc in sua provincia habet, eos ad provinciam Bohemiae(!) remittat.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut deputet aliquos patres ad hoc idoneos, qui diligenter colligant ex omnibus partibus ordinis gesta patrum, et subinde cronicam magnam conficiant ad totum ordinem pertinentem.

Committimus eidem reverendissimo magistro ordinis, ut acta omnium capitulorum generalium in unum congreget, et data opportunitate typis mandet.

Committimus reverendo procuratori ordinis, ut apud sanctissimum dominum nostrum supplices preces nomine diffinitorii porrigat super canonizatione beati Raimundi (1), olim generalis totius ordinis, et similiter nomine praefati diffinitorii studeat obtinere a sua sanctitate, quatenus fratres provinciae et vicariae Romanae possint celebrare officium de beato Iacobo de Mevania (2).

Committimus ac pariter concedimus reverendo patri provinciali pro tempore provinciae Bethicae, suffragante in hac parte autoritate apo-

(1) De fr. Raymundo de Pennaforti cf. MOPH. VI (*Raymundiana*).

(2) De fr. Iacobo de Mevania cf. SSOP. I, 492.

stolica nobis concessa, ut si sibi visum fuerit, de patrum consilio possit renuntiare locum oppidi de Theba ordinario, reservatis pro ordine bonis, quae a fratribus fuerunt pro illo loco acquisita, sive mobilibus sive immobilibus, et ea ad utilitatem communem provinciae vel alteri conventui applicare.

Commissionem in praecedenti capitulo Bononiensi datam reverendissimo magistro ordinis super divisione provinciae sancti Ioannis Baptistae del Peru confirmamus cum facultate dandi propria autoritate pro prima vice provincialem provinciae de novo erigendae, si id sibi videbitur.

Committimus reverendissimo patri nostro magistro ordinis, ut per iudices per illum deputandos cognoscat causam appellationis ad sedem apostolicam et recursus ad regem fr. Dominici de Guzman (1) praesentati provinciae Hispaniae, et prout iuris fuerit, conformiter ad nostras constitutiones sententiam ferat ita, ut ad alios in exemplum transeat.

Concessiones.

Concedimus omnibus fratribus provinciarum Indorum et congregationum, ut quam primum fratres ad illos ex partibus Hispaniarum declinaverint et ad conventus suarum assignationum applicaverint, habeant voces etiam in electionibus priorum, si alias habiles fuerint, esto quod per integrum annum in aliquo conventu earundem provinciarum non steterint; et si quid in hac parte supplendum sit, apostolica autoritate est suppletum.

Concedimus eisdem provinciis, ut vicarii locorum seu vicariarum vocem habeant in electionibus provincialium et diffinitorum et in aliis actibus capitularibus, quemadmodum et priores, hac tamen lege, ut a fratribus in eisdem vicariis assignatis eligantur quemadmodum et priores et a provincialibus confirmentur. Vicarii autem a provincialibus ad nutum deputati hac gratia omnino careant. Tempus autem horum vicariorum non excedat tempus priorum, sed eisdem legibus in omnibus subiaceant. In hac etiam constitutione suppletum est apostolica autoritate, quid necessario est supplendum.

Concedimus fr. Bartholomeo Polono conventus Poznaniensis diffinitori praesentis capituli, ut post pascha immediate sequens possit gradum baccalaureatus suscipere et ad suos, ad quos vocatur, redire, praemisso debito examine.

Institutiones.

In provincia Regni instituimus praedicatores generales fr. Stephanum de Salerno et fr. Ludovicum de Modugno.

(1) De fr. Dominico de Guzman cf. supra pag. 75.

In provincia Dalmatiae similiter instituimus in praedicatores generales fr. Eustachium de Faro et Paulum de Tragurio.

In provincia Trinacriae similiter instituimus in praedictorem generalem fr. Ioannem Baptistam de Guillelmo Messanensem.

Item acceptamus, et quatenus opus esset, de novo instituimus in praedicatores generales in provincia Bethicae eos, quos reverendissimus pater noster magister ordinis in capitulo provinciali Hispali celebrato anno 1566 institutos approbavit, visitans illam provinciam.

In provincia s. Thomae similiter instituimus in praedictorem generalem fr. Thomam de Venusio.

Congregationem Franciae reformatam etiam ad eorum petitionem erigimus in provinciam sub titulo provinciae Ossitanae, extincto congregationis nomine, cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus ceterae ordinis provinciae gaudent. Declarantes ad illam pertinere omnes et singulos conventus, quos hactenus sub titulo congregationis possedit et possidet, dummodo renuntient omnibus indultis, quibus possent praetendere exemptionem ab obedientia magistri ordinis. Dantes eisdem facultatem in proximo eorum capitulo eligendi priorem provincialem et mittendi decretum ad reverendissimum generalem pro confirmatione.

In collegio Oriole provinciae Aragoniae sub invocatione s. Mariae D. N. de succursu, cum primus locus quomodocumque vacaverit, ex nunc pro tunc instituimus in rectorem perpetuum et institutum damus apostolica autoritate, qua fungimur, fr. Ioannem Loazes magistrum, qui non possit nisi a reverendissimo magistro ordinis amoveri; possit tamen propter causas sufficientes suspendi a provinciali de consilio patrum provinciae, quousque reverendissimus magister ordinis consulatur.

Revocationes.

Revocamus omnes licentias et facultates concessas fratribus nostris, cuiuscumque gradus sint et conditionis, retinendi pecunias et expendendi et omnes alias, quae regulari observantiae et debitae subiectioni suorum ordinariorum repugnant, et eosdem ad subiectionem et obedientiam suorum praelatorum remittimus.

Revocamus omnes abusus claustralium seu conventualium habendi mansionarias et officiaturas capellarum et ecclesiarum, et praesertim conventuum sancti Ioannis et Pauli Venetiarum et sancti Augustini de Padua et aliorum eiusdem vicariae; et has omnes capellanas communitati applicamus; praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena et privationis affiliationis eorundem conventuum, ut statim habita huiusmodi notitia fideliter has capellanas communitati relinquunt, et priores in dies disponant de illis, qui eas officient, et si aliquae habent vinculum perso-

nale, et patroni noluerint communitati applicare, agatur de iure, et patronis potius resignentur, quam cum specie eiusmodi proprietatis retineantur.

Revocamus omnes abusus claustralium de dividendis inter se pecuniis et eleemosinis missarum etc.; et volumus omnia communitati applicari, et secundum fratrum indigentiam a prioribus provideatur eorum necessitatibus. Et similiter prohibemus, ne stipendium aliquod dent regentibus vel quibusvis aliis officialibus, etiam rerum temporalium administratoribus.

Restituimus ad gratias ordinis fr. Iacobum Serra et fr. Franciscum Tulia provinciae Aragoniae, quibus fuerant privati propter apostasiam.

Restituimus ad gratias ordinis fr. Ioannem Baptistam de Calandario provinciae Calabriae et fr. Dominicum de Petrafitta et fr. Ioannem Baptistam de Vadolato et fr. Hieronimum de Cacurio, quibus privati fuerant propter apostasiam et contumaciam, et fr. Vincentium de Bisiniano et fr. Thomam de Mileto.

Item restituimus ad gratias ordinis fr. Franciscum Nicolosium Drepanensem provinciae Trinacriae et fr. Thomam Lomia de Cammerota.

Restituimus ad gratias ordinis fratres Thomam Monsonum, Philippum Bartucellum et Thomam Graciam eiusdem provinciae Trinacriae.

Restituimus conventum Friburgensem in Preiscovia provinciae Teutoniae seu superioris Germaniae et praecipimus omnibus et singulis fratribus eiusdem conventus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, unica pro trina monitione praemissa, ut reverendo provinciali Germaniae superioris in omnibus obediant et eum uti suum legitimum praelatum recognoscant, non obstantibus quibuscumque.

Approbationes.

Approbamus in provincia Hispaniae magisterium fr. Ioannis de Salinas, olim provincialis, et Philippi de Urias (1) diffinitoris praesentis capituli, et committimus reverendissimo magistro ordinis, ut petitos in proximo capitulo Vallisoleti celebrato acceptet et approbet tam in magistros et praesentatos quam in praedicatores generales.

In provincia Tolosana magisteria fr. Ioannis de Lana (2) conventus Condomiensis et Ioannis de Bellano conventus sancti Gaudentii. Insuper licentiaturam fr. Petri de Ravis conventus sancti Emiliani.

In provincia Franciae acceptamus magisteria fr. Antonii Tonorelles conventus Ambianensis.

(1) De fr. Philippo de Urias cf. supra pag. 79.

(2) De fr. Ioanne de Lana cf. l. c. pag. 19.

In provincia utriusque Lombardiae acceptamus magisteria fratrum Thomae de Muriano (1) praesentis capituli generalis diffinitoris, Marci Medices de Verona (2) inquisitoris Veronensis, Valerii Faentii de Verona, Constantii de Mutina, Angeli de Angelis de Magdalono, Benedicti Marabotti de Monte Regali (3), Vincentii Denzelli de Monte Regali, et fr. Vincentii de Ceprano et baccalaureatum fr. Hieronymi de Fano.

In provincia Romana acceptamus magisterium fr. Vincentii Herculaniani praesentis capituli generalis diffinitoris, et fr. Nicolai Alexii de Perusio (4) et baccalaureatum fr. Vincentii Seti de Perusio.

In provincia Regni approbamus magisteria fr. Augustini Pisanelli de Neapoli (5) et Thomae de Gaeta, et baccalaureatum fr. Petri de Nucera (6).

In provincia superioris Germaniae approbamus promotionem fr. Guglielmi Gennepeus (7) ad licentiaturam sacrae theologiae et fr. Henrici Glathbach ad baccalaureatum, quas fecerunt in conventu Coloniensi.

In provincia Poloniae magisterium fr. Cipriani Poloni (8) conventus Poznaniensis prioris Vilnensis.

In provincia Graeciae approbamus fr. Thomam de Candia in baccalaureum.

In provincia Aragoniae magisteria fratrum Vincentii Pons, Francisci Garsiae (9), Ioannis de Villa Campa (10), Ioannis Spes (11), Honofrii Clement (11), Ioannis Loazes, praesenturas fratrum Eugenii Garsia, Eugenii Tudela, Petri Gilibet (11), Petri Farto, Michaelis Hebrera (11), Michaelis Roger (11), Iacobi Comes (11), Ioannis Roldam, Honofrii Pineda (12), Michaelis Villaplana, Ioannis Vidal, Alphonsi Godoi, Michaelis Tomara (11), Francisci Fernandez, Ioannis Granada (13), Ioannis Martinez, Petri Colli, Thomae Ferrer, Cipriani Florcadet (14), Iacobi Lobet et fr. Antonii Pizzaro (11).

(1) De fr. Thoma de Muriano cf. supra pag. 79.

(2) De fr. Marco de Verona cf. l. c. pag. 42.

(3) De fr. Benedicto Marabotti de Montereali cf. SSOP. II, 251.

(4) De fr. Nicolao Alexio de Perusio cf. supra pag. 71.

(5) De fr. Augustino Pisanello de Neapoli cf. l. c. pag. 75.

(6) De fr. Petro de Nucera cf. MOPH. IX, 358.

(7) De fr. Guilelmo Gennepeus cf. supra pag. 71.

(8) De fr. Cypriano Polono cf. l. c. pag. 2.

(9) De fr. Francisco Garsia cf. l. c. pag. 73.

(10) De fr. Ioanne de Villacampa cf. l. c. pag. 23.

(11) De ffr. Ioanne Spes (Despes), Onuphrio Clement (Clemens), Petro Gilibet (Gelaberth), Michaeli Hebrera, Michaeli Roger (Rogel), Iacobo Comes, Michaeli Tomara (Tamarro), Antonio Pizzaro cf. l. c. pag. 76.

(12) De fr. Onuphrio Pineda cf. l. c. pag. 73.

(13) De fr. Ioanne [de] Granada cf. SSOP. II, 307.

(14) De fr. Cypriano Florcadet (Forcadellus) cf. supra pag. 71.

In provincia Provinciae approbamus magisteria fratrum Bartholomei Audifredi (1), Laurentii Privati (2) et Ioannis de Mota (3), et baccalaureatum fr. Vincentii Tibaldi de Nicia (4).

In provincia Dalmatiae magisterium fr. Simonis Rosa praesentis capituli generalis diffinitoris, fr. Pauli de Cataro et fr. Lucae de Brachia (5).

In provincia Trinacriae approbamus et acceptamus magisteria fratrum Antonini Specialis de Noto praesentis capituli generalis diffinitoris, Thomae de Bisbona (6), Francisci Aurificis, Marci Antonii Vitalis, Ioseph de Modica, Augustini de Mirto (7), Salvatoris Coves (8), Ioannis Petri Cucuzza (9), Decii Palumbi (10), et baccalaureatum fratrum Ioannis Petri de Mirto, Vincentii Frasca, Scipionis de Cathania, Thomae Pirri, Hieronimi Infallera (11), Pauli Manghi, Mariani lo Vechio (12), Thomae de sancto Angelo, Alberti Pipi, Thomae de Ripa, Egidii Barresii, Nicolai Sigerii, Alfonsi de Xava et Hieronimi de Recalbuto.

In provincia Portugalliae approbamus magisteria fr. Antonii Pegado (13), Ludovici Pezeira (13), Ludovici de Sosomagor (13).

In provincia Bethicae approbamus magisteria fratrum Antonii de Barcio, Andreae de sancto Ioanne (14), Thomae Durans (15), Illephonsi Chachon (16), reverendi patris fr. Remigii Tamariz praesentis capituli generalis diffinitoris, fr. Reginaldi Pezzelin, et praesentaturas fratrum Blasii Merino, Ioannis Martinez, Alvari Melgareio. Item approbamus magisteria et praesentaturas eorum, qui in capitulo praecedenti Bononiensi licentiati sunt.

In provincia sancti Thomae approbamus magisteria fratrum Pasqualis de Barletta, Petri Martiris de Medunio (17), Salvatoris de Castel-

(1) De fr. Bartholomaeo Audifredo cf. supra pag. 85.

(2) De fr. Laurentio Privati cf. l. c. pag. 43.

(3) De fr. Ioanne de Mota cf. l. c. pag. 69.

(4) De fr. Vincentio Tibaldi (Theobaldi) de Nicia cf. l. c. pag. 70.

(5) De fr. Luca de Brachia cf. l. c. pag. 76.

(6) De fr. Thoma de Bisbona cf. l. c. pag. 98.

(7) De fr. Augustino de Mirto cf. l. c. pag. 23.

(8) De fr. Salvatore Coves cf. l. c. pag. 77.

(9) De fr. Ioanne Petro Cucuzza cf. l. c. pag. 98.

(10) De fr. Decio Palumbo cf. l. c. pag. 74.

(11) De fr. Hieronymo Infallera (Infallerus) cf. l. c. pag. 71.

(12) De fr. Mariano lo Vecchio cf. SSOP. II, 294, 336.

(13) De ffr. Antonio Pegado (Pedago), Ludovico Pezeira (Perera), Ludovico de Sosomagor (Sotomayor) cf. supra pag. 40, 76.

(14) De fr. Andrea de s. Ioanne cf. l. c. pag. 19.

(15) De fr. Thoma Durans (Duran, Duram) cf. l. c. pag. 77.

(16) De fr. Ildephonso Chachon cf. SSOP. II, 344.

(17) De fr. Petro Martyre de Medunio cf. supra pag. 99.

laneto (1); baccalaureatum fratrum Ioannis de Tricasio (2), Alberti de Licio (3), Horatii de Tarento (4), Angeli de Rubro, Alberti de Matera (5), et Alberti de Misania.

In provincia Germaniae inferioris magisteria fratrum Baldassaris Textoris (6) et Petri Baccherii (7); et bacchalaureatum fratrum Guglielmi a Quercu et Petri Almerici.

In provincia Calabriae approbamus magisteria fratrum Andreae de sancto Georgio (8) provincialis, Ferdinandi de sancto Georgio praesentis capituli generalis definitoris, Francisci de Riolo (8), Dominici de Galateo (9), et baccalaureatum fr. Ambrosii de Bisignano (8). 10

In provincia s. Crucis approbamus praesentaturam fr. Illephonsi de Abendanno.

Pro provincia sancti Iacobi de Mexico approbamus praesentaturam fr. Martini de Niebla et magisterium fr. Didaci Osorio.

Item approbamus praesentaturas fr. Ioannis de Bustanmante, fr. Petri de Pravia (10), fr. Thomae de Mercado (11). 15

Pro provincia sancti Ioannis Baptistae approbamus praesentaturam fr. Alphonsi de Lacerda, fr. Gasparis de Caravasal et Lupi de la Fuente, fr. Francisci de Cruce, fr. Michaelis de Montalvo, fr. Illephonsi Gasco (12). 20

Pro provincia sancti Antonini approbamus praesentaturam patris Alberti Pedrero, fr. Ioannis Mendez, fr. Manuelis de Suero et fr. Ludovici Lopez (13).

In provincia Ositana approbamus magisteria fratrum Stephani de Laia (14) conventus Avenionensis, Ludovici Vidal (14) conventus Biterensis, Ioannis de Vinea (14) conventus Massaliae. 25

(1) De fr. Salvatore de Castellaneto cf. supra pag. 45.

(2) De fr. Ioanne Tricasio cf. l. c. pag. 75.

(3) De fr. Alberto de Licio cf. l. c. pag. 22.

(4) De fr. Horatio de Tarento cf. l. c. pag. 71.

(5) De fr. Alberto de Matera cf. l. c. pag. 72.

(6) De fr. Balthasare Textoris cf. l. c. pag. 39.

(7) De fr. Petro Bacherio cf. l. c. pag. 72.

(8) De ffr. Andrea de s. Georgio, Francisco de Riolo, Ambrosio de Bisignano cf. l. c. pag. 75.

(9) De fr. Dominico de Galateo (Galatro) cf. l. c. pag. 77.

(10) De fr. Petro de Pravia cf. SSOP. II, 294.

(11) De fr. Thoma de Mercado cf. l. c. pag. 235.

(12) De fr. Ildephonso Gasco cf. supra pag. 24.

(13) De fr. Ludovico Lopez cf. SSOP. II, 316.

(14) De ffr. Stephano de Laia, Ludovico Vidal (Vitalis), Ioanne de Vinea (Vinea) cf. supra pag. 74.

In vicaria sancti Dominici approbamus magisteria fratrum Desiderii de Lignamine de Padua, Aloysii de sancta Iustina de Padua (1), Angeli Casatini, Alphonsi Soto Florentini (2), Ludovici de Monte Pat., Petri Martiris de Rodigio (3), Hieronymi Bigarella (3). Item baccalaureatum
5 fratrum Adriani Adrian, Roberti de Tarvisio (3), Adeodati de Tarvisio, Benedicti Gioyosii de Utino, Marini Petrobelli.

In congregatione Gallicana approbamus magisteria fr. Dominici Simonis conventus Trecensis, fr. Roberti Caballeace conventus Turonensis, fr. Petri Lacheit, fr. Nicolai Boutoyrie (4) conventus Trecensis, Gregorii
10 Yonh conventus Rothomagensis. Item magisterium patris fr. Francisci de Floriano et regentiam suam in almo studio Parisiensi sibi continuatam in capitulo congregationis.

In vicaria s. Petri Martiris approbamus magisteria fratrum Vincentii Pecora, Bartholomei de Prelormo, Hieronimi Astensis (5), Angeli
15 de Thaurino (6), Matthiae de Aquario (7), Alexandri de Monte Regali (6), Ioannis Baptistae de Albinga (5). Item baccalaureatum fratrum Claudii de Cherio et Thomae de Castelaneto (6).

In vicaria Romana approbamus baccalaureatum fratrum Vincentii Cellii de Civitate Veteri, Theodori de Reache, Ioannis Baptistae de Floriano (8), Vincentii de Castello (8).
20

In conventu Senensi magisterium fr. Innocentii de Senis et baccalaureatum fr. Stephani Balistarii de Senis.

In congregatione Apprutina approbamus magisterium fr. Nicolai de Francavilla.

25 Provisiones studiorum.

In studio Parisiensi assignamus in baccalaureos tam ordinarios quam extraordinarios eos, qui legitime a consilio Parisiensi petiti iuxta morem fuerint, et a reverendissimo patre generali seu eius vicario generali Romae existente approbati, et non aliter salvo semper iure extraneorum,
30 quibus volumus conformiter ad eorum continuatum ius seu privilegia vel etiam ordinationes reverendissimorum generalium locum dari ad legendum, non obstantibus quibuscumque.

(1) De fr. Aloysio de s. Iustina cf. supra pag. 77.

(2) De fr. Alphonso Soto de Florentia cf. l. c. pag. 76.

(3) De ffr. Petro Martyre de Rodigio (Rovigo), Hieronymo Bigarella, Roberto de Tarvisio cf. l. c. pag. 72.

(4) De fr. Nicolao Boutoyrie cf. l. c. pag. 24.

(5) De fr. Hieronymo de Ast et Ioanne Baptista de Albinga cf. l. c. pag. 72.

(6) De ffr. Angelo de Thaurino, Alexandro de Monteregali, Thoma de Castelaneto cf. l. c. pag. 73.

(7) De fr. Matthia de Aquario cf. l. c. pag. 44.

(8) De fr. Ioanne Bapt. de Floriano et Vincentio de Castello cf. l. c. pag. 75.

In studio Bononiensi confirmamus in regentem pro duobus sequentibus annis reverendum patrem fr. Thomam de Muriano (1) magistrum, praesentis capituli generalis diffinitorem, pro tertio vero fr. Hieronimum de Fano, in baccalaureum pro primo anno fr. Hieronimum de Fano, pro duobus sequentibus fr. Hieronimum de Bononia, in magistros studii providebunt diffinitores capituli provincialis secundum eorum consuetudinem. In studentes pro rata provinciae Dalmatiae fr. Dominicum de Brachia secundum, completo studio fr. Nicholai de Iadra, pro rata provinciae Regni fr. Ioannem Mariam de Neapoli, fr. Iacobum de Arelate pro provincia Ossitana, pro rata Poloniae fr. Felicem Polonum, pro rata provinciae Trinacriae fr. Vincentium Mages post fr. Hieronymum de s. Angelo et fr. Vincentium de Mirto post fr. Iacobum Chiotta; pro provincia s. Thomae fr. Franciscum de Martina et fr. Ioannem Baptistam de Medunio, pro rata provinciae Provinciae fr. Angelum de Niccia, reassignamus per alios tres annos et fr. Honoratum de s. Maximino. Pro rata provinciae Calabriae fr. Dominicum de s. Georgio; per alios tres annos fr. Paulum Radicena post fr. Dominicum de Roblano; pro congregatione Franciae fr. Iacobum Bartolomei Arelaten.

In studio Salmantino et aliis studiis provinciae Hispaniae providebit reverendus provincialis cum suo reverendo diffinitorio.

In studio Tholosano damus in regentem studii et alios officiales, eos qui a reverendo vicario congregationis cum diffinitorio fuerint nominati.

In studio Coloniensi de regente et aliis officialibus ac provisionibus confirmamus acta per rev. magistrum fr. Vincentium Herculanum, declarantes universitatem et conventum debere computari inter universitates ordinis, in quibus fratres exercent actus pro gradibus.

In studio Lovaniensi in regentem assignamus ad triennium fr. Baldassarem Textoris (2) magistrum, in magistrum studii pro anno 1569 currenti fr. Guglielmum de Quercu, in baccalaureum pro anno currenti 1570 fr. Damianum a Ligno (3), et pro anno 1571 fr. Dominicum Tegers (3), similiter baccalaureum.

In studio Perusino damus in regentem fr. Nicolaum de Perusio (4) magistrum pro annis tribus sequentibus, in baccalaureum pro eisdem annis fr. Vincentium Setti de Perusio, in magistrum studii fr. Thomam de Boninsegnis pro primo et secundo, pro tertio vero fr. David de Regiolo sine praeiudicio praecedentiae inter eos.

(1) De fr. Thoma de Muriano cf. supra pag. 106.

(2) De fr. Balthasare Textoris cf. l. c. pag. 108.

(3) De fr. Damiano a Ligno et fr. Dominico Tegers (Zeghers) cf. l. c. pag. 76.

(4) De fr. Nicolao de Perusio cf. l. c. pag. 106.

In studio sancti Dominici de Neapoli in regentem pro duobus annis fr. Thomam de Gaeta magistrum, in magistrum studii fr. Aurelium de Balneolo, in baccalaureum vero assignamus fr. Maurum de Tarento (1) pro duobus sequentibus annis, pro tertio providebit reverendissimus. In
 5 studentes fr. Titum de Salerno, fr. Hieronimum de Nuceria, fr. Archangelum de Neapoli, fr. Vincentium de Ariola, fr. Paulum de Neapoli, fr. Iacobum de Ariola et tam hos quam alios completo triennio nolumus reassignari, sed intelligantur ipso facto remoti a studio. In studentem
 10 pro rata provinciae Trinacriae fr. Thomam de Tauromina post fr. Octavianum Manduca, pro rata provinciae sancti Thomae fr. Thomam de Monopoli, completo triennio fr. Augustini de Licio, pro rata congregationis Marchiae Anthonitanae fr. Ioannem Antonium de Urbino, pro rata vicariae sancti Dominici fr. Livium de Tarvisio.

In studio Patavino pro rata provinciae Terrae sanctae assignamus
 15 fr. Hieronimum de Roma in studentem, et in studentes pro rata provinciae sancti Thomae fr. Antonium de Altamura, fr. Carolum de Gallipoli, et pro rata provinciae Regni fr. Eugenium de Nuceria.

In studio Patavino damus in regentem pro tribus annis reverendum
 20 fr. Sanctum de Utino (2), in magistrum studii pro primo anno fr. Petrum Martirem de Este, in biblicum fr. Lucam de Floriano; de baccalaureis providebit reverendissimus. Pro secundo anno in magistrum studii fr. Petrum de Este (3), in biblicum fr. Petrum Martirem de Este, in tertio in magistrum studii fr. Hieronimum de Tarvisio, in biblicum fr. Ioannem Petrum de Este, de baccalaureis providebit reverendissimus.

In studio Mediolanensi sancti Eustorgii in regentem pro duobus
 25 annis fr. Matthiam de Aquario (4) magistrum, pro tertio fr. Antonium de Ripolis (5) magistrum; in baccalaureum pro primo anno fr. Thomam de Castellaneta (6), pro secundo fr. Thomam de Monte Regali, pro tertio fr. Danielelem de Bonifacio, in magistrum studii pro primo anno
 30 fr. Danielelem de Bonifacio, pro secundo et tertio fr. Ioannem Augustinum de Alexandria, declarantes, quod in hoc studio magistri studii stent per biennium et similiter baccalaurei.

In studio Cracoviensi providebit reverendus provincialis de officialibus studii.

(1) De fr. Mauro de Tarento cf. MOPH. IX, 352.

(2) De fr. Sancto de Utino cf. l. c. pag. 358.

(3) De fr. Petro de Este cf. l. c.

(4) De fr. Matthia de Aquario cf. supra pag. 109.

(5) De fr. Antonio de Ripolis cf. l. c. pag. 74.

(6) De fr. Thoma de Castellaneta cf. l. c. pag. 109.

In studio Barchinonensi in regentem rev. patrem fr. Stephanum de Encontra (1) magistrum praesentis capituli generalis difinitorem, in secundum lectorem theologiae fr. Franciscum Loris, in magistrum studentium fr. Antonium Font.

In studio Caesaraugustano in regentem fr. Ioannem de Spes (2) magistrum, in baccalaureum ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii fr. Ioannem Granada, in magistrum studentium fr. Michaellem Feret.

In studio Valentino damus in regentem fr. Franciscum Garsia (3) magistrum, in secundum lectorem theologiae fr. Franciscum Aleman, in magistrum studentium fr. Bartholomeum Pavie.

In studio Cordubensi providebit reverendus provincialis cum patribus difinitoribus sui capituli.

In studio Ziriciensium providebit reverendus provincialis cum patribus difinitoribus sui capituli.

In studio Granatensi providebit reverendus provincialis cum patribus difinitoribus sui capituli.

Item in studio sancti Pauli Hispalensi nostra auctoritate prorogamus assignationem et sacrae theologiae studentatum fr. Alphonsi Hurtado Indiani pro alio quadriennio sequenti, completo primo quadriennio ab eodem ibidem incepto, et quatenus opus est, eum ibidem de novo assignamus, non obstantibus quibuscumque.

In studio Panormitano in regentem pro tribus sequentibus annis fr. Marcum Antonium de Panormo Vitalem (4) magistrum, in baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Vincentium Pasca, pro tertio fr. Hieronimum Infallera (4), in magistrum studii pro primo anno fr. Franciscum de Leontino, pro secundo fr. Antonium de san Fradello, pro tertio fr. Hieronimum de Veria. In studentes pro rata provinciae Regni fr. Raimundum de Aversa, pro provincia sua Trinacriae fr. Hippolitum de Veria et fr. Gregorium Nespola.

In studio Ulixbonensi providebit rev. provincialis cum suo capitulo.

In studio de Bello providebit rev. provincialis cum suo capitulo.

In collegio s. Thomae providebit rev. provincialis cum suo capitulo.

In studio civitatis Regum del Peru et aliis studiis provinciarum Indorum providebunt reverendi provinciales iuxta dispositionem suorum capitulorum provincialium.

(1) De fr. Stephano de Encontra cf. supra pag. 80.

(2) De fr. Ioanne de Spes cf. l. c. pag. 106.

(3) De fr. Francisco Garsia cf. l. c.

(4) De fr. Marco Antonio et fr. Hieronymo Infallera cf. l. c. pag. 107.

In studio Avenionensi damus in regentem et alios officiales eos, quos reverendus vicarius deputabit usque ad capitulum congregationis, et in capitulo providebit idem vicarius cum suo diffinitorio.

In studio Andrensi provinciae sancti Thomae damus in regentem, 5 baccalaureum et magistros studii, quos reverendissimus nominabit.

In studio Consentino in regentem fr. Andream de sancto Georgio (1) magistrum, in baccalaureum pro primo anno fr. Ambrosium de Bisignano (1), pro duobus sequentibus providebit reverendissimus, in magistrum studii pro primo anno fr. Bartholomeum de Polistina (2), pro secundo 10 fr. Dominicum de Groptulis, pro tertio fr. Ioseph de Cosentia.

In universitate Duacensi Germaniae inferioris de regente et aliis officialibus providebit reverendus provincialis.

Licentiae promovendorum.

In provincia Tolosana licentiamus ad magisterium fr. Paridem Ardoini conventus Burdegalensis, fr. Robertum de Bellovisu conventus 15 sancti Gaudentii, fr. Ioannem Guirey conventus Baionensis, fr. Petrum de Ponte conventus Orthesiensis, fr. Hugonem Barbe conventus Portus sanctae Mariae, fr. Bernardum Bartani conventus Burdegalensis, si tamen peregerunt cursus suos secundum constitutiones.

In provincia utriusque Lombardiae licentiamus ad magisterium 20 fr. Hieronymum de Fano baccalaureum, completo suo biennio, in baccalaureum fr. Hieronymum Cicognaria de Bononia.

In provincia Regni ad magisterium fr. Iacobum de Tetra, et acceptamus magisterium fr. Thomae de Gaeta pro ista provincia, declarantes 25 completum esse numerum magistrorum duodenarium, quem provincia debet habere secundum ordinationem praecedentium capitulorum generalium, in baccalaureum vero fr. Maurum de Tarento (3).

In provincia Provinciae licentiamus ad baccalaureatum fr. Dominicum Gallum priorem Niciae, fr. Guglielmum Frasinicum conventus Montispe- 30 sulani, et fr. Guglielmum Villermerium (4) conventus sancti Maximini.

In provincia Trinacriae licentiamus ad baccalaureatum fr. Paulum Cephaludensem.

In provincia Bethicae ad magisterium fr. Albertum de Aguaio (5).

Nullus ex his, qui promoti sunt ad gradus in hoc capitulo, susci- 35 pere possit gradus huiusmodi, nisi prius examinatus sufficiens repertus fuerit, super quo examinatorum conscientias oneramus.

(1) De fr. Andrea de s. Georgio et fr. Ambrosio de Bisignano cf. supra pag. 108.

(2) De fr. Bartholomaeo de Polistina cf. l. c. pag. 71.

(3) De fr. Mauro de Tarento cf. l. c. pag. 111.

(4) De fr. Guilelmo Villermerio (Gullialmerio) cf. l. c. pag. 36.

(5) De fr. Alberto de Aguaio cf. l. c. pag. 77.

Committimus reverendissimo magistro ordinis nostram auctoritatem in praemissis et circa praemissa et omnia declarandi et interpretandi et addendi vel minuendi et omnia et singula faciendi, quae capitulum generale et nos facere possumus, prout eius prudentiae visum fuerit opportunum.

Sententias iudicum approbamus et acceptamus volumusque suum habere effectum.

Auctoritatem reverendorum diffinitorum durare volumus per totam diem dominicam festi sanctissimae Trinitatis usque ad secundam feriam.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Pio papa quinto, ex nostro ordine assumpto, quilibet sacerdos tres missas et insuper sacerdos quilibet singulis mensibus unam missam pro sua beatitudine dicere teneatur.

Pro augustissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo rege Franciae quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico rege Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus serenissimis regibus et principibus christianis, qui sub obedientia sanctae sedis apostolicae vivunt, et pro pace inter eos servanda et pro bono statu reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Morono, protectore ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Item pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Alexandrino ex ordine nostro assumpto quilibet sacerdos unam missam.

Item pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et excellentissimo duce de Medina maximo religionis nostrae benefactore, prosapia s. patris nostri Dominici, et pro illustrissimis dominabus comitissis matre et sorore eiusdem, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustribus dominis Ioanne Vasquez de Molina et sua coniuge, qui proprias suae habitationis domos magnifice structas ordini nostro contulerunt ad erectionem monasterii monialium et ex redditibus copiosissimas duntaxat, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus et his qui recepti fuerunt ad beneficia ordinis per reverendissimum generalem, et pro his qui in hoc capitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo patre nostro generali magistro et pro sua societate et etiam pro reverendo procuratore ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

Ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semel septem psalmi poenitentiales cum litanis, laicis vero et conversis decies. pater noster et totidem ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

5 Pro anima catholicae et serenissimae reginae Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam. Item pro anima serenissimi principis Hispaniarum Caroli quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis domini Matthaei de Ursinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo domino Ferdinando de Loazes, patriarcha Antiocheno et archiepiscopo Valentino, qui insignissimum collegium nobis in civitate Oriolae provinciae Aragoniae erexit amplissimisque redditibus dotavit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima bonae memoriae reverendissimi magistri generalis ordinis fr. Stephani Ususmaris (1) et aliorum reverendissimorum generalium, qui in domino mortui sunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, per litteras reverendissimi magistri ordinis recepti sunt ad gratias ordinis, atque pro aliis benefactoribus quilibet sacerdos unam missam.

Laici seu conversi pro quolibet supradictorum xxx pater noster et clerici septem psalmos poenitentiales.

Concedit magister ordinis omnibus diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias eius unum ex his, qui usque ad hanc diem fuerunt apostatae aut damnati ad poenas gravioris culpae suae provinciae et pro sua provincia dumtaxat non tamen privatos habitu vel damnatos ob suspicionem vel crimen haeresis.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod sacerdotem nostri ordinis ad confessionum audientiam expositum sibi in confessarium tantum una vice eligere possint et ab eodem de praeteritis usque praesentium notitiam casibus, peccatis, excessibus et censuris omnibus absolvi possint, a quibus sua reverendissima paternitas absolvere possit.

35 Mandamus acta capituli generalis huius per reverendos diffinitores diligenter conscripta et correcta atque sigillo ordinis sigillata ad suas provincias deferri et publicari diligentia provincialium, quod ut ipsi provinciales sine mora exequantur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae mandamus et praecipimus. Quod si in hac parte reverendi pro-

(1) De fr. Stephano Ususmaris cf. supra pag. 23.

vinciales negligentes fuerint, committimus et praecipimus eisdem diffinitoribus, ut admoneant reverendissimum magistrum ordinis.

Capitulum sequens, quod erit provincialium, assignamus in conventu Caesaraugustae provinciae Aragoniae hinc ad tres annos videlicet ·MDLXXII· in festo sanctissimi Penthecostes.

5

*Nomina fratrum ordinis nostri,
qui ab haereticis in Gallia pro catholica fide interfecti fuerunt.*

Si doctrina et scientia praedictorum virorum memorias aliquando recensemus, ut iuventutem et ingenia provocemus ad labores et studia, multo magis illorum nos recensere decet felices agones et luctus, qui hisce Galliarum turbelis atque tumultibus haereticorum eisque faventium vi atque saevitia caesi religiosae fortitudinis atque constantiae nobis exempla dederunt, ac qua via triumphos ac praemia petamus, aperuerunt. Una quidem omnium erat communis causa, fidei s. catholicae assertio atque confessio, sed non uno omnes tempore aut loco nec uno genere mortis occubere. Nam fr. Renatus Poivet (1) theologiae magisterio et concionandi gratia insignis in conventu Engolismensi, irrumpentibus civitatem haereticis, captus et ab haereticis rogatus, ut sacrificio missae detraheret eorumque dogmata amplexus praedicaret, cum id facere negasset, bigae impositus, nudato pectore ferreis forcipibus per intervalla tortus, clamantibus et insultantibus tortoribus: « ecce vobis praedictorem falsitatis », per civitatem circumductus est. Cumque nec sic, ut a missae confessione deficeret, induci potuisset, quin potius, ut eam vel semel agere permetteretur, orasset, in excelsum solarium perductus a duobus sacerdotibus loris, tanquam sacerdotalibus ornamentis per ludibrium, ligari iussus ad ima praecipitatus est. Ita semivivum et adhuc palpitantem unus militum globulo plumbeo vi sulphurei ignis per ferream fistulam emissio confodit. Quem duo illi sacerdotes, simili tormento bombardico confossi, caelestia regna cum triumpho intrantem comitati sunt.

Hunc fr. Ioannes Malchauserius sacrae theologiae praesentatus et prior Tolosanus eodem tormenti genere ictus, si non praeivit, sequutus est tamen.

Fr. Michaellem Sarberium universitatis Parisiensis baccalaureum biblicum, et tunc priorem Matisconensem ex alto praecipitem egerunt haeretici, sed nedum mortuum, laqueo suspensum interemerunt.

35

Cui, ne regnum caeleste solus ingrederetur, fr. Ioannem adhuc novitium alabarda percussum comitem addiderunt.

(1) De fr. Renato Poivet (Poinet) cf. supra pag. 39.

Fr. Petrus Guillotus (1) magister et prior conventus Castrensis pugione transfossus adhuc vivens in flumen praecipitatus est.

Quem fr. Franciscus Picartius Belvacensis in conventu Rupellensi diutius tortus ac demum capite truncatus cum duobus aliis fratribus in
5 mare proiectus comitatus est ad martyrii palmam.

Fr. Ioannem Bole de conventu Engolismensi cum alio sibi adiuncto fratre neci dederunt, sed fr. Ioannem Torta sagittis confixerunt.

In conventu Bitterrensi venerabilem sacerdotem fr. Iacobum Magistri, effossis primum oculis et virilibus abscissis, gladio tandem capite percussum interemerunt.
10

Complures alii in conventu Athovarensi et in Picardia atque Normandia occisi sunt, quorum nomina, quamvis hic non exprimantur, scripta tamen in libro vitae non dubitamus, sed eorum qui in provincia passi sunt nomina non praetermittimus videlicet fr. Nicolai Sauxati superioris Nemausensis, fr. Ioannis Iunii magistri et prioris Alexti, fr. Ioannis
15 Argenpsoni, fr. Antonii Ursi, fr. Ioannis Miraballi cum fr. Apollinare Viennensi, et pro coronide fr. Ioannis Chabassi conventus Dionensis.

FR. VINCENTIUS IUSTINIANUS
generalis magister ordinis praedicatorum.

20 HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
IN FESTO SANCTISSIMO PENTHECOSTES
ANNO DOMINI .M^o.D^o.LXXI^o. DIE III. IUNII

25 Sub reverendissimo patre fr. Seraphino Cavalli Brixieni (2), sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo summo patrum consensu electo, di finientibus communiter reverendis patribus provincialibus et di finitoribus, quibus infra:

fr. Petro Godebille (3) magistro provinciali Franciae,
30 fr. Antonio Balduccio Forliviensi (4) haereticae pravitatis Bononiae inquisitore, provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Zenobio de Villa Basilica (5) provinciali Romano,

(1) De fr. Petro Guilloto cf. supra pag. 40.

(2) De fr. Seraphino Cavalli de Brixia cf. supra pag. 88.

(3) De fr. Petro Godebille cf. SSOP. II, 234.

(4) De fr. Antonio Balduccio cf. l. c. pag. 255.

(5) De fr. Zenobio de Villabasilica cf. MASETTI l. c. pag. 65 sqq.

fr. Gregorio de Balneolo (1) magistro provinciali Regni,	
fr. Vincentio de Lugo (2) magistro provinciali Graeciae,	
fr. Sixto de Luca (3) magistro provinciali Terrae sanctae,	
fr. Dominico de Morbinio concionatore provinciali Bohemiae,	
fr. Bartholomaeo Audefredo (4) magistro provinciali prov. Provinciae,	5
fr. Salvatore Coves (4) magistro provinciali Trinacriae,	
fr. Alphonso de Lamilia (5) magistro provinciali Bethicae,	
fr. Paulo de Gabiano (6) provinciali provinciae sancti Thomae,	
fr. Augustino de Monteleone provinciali Calabriae,	
fr. Ioanne Gallo (5) magistro diffinitore Hispaniae,	10
fr. Bertrando de Arapsu (7) magistro diffinitore Tholosano,	
fr. Ioanne Champaigne (7) magistro priore Rhemensi diffinitore Franciae,	
fr. Hieronymo de Phano (8) magistro diffinitore utriusque Lombardiae,	
fr. Francisco Gratiano diffinitore Romano,	
fr. Ambrosio de Lapigio (9) magistro diffinitore Regni,	15
fr. Vuolfango Bielio lectore diffinitore Theutoniae,	
fr. Felice Polono (10) lectore diffinitore Poloniae,	
fr. Iordano de Candida diffinitore Graeciae,	
fr. Michaelae Rubinat (11) magistro diffinitore Aragoniae,	
fr. Paulo de Azanello lectore diffinitore Bohemiae,	20
fr. Raimundo Cavalesio (12) magistro diffinitore provinciae Provinciae,	
fr. Thoma de Iadra diffinitore Dalmatiae,	
fr. Nicolao Gulotta (13) magistro diffinitore Trinacriae,	
fr. Nicolao Diaz (14) magistro diffinitore Portugalliae,	
fr. Umberto de Villaran magistro diffinitore Bethicae,	25
fr. Iacobo de Nuceria magistro diffinitore provinciae sancti Thomae,	
fr. Francisco de Riolo (15) magistro diffinitore Calabriae,	
fr. Bernardo Berardo (16) mag. inquisitore Avenionensi, diffinitore Oscitano.	

(1) De fr. Gregorio de Balneolo cf. supra pag. 27.

(2) De fr. Vincentio de Lugo cf. l. c. pag. 84.

(3) De fr. Sixto-[Fabri] de Luca cf. SSOP. II, 265.

(4) De fr. Bartholomaeo Audefredo et fr. Salvatore Coves cf. supra pag. 107.

(5) De fr. Alphonso de Lamilia (della Milla) et fr. Ioanne Gallo cf. l. c. p. 49.

(6) De fr. Paulo de Gabiano cf. l. c. pag. 85.

(7) De fr. Bertrando de Arapsu et fr. Ioanne Champaigne cf. l. c. pag. 39.

(8) De fr. Hieronymo de Phano (Fano) cf. supra pag. 106, 110, 113.

(9) De fr. Ambrosio de Lapigio cf. l. c. pag. 45.

(10) De fr. Felice Polono cf. l. c. pag. 110.

(11) De fr. Michaelae Rubinat cf. l. c. pag. 68.

(12) De fr. Raymundo Cavalesio cf. l. c. pag. 69.

(13) De fr. Nicolao Gulotta cf. l. c. pag. 23.

(14) De fr. Nicolao Diaz cf. l. c. pag. 49.

(15) De fr. Francisco de Riolo cf. l. c. pag. 108.

(16) De fr. Bernardo Berardo cf. MOPH. IX, 280.

Frater Seraphinus Cavalli Brixienſis
totius ordinis prædicatorum humilis generalis magiſter et ſervus
universis et ſingulis ſui ordinis profeſſoribus ſalutem.

Memoriæ proditum eſt, fratres in Chriſto chariſſimi, quod ſimul ac
5 defuncto Amon patre, Iosias eius filius eidem in regno ſucceſſit, illudque
imprimis curavit, ut Dei optimi maximi honorem tueretur, revocaret,
augeret, diſſuta reſarciret, temerata expiaret, ſuperſtitioſa repelleret et
ſurta tecta templi reficeret. Cumque id moliri cepiſſet, forte legis inventus
10 eſt liber exesus et lacer, in quo divina præcepta continebantur cum ma-
ledictis ac minis maximis adverſus tranſgreſſores. Qui cum lectus regiſ
iuſſu fuiſſet, ille acri dolore percuffus et quodam quaſi vulnere ſau-
ciatus repente veſtem diſcidit, agnoſcens iram Dei accenſam et impen-
dentes poenas animadvertens. Quid multa? Non desperans animo, ſed
plane ſibi perſuadens, quod pius et miſericors dominus cor contritum
15 et humiliatum non deſpicit, cum plebe ac populo ad thronum miſeri-
cordiæ eius cum adacia confugit. Quo præcato, inchoat in opus ad me-
tam uſque perduxit: et, everſis idolorum phanis ac contritis delabris,
deſtructis aris et omnibus, quæ ad rem hanc attinebant, rite compoſitis,
miram apud Deum et homines gloriam adeptus eſt. Bonorum enim la-
20 borum glorioſus eſt fructus.

Veriſſima hystoria, noſtro tamen inſtituto vehementer accommoda.
Iuxta divi Pauli oraculum omnia in figura contingebant illis; nam vel
iſtis oculis cernimus, quod ille rerum conditor Deus, cuius providentia
mundus hic regitur, et Chriſtus Ieſus, eccleſiæ caput, et bonus ille pa-
25 ſtor, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, ut exhiberet et ſibi glo-
riofam eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, ſed ut ſit ſancta
et immaculata, rebus ferme deploratis et ad triarios, quod aiunt, redac-
tis, hæreticis undecunq̄e crassantibus, turcis inſanientibus, iudæis ſæ-
vientibus, impiis debaccantibus, coniuratis in eccleſiam Romanam omni-
30 genis hoſtibus, ut eam de medio tollerent, et inconfutiem Chriſti tuni-
cam pro ſua virili lacerare conantibus, repente mundo affulſit et novum
eccleſiæ ſanctæ Iosiam excitavit, hoc eſt inſignem pietate virum, pi-
um, ſanctum, pontificem maximum, cuius quidem prudentia, fortitudo, iu-
ſtitia, fides ac reliquarum virtutum chorus præſtantior eſt, quam ullis
35 a me verbis exprimi queat; cui comites a Deo ſunt dati Alexandrinus
nepos, Iuſtinianus noſtri ordinis viceproſector, Theanus, cardineo galero
decori ac in obeandis eccleſiæ negociis perquam idonei. Is ergo noſter
Iosias vix dum accepto ſolio, ſpiritus ſancti afflatu ad eccleſiæ refor-
mationem adiecit animum, quo diſſipatis erroribus, profligatis hæresi-
40 bus, vitiorum vepribus combuſtis atque convulſis, in priſtinum ſtatum,

solitam consuetudinem, germanam pulchritudinem omnia restitueret et
 tabernaculum Iacob, quod ceciderat, repararet. Et cum divinae legis co-
 dicem et sacrae paginae librum, per haereticos vitiatum, per improbos
 prophanatum et contemptum gemens inspiceret, ac proinde quod iratus
 esset Dominus in populum suum, inde coniiciens, ardenti zelo percitus, 5
 tamquam aquila provocans ad volandum pullos suos, caepit ipse facere
 ac docere, ad mitigandum Deum se prorsus penitusque accingens, nec
 sumptibus nec laboribus parcens, id quod totus terrarum orbis abunde
 testatur. Quoniam autem ad innovandam ecclesiam potissimum facit, si
 clerici ac regulares innoventur, a quibus pendet populus, et vota, quae 10
 profitentur, impleant, canones, quos susceperunt, observent, iccirco prae-
 cipua illi sollicitudo est, ut hoc hominum genus sibi obtemperet, in of-
 ficio maneat, ne mutant terminos, quos posuerunt patres eorum, laxas
 habenas coerceant, abeuntes cohibeant, redeuntes suscipiant, sontes ple-
 ctant, emendent, deformatos reformat, reformatos confirmant, in voca- 15
 tione, qua vocati sunt, constanter perseverent, digne Deo ambulantes.
 Enimvero cum ordines ac sodalitia omnia illi sunt cordi, tamen vel im-
 primis haec nostra divi patris Dominici societas, cuius ille cum foret
 alumnus ac filius, iam factus est Dominus ac pater, et ut nomine ita
 re pius incredibili nos, ut videtis, pietate, charitateque complectitur. 20
 Proinde nostrarum partium est, tanto ac tam pio patri ad nutum ob-
 temperare, et ne latum quidem unguem ab eius voluntate deflectere,
 quae tam pia est et sancta, ut nihil non pium et sanctum, quodque
 plurimum ad salutem conducatur possit decernere. Et ego quidem quod
 ad me attinet, postquam divina providentia factum est, ut gravissimum 25
 hoc mihi totius praedicatoriae familiae pondus supra merita et vires meas
 demandatum sit, videndum cum primis arbitror, ut ministerium im-
 plem, quod accepi a domino atque ideo, ut pontificis summi ac patris
 nostri pientissimi pientissimam mentem in hac nostra ordinis praedica-
 torum republica pro virili adiuvem; et per me quidem non stabit, quin 30
 privati oblitus commodi, commune bonum procurem et publicae utilitati
 consulam; nihil agens in alteram partem declinando, unde invidiae na-
 scuntur ac rixae et pestiferae seditiones, quo vetus haec et illustris illu-
 stribus referta hominibus, gloriosi patris Dominici gloriosa religio in dies
 evadat illustrior. 35

Eapropter, si qua gratia, si qua charitas, si qua viscera et misera-
 tiones, implete, filii charissimi, gaudium meum, ut sanctissimam san-
 ctissimi ac indulgentissimi patris et pastoris vestri mentem foveatis. Oro
 vos, qui provinciis praeestis, ut vestro fungentes munere discatis parcere
 subiectis et debellare superbos, cavere, ne qua radix sursum germinet et 40
 per eam inquinentur multi; modicum enim fermentum totam massam

corrumpit. Sit vobis ob oculos cultus Dei, qui sic nos visitat, sicut nos cum colimus. Sint literarum gymnasia, ne nostrae religionis splendor, qui iam inde ab initio semper emicuit, vestra incuria et neglectu pestilentis ignorantiae, quae omnium errorum est parens, tenebris offundatur.

5 Obsecro vos, cenobiarchae, cum amore ac metu gubernate cenobia, memores, quod personarum acceptio non est apud Deum. Quare ius suum unicuique reddite, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote erga omnes, precibus et horis canonicis die noctuque insistite, et date operam, ut institutae a patribus sanctiones mordicus te-
10 neantur et naviter observentur. In mentem vobis veniat, quod qualis est iudex in civitate, tales et cives eius, et quod cum euntibus ibant et cum stantibus stabant et cum erectis a terra erigebantur. A bove enim maiore discit arare minor; et cuius vita despicitur, reliquum est, ut eius praedicatio contemnatur. Tum demum alios poteritis mundare, cum ipsi
15 mundi fueritis; nam ab immundo quid mundabitur? Memores estote, quod pro subditorum vestrorum animis rationem estis Deo reddituri, et quod stare vos aliquando oportebit ante tribunal Christi, ut referat pro se quisque, quod gesserit.

Obtestor vos, magistri ac praeceptores, sanam doctrinam sectamini, inertes excitate, divum Thomam amplectamini, ne unquam ab eius vestigiis desciscite, cum quo allucinari nunquam potestis. Ille sit vobis dux et praeceptor, illum exponite, illum enucleate et sensibus auditorum imprimite, ne plus sapere, quam oportet, quaeratis.

Vos quoque tyruncolorum censores monitos velim, ut in timore domini illos enutriatis, ut religionis lac imbibant, et sanctis imbuantur moribus; nam quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu, et Salomon ait: adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Sit itaque studium vestrum assiduum, ut sint tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum
30 suum dabit in tempore suo. Sint novellae plantationes iuxta irriguum superius et inferius, quae suavissimo sponso coelesti poma servare possint.

Vos demum, filii dilectissimi, admoneo et hortor in domino, ut obediatis praepositis vestris et subiaceatis illis, qui iugiter pervigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc
35 faciant et non quasi gementes, id quod non expedit vobis. Memores estote professionis vestrae, occurrat obedientiae votum, quae victimis iure praefertur. His ergo morem gerite, illorum iussa capescite, pro comperto habentes quod, quicquid in illos gesseritis, in se Christus gestum putabit. Etenim qui vos audit, inquit, me audit, qui vos spernit, me spernit.

40 Digne denique ambulate omnes vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem

in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; estote in medio nationis pravae et perversae, sicut luminaria in mundo vitae verbum continentis, sumentes armaturam Dei et praesertim gladium spiritus, quod est verbum Dei. Mementote, cuius capitis membra sitis, 5 sub quo pontifice degatis, qui pervigili vos acie inspicit neque quicquam habet antiquius, ut ordinis nostri decor quam maxime venustus et vos sitis sal terrae, lux mundi et civitas supra montem posita.

Occurrant maiorum exempla, qui doctrina et sanctitate floruerunt, a quibus nos degenerare turpissimum esset. Succurrat proposita merces, 10 quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt etc. In mentem veniant supplicia, quae transgressoribus et improbis sunt parata, nempe ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum. Id non nobis contingat, caveamus omnes, et bene beateque vivere conitamus, utque haec sanctissima divi Dominici 15 nostri patris navicula tandem aliquando portum foelix appellat, eluctemur.

Valete, viscera mea, et pro me Deum orate.

Confirmationes.

Confirmamus imprimis omnes ordinationes et declarationes in praecedentibus capitulis Romano et Bononiensi factas circa statuta et decreta 20 sacrosancti concilii Tridentini, addito tamen moderamine respective concessionum nobis a sanctissimo domino nostro factarum in suo motu proprio confirmationis privilegiorum.

Item confirmamus, quod in plerisque praecedentibus capitulis statutum fuit de conventibus pro arctiori regulari vita concedendis, prout 25 in dictis praecedentibus capitulis expressum est, quod praesenti statuto innovamus.

Item confirmamus omnes ordinationes, quae circa divinum cultum in praecedenti capitulo expressae habentur, quas etiam, si opus est, 30 innovamus.

Item confirmamus, quod suggerente pia devotione illustrissimi ac reverendissimi cardinalis Alexandrini in superiori capitulo ordinatum est, ut de caetero fratres omnes, cum primam ante divinissimum altaris sacramentum se praesentaverint vel transierint, non solum profunda incli- 35 natione, verum etiam genuflexione reverenter adorent.

Item confirmamus ordinationem praecedentium capitulorum, ne quis magister aut regens sive quicumque alias asserere audeat publice vel privatim aliquem articulum pugnantem cum decretis sacri concilii Tridentini sive ad dogmata fidei sive ad bonos mores attinentibus. 40

Item confirmamus, quod a multis capitulis ante ordinatum est, ut si quis a solida sancti Thomae doctrina recesserit, officio lectoratus et quocunque alio gradu perpetuo privetur, super quo provinciales et visitatores diligentissime invigilent.

5 Item confirmamus, ne quis graecam aut hebraeam linguam addiscat sine peculiari sui provincialis et expressa licentia in scriptis habenda, in qua fiat mentio expressa praeceptoris, a quo talem linguam addiscere debeat.

10 Item confirmamus, ordinationem factam in superiori capitulo Romano circa conventum Friburgensem restituendum provinciae Theutoniae pro instituendo studio pro docendis iuvenibus in literis et moribus sub censuris in praecedenti ordinatione contentis, quas etiam innovamus.

15 Item confirmamus in vicarium generalem vicariae sancti Petri Martyris reverendum patrem fr. Valentinum de Vintimiglia ex provincia Lombardia canonice electum a capitulo dictae vicariae cum omni auctoritate in spiritualibus et temporalibus, quam alii canonice electi et confirmati habere solent, praecipientes ei in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto, ut infra naturalem diem a notitia praesentium dictum officium acceptet; omnibus vero fratribus ad dictam vicariam pertinentibus sub eodem praecepto mandamus, ut eidem tanquam
20 vero vicario obediant.

Item confirmamus in vicarium generalem vicariae Romanae rev. fr. Nicolaum de Crema ex provincia Lombardia a vocalibus dictae vicariae canonice electum cum eadem auctoritate ex praecepto, ut supra
25 respective ad suos, declarantes deinceps tempus Romanae vicariae biennio terminandum esse quantum ad ipsos vicarios, et in nostro diffinitorio declaratum est, ab hoc dudum electo incipiendum esse.

Item confirmamus speciali auctoritate apostolica a sanctissimo domino nostro nobis concessa rev. patrem fr. Paulum de Gabiano (1) provincialem provinciae sancti Thomae in nostro capitulo praesentem pro alio
30 biennio a die, qua tempus sui officii terminatur, computando, eadem auctoritate illi praecipientes, ut praedictum officium acceptet et exequatur.

Item confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo generali Romano factam, ut in studio Perusino saltim quatuor fratres ex alienis
35 provinciis ad studium theologiae admittantur.

Item confirmamus et, si opus est, innovamus, quod in praecedenti capitulo generali Romae celebrato sanctissimo domino nostro praecipiente statutum est, ut in conventu quolibet bis in anno publice recitetur bulla

(1) De fr. Paulo de Gabiano cf. supra pag. 118.

in Coena Domini coram toto conventu et in sacristia semper maneat affixa, et unusquisque confessor teneatur exemplar illius apud se habere; teneantur etiam praelati sub poena absolutionis dare operam, ut omnes confessores explicite intelligant, quae in praefata bulla continentur.

Item confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo factam circa 5 regimen studiorum et lectorum aliorumque officialium praecedentiam, quam hic pro inserta habentes, si opus est, innovamus, videlicet ut regens semper habeatur caput studii et ad eum pertineat ordinare, quicquid ad illud attinet, ut in praefata ordinatione dispositum fuit.

Item confirmamus unionem factam in praecedenti capitulo Romano 10 congregationis Austriae cum provincia Bohemiae cum commissione super conventus fratrum et sororum, quae in praefata ordinatione habetur, quam hic insertam esse volumus et innovamus; simulque quod officium provincialatus non duret nisi per triennium.

Item confirmamus seu damus in provinciam provinciae nostrae 15 Terrae sanctae rev. patrem fr. Sixtum de Luca magistrum, qui eandem provinciam per vicarium regere possit, quamdiu est in societate reverendissimi magistri ordinis.

Item confirmamus in vicarium congregationis Aprutinae rev. pa- 20 trem fr. Ioannem della Tuna, ut maneat in eodem officio per biennium; cui concedimus, ut possit accipere ex provincia Romana duos vel tres fratres in sui adiutorium, ad promotionem reformationis idoneos.

Item confirmamus, quod in praecedenti capitulo generali Romano ad piam petitionem illustrissimi ac reverendissimi domini Michaelis Bonelli, cardinalis Alexandrini, legati apostolici, statutum fuit, quod sci- 25 licet festa sanctorum Clementis et Ignatii sub festo duplici deinceps celebrentur.

Item confirmamus, quod in aliis capitulis ordinatum est, ut ma- 30 gistri novitiorum magna sollicitudine a capitulis provincialibus designentur, et in propriis conventibus magno honore habeantur, quos, dummodo maturae sint aetatis, inter patres consilii adnumerandos decernimus.

Item confirmamus, quod alias saepe statutum est, ut, si quis propriae vocis renunciatione medietatem eligentium excesserit in quacumque canonica electione, ea irrita censeatur.

Declarationes.

35

Declaramus imprimis, quod, cum inter antiquum ordinarium et novas rubricas breviorum diversitas fuerit, ordinario antiquo est deferendum, nisi nova rubrica auctoritate generalis capituli robur acceperit, sicut etiam in aliis capitulis fuit expressum. Quapropter non obstante nova rubrica si quod festum in die vel infra octavas corporis Christi 40 e venerit, post octavas dictae solemnitatis transferendum est.

Item declaramus, quod si quando festum beatae Catherinae Senensis intra paschale tempus iuxta privilegium et ordinationem in nostro calendario expressam non potuerit celebrari, transferatur in dominicam primam post octavas corporis Christi, nisi festum impedierit. Tunc vero vel in alia dominica sequenti antiphonae, responsoria, lectiones et cetera, quae desunt, e communi unius virginis assumantur.

Item declaramus, quod, si festum Coronae Domini aliquando celebrari non poterit iuxta praescriptam diem in calendario, quae est septima maii, propter incidentem octavam diem Ascensionis, reducendam esse solemnitatem ad quartam diem dicti mensis iuxta declarationem autoritate illustrissimi domini cardinalis Iustiniani nostri quondam generalis (1) tempore, quo gerebat officium, expressam et typis nunc demum excusam in calendario, quod his diebus iussu eius Romae impressum est.

Item quod festum beati Dominici patris nostri quinta die augusti est celebrandum. Quod si alicubi receptum est, ut quarta die celebrent pro more patriae, sua illis consuetudo integra servetur; fuit enim dies quarta eius canonizatione, sicut quinta eius felici transitu consecrata.

Item quod festum exaltationis s. Crucis et s. Luciae sub toto duplici celebretur, et quae secus habent breviaria, corrigantur; inveniuntur enim tria capitula generalia habuisse, quibus consonat calendarium nunc Romae impressum.

Item quod memoria beatae Virginis facienda est in octava Epiphaniae in matutinis et missa tantum, non autem in secundis vesperis propter festum divi Hilarii, quod sub duplici celebratur.

Declaramus, quod fratres nostri, qui sunt in vicariis aut in conventibus monialium, censeantur assignati in conventibus, quorum sunt filii, quantum ad suffragia, ut invicem sibi teneantur. Et idem censendum est de fratribus, qui de licentia praelatorum cum episcopis vel alibi extra ordinem commorantur.

Declaramus, quod lectores ordinis nostri in quibuscumque provinciis vel congregationibus aut vicariis locum suae professioni debitum ubique teneant, nisi alias pro ratione gradus alius debeatur, neque alium super antiquiores in ordine occupare permittantur, contraria consuetudine non obstante.

Admonitiones.

Admonemus omnes provinciales et priores conventuales ordinis nostri, ut solícite studeant, quod in provinciis maxime desolatis iuvenes ad habitum idonei admittantur, et quoad fieri possit, religiose educantur.

(1) De fr. Vincentio Iustiniano cf. supra pag. 79.

Praedicatores vero quaecumque id opportunum iudicaverint, ad amorem religionis suos auditores inflammare contendant.

Item admonemus omnes verbi Dei praedicatores, ut inter alia devotionis exercitia commemorationem sanctissimi Rosarii fidelium auribus saepissime ingerant, quantum fieri poterit, pium hoc institutum foventes; quibus etiam iniungimus, ut confraternitatem nominis Dei diligenter studeant promovere. Mandamus autem praelatis nostrorum conventuum, ut processionem habeant dominica prima cuiuslibet mensis, ut in conventibus Italiae fieri consuevit.

Admonemus reverendos provinciales et universos fratres, ad quos pertinet electio, ut in conventibus, in quibus viget studium generale, praesertim in Parisiensi, dent operam, ut viri graves et quantum fieri poterit literis praediti, in priores eligantur, quo litterarum studia, quibus ordo noster maxime deditus est, in dies coalescant.

Item admonemus reverendissimum patrem nostrum generalem, ut pro sua prudentia visitatores deligat, quos ad invisendas Indorum provincias tuto destinare possit, qui avaritiam oderint, zelum habeant fovendae religionis; quibus pro exequendo munere tempus, quod necessarium iudicaverit, in litteris praescribat; qui, si forte in munere commisso deliquerint, admonemus diffinitores praedictarum provinciarum, ut peculiaribus literis dicto reverendissimo generali significant, quo de opportuno remedio et adhibenda correctione providere possit.

Item admonemus reverendos provinciales omnesque praelatos regnorum Hispaniae, ut omni studio et charitatis zelo favere curent his, qui ad colligendos praedicatores ad conversionem infidelium mittendos fuerint destinati, et sub interminatione divini iudicii prohibemus, ne fratres ad hoc idoneos et illuc proficisci desiderantes, impediunt, quoniam diversarum partium relatione compertum habemus, messem illic esse multam, operarios autem paucos. Quod si opportunum iudicaverint, aliquem conventum designent, in quo profecturi ad Indos eorum linguam addiscant, tempore saltem quo classis et itineri necessaria praeparantur, super hoc eorum conscientias onerantes.

Item admonemus omnes praelatos conventuum Indorum, ut in recipiendis et instituendis novitiis summo studio laborent nec se inexorabiles aut difficiles praebeant ad recipiendos eos, qui ex Indiis originem duxerint, dummodo alias idonei iudicentur; receptos vero quamprimum commode poterint, ad generalia studia regnorum Hispaniae transmittendos curent. Hortamurque in domino praelatos provinciarum Hispaniae, ut eiusmodi benigne recipiant et institutos et doctos ad propria remittant.

Item admonemus reverendum vicarium congregationis Gallicanae,

priorem et magistros universosque fratres conventus Parisiensis, ut unanimi studio dent operam, quod praefatus conventus, qui ordini nostro decori semper et ornamento fuit, suum pristinum decorem in religione ac litterarum studio retineat, nec patiantur cum magna hostium ecclesiae insultatione aurum obscurari et colorem optimum deficere, super quo universorum conscientias, quantum in domino possumus, graviter oneramus.

Item admonemus peculiariter praelatos dicti nostri conventus, ut aliquis eorum per vices suas divinis officiis semper adsit certusque numerus sacerdotum, primum requirentes, quae sunt divini cultus, aliis in exempla fiant et digni reddantur, quo reliqua necessaria eis adiiciantur. Officium vero beatæ virginis pro tempore in choro et dormitorio magna devotione persolvi curent. In vestitu vero et habitu praelati nil subditis permittant, quod cuiusque maxime saecularium offendat aspectum.

Item admonemus reverendum provincialem provinciae Aragoniae, ut specialem sollicitudinem gerat conventuum insulae Sardiniae; quos si personaliter visitare non possit, per idoneos visitatores aut vicarios taliter gubernet, ut salutis animarum intentus potius videatur, quam temporalibus commodis, nec plus temporis concedat, quam necessarium esse iudicaverit, ne sumptibus ultra modum dicti conventus graventur, ut hactenus factum esse intelleximus.

Admonemus et vehementer in domino exhortamus omnes reverendos provinciales et praesertim reverendum provincialem utriusque Lombardiae, ut charitatis visceribus excipiant instituendos iuvenes, qui a provinciis, in quibus haeretici crassantur, ad ipsorum conventus fuerint destinati, provideantque, ut postquam suos cursus peregerint, ad propria revertantur.

Denuntiationes.

Item denuntiamus omnibus fratribus ordinis nostri, reverendissimum patrem fratrem Seraphinum Cavalli Brixien. (1) sacrae theologiae professorem summo patrum consensu in generalem magistrum totius nostri ordinis electum fuisse, eundemque sanctissimo domino nostro Pio V. solemnibus processione oblatum ab eodem hylari vultu exceptum et acceptatum fuisse.

Item denuntiamus, eundem sanctissimum dominum nostrum Pium V. tanta benignitate suum et nostrum ordinem fuisse prosecutum, ut ante solemnem capituli celebrationem duobus continuis diebus et noctibus in nostro conventu dignatus fuerit commorari, non solum singulos benigne admittens ad beatorum pedum oscula, verum et omnibus adire cupien-

(1) De fr. Seraphino. Cavalli Brixien. cf. supra pag. 117.

tibus benignum praestitisse auditum, et apostolica liberalitate plurimas gratias singulis contulisse.

Item denuntiamus, eundem sanctissimum dominum nostrum speciali favore multa concessisse reverendissimo patri nostro generali et reverendis quibusdam patribus provincialibus et diffinitoribus, qui suam sanctitatem nomine istius ordinis adierunt, et inter caetera ordini nostro contulisse novam facultatem eligendi conservatores, prout in brevi suae sanctitatis expressius continetur (1).

Item denuntiamus, eundem sanctissimum dominum nostrum specialiter nostro capitulo concessisse, ut omnibus nostri ordinis fratribus praetiosissimae reliquiae ostenderentur, quae in basilica principis Apostolorum, Lateranensis, s. Mariae Maioris et s. Crucis in Hierusalem almae huius urbis asservantur. Insuper concessisse vivae vocis oraculo provincialibus, diffinitoribus et electoribus huius capituli, ut unusquisque indulgentiam plenariam referat ad conventus fratrum et monialium illarum civitatum, unde sunt profecti; quae indulgentia sub forma, quam verbo referent praedicti patres, est obtinenda.

Item denuntiamus, ab eodem sanctissimo domino nostro motum proprium emanasse circa ingressum mulierum in conventus nostros, quem sua sanctitas viva voce declaravit, non esse intelligendum de ingressu mulierum ad claustum primum tempore processionis aut etiam ad capitulum et alias capellas, quae in claustro eodem haberi solent gratia audiendi missam; in reliquis vero sua sanctitas declaravit, in omnibus conventibus nostri ordinis quoad omnia servandum esse sub poenis ibidem expressis.

Item denuntiamus, in nostro capitulo generali diligenter super forma electionis per schedulas facienda a patribus esse tractatum, decretumque fuisse eam formam nullatenus immutandam; de qua re idem sanctissimus dominus noster etiam consultus in eadem fuit sententia; quapropter praecipimus omnibus fratribus ordinis nostri tam praelatis quam subditis, ne de caetero ulla ratione eam immutare contendant. Declarantes tamen, scrutinia, quae fiunt super retentione vel absolute priorum, more hactenus consueto facienda esse; dispensantes cum illis, qui ante per schedulas dicta scrutinia peragere solebant. Catalogum vero eligendorum in priores nutu suae sanctitatis interim omittendum esse.

Item denuntiamus omnibus fratribus ordinis nostri, perpetuum calendarium a reverendo patre fr. Didaco Ximenez (2) provinciae Hispaniae editum fuisse, idque dudum Romae iussu illustrissimi domini cardinalis

(1) Cf. BO. V, 269 n. 108.

(2) De fr. Didaco Ximenez cf. SSOP. II, 169.

Iustiniani, cum adhuc magistri generalis officio fungeretur, typis excusum esse. Ut autem uniformitas in iis, quae sunt divini cultus, ubique possit retineri, mandamus universis prioribus et praesidentibus nostrorum conventuum et praesidentibus monialium, ut iuxta illius dispositionem
5 divinum officium celebrare teneantur.

Item denuntiamus eisdem fratribus ordinis nostri, omnia opera s. Thomae, quae hactenus extabant et quae in Vaticana bibliotheca reperta fuerunt, magna diligentia atque industria nunc demum impressioni mandata fuisse. Exhortamurque proinde omnes nostrorum conventuum
10 praesidentes, ut in suis bibliothecis ea reponi faciant.

Ordinationes.

Ordinamus imprimis, ut in ecclesiis nostris fratres nostri nec inter se nec cum saecularibus confabulantes deambulent, maxime in prospectu sanctissimi sacramenti, et praelati super hoc diligentiam adhibeant; quod
15 maxime observari debet in praesentia saecularium, quos a nobis discere oportet, quanta reverentia sacer locus venerandus sit.

Item post completorium et post nonam vel matutinas de more nostri ordinis semper habeatur oratio privata, quae ad minimum per quartum horae durare debeat; in quo si facile praelati dispensaverint, a provin-
20 cialibus et visitoribus corripiantur.

Item ordinamus et de speciali mandato sanctissimi domini nostri papae serio iniungimus omnibus praelatis et examinadoribus confessorum ordinis nostri, quatenus omnem diligentiam adhibeant, ut ad hoc officium saluti animarum adeo necessarium non admittant nisi eos, qui moribus et scientia fuerint idonei, memores divini iudicii, in quo rationem sunt reddituri de periculo animarum, quae defectu confessorum damnationem incurrerint.

Item quod in conventibus, ubi non viget studium theologiae, lectio casuum conscientiae de summa Caietani vel huiusmodi habeatur. Dominicis autem diebus et festivis per totum annum in ecclesiis nostris post
30 vespas populo proponatur lectio de sacra scriptura vel de catechismo, cui lectioni fratres, maxime iuniores et laici, interesse debeant.

Item quod nullus frater ordinis nostri ad praedicandum verbum Dei etiam in parvis oppidis admittatur, nisi sit sacerdos et theologiam per
35 duos annos ad minus audierit; cuius oppositum facientes poenae gravioris culpae subiiciantur; praecipientes in virtute spiritus sancti omnibus praelatis, ne ullo pacto permittant huiusmodi fratres praedicare.

Item suggerente eodem sanctissimo domino nostro ordinamus et praecipimus, ut in educandis novitiis summam adhibeant diligentiam praelati, et quod saepe statutum est, non nisi in magnis conventibus instituantur; post professionem vero nequaquam ad studia mittantur, sed
40

in regulari disciplina aliquo tempore permaneant, et quando eos ad remotiores conventus mitti oportuerit, alicui patri bonae existimationis associantur.

Item in provinciis, in quibus depositas pecunias fratribus singularibus permittere est consuetum, id ea moderatione concedatur, quod necessitati, non avaritiae prospicere videamur; quapropter praelatorum conscientias oneramus, ne vel magnam pecuniae summam vel per longum tempus retinere permittant, habita veruntamen ratione personarum et locorum. Revocantes, ut praesenti ordinatione revocatas esse volumus, omnes licentias et facultates fratribus nostris concessas a quocumque 10 praelato ordinis nostri, et cuiuscumque gradus et dignitatis sint, super acceptione, retentione et consumptione pecuniarum, quae statui paupertatis sunt indecorae; et omnes ad subiunctionem et obedientiam suorum praelatorum remittimus.

Item ordinamus et districte praecipimus omnibus praelatis et visitatoribus ordinis nostri, ne vel pecuniam vel preciosa munera a fratribus vel sororibus accipiant, ab iis maxime, qui vel gratiam vel iustitiam apud ipsos praetendunt, nec etiam saecularium interventu, exceptis parvis munusculis, quae charitatis obtentu inter amicos offerri solent; quod si contrarium fecerint, auctoritate ordinis facultatem retinendi subtrahimus, 20 et ea, quaecumque talia fuerint, divino cultui harum serie applicamus; declarantes, tales praelatos crimen proprietatis incurrisse et poenis a sacro concilio Tridentino et nostra constitutione decretis subiectos esse.

Item ad occurrendum ambitioni et quorundam importunitati ordinamus, ne fratres ordinis nostri ad saeculares confugiant, cuiuscumque 25 ordinis aut dignitatis sint, vel ad evadendum impositas a suis praelatis poenas aut aliquid quomodolibet ab ipsis iniunctum, vel ad obtinendum quemcunque gradum vel dignitatem; declarantes, eiusmodi fratres praesenti statuto inhabiles esse ad quascunque dignitates et praelaturas ordinis, nisi per magistrum ordinis fuerint restituti. Praecipientes nihilominus praelatis, ut veluti praecepti transgressores poenis gravioris culpaе eiusmodi subiiciant, onerantes etiam aliorum fratrum conscientias, ut quos in huiusmodi cognoverint deliquisse, praelatis denuntient, ut tantum dedecus ab ordine nostro penitus aboleatur.

Item ordinamus et districte prohibemus, ne fratres nostri secreta 35 conventus et fratrum saecularibus reveleant, praecipientes praelatis, ut absque ulla dispensatione poena a constitutionibus statuta huiusmodi ordinis destructores curent afficere.

Item praecipimus omnibus praelatis ordinis nostri sub poena absolutionis ab officio, ne officinas et loca conventui necessaria saecularibus 40 ulla ratione concedant, etiam praetextu cuiuscumque fraternitatis; et, si

quid secus hactenus concessum fuerit, auctoritate nostra revocamus, irritam praesenti statuto decernentes huiusmodi concessionem.

Item ordinamus, ne de caetero fratres nostri alicui ecclesiae vel abbatae extra ordinem nostrum deservire audeant; his vero, qui modo in
5 huiusmodi ecclesiis aut abbatibus commorantur, praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, ut infra mensem a notitia praesentium ad proprios conventus et obedientiam suorum praelatorum revertantur; quod nullatenus intelligendum esse declaramus de his, qui
10 de licentia magistri ordinis in aliquibus abbatibus regulariter vivunt. Quod si renuerint, committimus reverendis provincialibus, ut etiam invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, eos ad suos conventus revocare studeant, super hoc eorum conscientias onerantes.

Item ordinamus et praecipimus in virtute spiritus sancti sub formali
15 praecepto omnibus provincialibus et vicariis generalibus congregationum et vicariarum, ut infra quadriennium teneantur suas provincias aut vicarias vel congregationes saltem bis per seipsos visitare et singulos earum conventus, legitimo impedimento cessante, quod iudicio discretorum patrum declarandum est; quod si ultra biennium eorum officium
20 non extenditur, saltem semel provinciam vel congregationem personaliter sub eodem praecepto visitare debeant.

Item ordinamus et speciali commissione sanctissimi domini nostri vivae vocis oraculo nobis facta praecipimus, ut deinceps in provincia Portugalliae electio provincialium more provinciae Hispaniae celebretur,
25 et capitula provincialia deinceps fiant post octavas Paschae secunda dominica « Deus qui errantibus », et in sabbatho praecedenti electio provincialis celebretur; qui statim a declarata electione auctoritatem habeat super totam provinciam sub titulo vicarii generalis, donec confirmationem accipiat; et tempus quadriennii ab electione computetur. Capitula
30 etiam intermedia quolibet biennio eadem dominica celebrari debent, contraria ordinatione aut consuetudine non obstante.

Item ordinamus et praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae provincialibus pro tempore existentibus in provincia s. Ioannis Baptistae del Peru, ne a provincia recedant sine consensu difinitorum
35 vel decem primorum patrum suae provinciae, quam in scriptis accipiant; sed eam concedere non possint, nisi prius rationem reddant suae administrationis; quod si contrarium fecerint, poenam absolutionis a suis officiis ipso facto incurrant.

Item districte prohibemus, ne quis admittatur vel in curia Romana
40 vel in curia regis catholici aut aliorum principum tanquam procurator illarum provinciarum, quae sunt apud Indos, nisi authenticas litteras

praetulerit suae procurationis a capitulo provinciali vel superiori praelato provinciae subscriptae, et id officium usurpantes poenae gravioris culpae subiiciantur, et ab eis obtenta sine suae provinciae mandato irrita sint.

Item praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae omnibus praelatis ordinis nostri praesertim fratribus conventus Vialia- 5 censis, ne terminos alienae provinciae vel alteri conventui deputatos pro praedicatione vel quaestu absque licentia praelatorum, ad quos pertinent, usurpare praesumant. Quod si fratres sua sponte in praefatis alienis terminis praedicaverint aut quaestus fecerint, a praelatis loci comprehendantur et poenis gravioris culpae per unum mensem subiecti sint. 10

Item ordinamus, quod deinceps provinciales provinciae Franciae ad eius petitionem sint quadriennales, quo tempore expleto, officium expirare censeatur, ad aliamque electionem dictae provinciae electores conveniant; declarantes, quod reverendus provincialis modernus in capitulo nostro praesens per aliud quadriennium ab hoc tempore computandum 15 in sui provincialatus officio perseveret.

Item circa reformationem claustralium ordinamus et innovamus quaecumque de claustralium vel conventualium reformatione in praecedenti capitulo fuerunt statuta, quae omnia et singula his ordinationibus pro insertis haberi volumus. 20

Item ordinamus, quod praelati nostri ordinis magna circumspectione utantur in concedendis licentiis pro accessu ad monasteria monialium praesertim ordinis nostri iuxta ordinationem in praecedenti capitulo factam, quam hic etiam insertam volumus haberi.

Item ordinamus, quod deinceps in provincia sancti Ioannis Bapti- 25 stae del Peru in provinciales alternis vicibus assumantur filii aliarum provinciarum, declarantes, quod prima electio provincialis futura sit de filiis aliarum provinciarum sive praesentibus sive absentibus: secunda vero sit de filiis eiusdem provinciae, tertia rursus de extraneis et sic successive alternent in futurum; quod si aliter electio fiat, ex vi prae- 30 sentis statuti irrita censeatur absque magistri ordinis speciali concessione.

Ordinationes de studiorum promotione.

Ordinamus imprimis, ut iuvenes ad studia mittendi non praeferantur iure antiquitatis, sed eligantur potius a priore provinciali vel conventuali de consilio patrum et illi prae caeteris assumantur, qui probatis 35 moribus fuerint et qui praevio examine magis idonei fuerint inventi.

Item quod in quolibet conventu, in quo viget studium generale, omnes magistri, etiam actu non regentes, vocem habeant in admissione vel studentium formalium vel quoruncunque aliorum fratrum, qui ad studia mittuntur, et simile suffragium habere volumus in emissionem stu- 40 dentium, cum ad proprios conventus reverti oportuerit.

Item tempus lectionibus assignetur singulis annis decem mensium ad minimum. Nec studentes nec lectores ad praedicationem mittantur, sed lectionibus intendant, nisi aliter de speciali provincialium licentia fieri expedierit.

5 Item regens, baccalaurei, magistri studentium alique lectores non iure antiquitatis assumantur nec ad determinatum tempus assignentur, sed a reverendis provincialibus cum diffinitoribus constituentur, qui magis idonei fuerint ad discipulos instituendos. Qui vero in hoc munere docendi fuerint egregii, etiam causa praelationis a studio non revocentur.

10 Tempus triennii dialecticae, philosophiae et metaphysicae deputetur, sacrae vero theologiae quadriennii, nisi aliter reverendo provinciali de consilio magistrorum et officialium studii visum fuerit; quo tempore ita distinguantur lectiones, ut altera sit speculativa ex prima parte vel prima secundae divi Thomae vel etiam de incarnatione, altera vero moralis de secunda secundae vel IV. sententiarum. In disputationibus etiam
15 alternis vicibus de utraque materia proponantur conclusiones; in quotidianis quoque exercitiis de altera lectione habeatur conclusio, de altera, praesente lectore, collatio, ut utriusque rationem habeant studentes.

Item ordinamus, quod omnes studentes et studii officiales non nisi
20 latino sermone loquantur et scribant etiam extra litteraria exercitia et literas, quas conscribere eos contigerit, non vulgari sermone, sed latino deinceps conscribant.

Commissiones.

Committimus imprimis reverendis provincialibus et diffinitoribus
25 provinciae Tholosanae, provinciae Provinciae et provinciae Oscitanae, ut in capitulis provincialibus tractent de divisione ipsarum provinciarum inter se et deinde referant capitulo generali proxime futuro et reverendissimo magistro ordinis eorum voluntatem super hoc; interim autem provincia Oscitana abstineat ab accipiendis conventibus aliarum provinciarum; reliquae vero provinciae super acceptis conventibus eam vexare desistant.
30

Committimus etiam reverendis patribus provinciali et diffinitoribus provinciae utriusque Lombardiae, ut in proximo capitulo maturo consilio inter se pertractent de recipiendis conventibus congregationis divi Petri Martyris, prout a patribus dictae vicariae petitum fuit, convocantes
35 praecipuos dictae provinciae patres, quos huic concilio idoneos iudicaverint; quod si viderint expedire, ex nunc facultatem concedimus dictam vicariam suscipiendi, accedente tamen consensu patrum ad dictam vicariam pertinentium, modo et forma quibus magis expedire perspexerint.

40 Committimus reverendo provinciali et diffinitoribus provinciae Portugalliae, ut, si iudicaverint expedire, concedant collegio Conimbrensi,

ut eligere possit socium, qui cum rectore collegii capitulo provinciali possit interessē, eamque vocem habeat, quam socii priorum conventualium in electione habere solent.

Committimus reverendissimo magistro ordinis et reverendo procuratori pro tempore futuro, ut diligenter examinent scripturas pro canonizatione beati Hyacinti ordinis nostri ex provincia Poloniae; praecipientes in virtute sanctae obedientiae reverendo provinciali Poloniae, ut det operam, quod omnia monimenta ad hoc negotium necessaria transmitti procuret, quae, postquam perspecta fuerint, habita prius consultatione cum illustrissimo cardinali Varmiensi, sanctissimo domino nostro, si visum fuerit, proponatur, et pro eius canonizatione nomine totius ordinis intercedat.

Committimus etiam eisdem reverendissimo magistro ordinis et procuratori, ut relationem a patribus collectam de miraculis et vita beati Raimundi sanctissimo domino nostro praesentari curent, quod, si sufficientia viderint, nomine totius ordinis suam sanctitatem interpellent, ut, si dignum iudicaverit, sanctorum cathalogo adscribat aut certe ordini nostro concedat, quod sub toto duplici eius festum diem celebrare possimus.

Concessiones.

Concessit sanctissimus dominus noster, in provinciis desolatis bona mobilia destructi conventus ad viciniorem conventum eiusdem provinciae transferenda esse, bona etiam immobilia sub eiusdem conventus cura redigenda esse cum facultate percipiendi fructus, sic tamen ut praefatus conventus vicinior teneatur excipere et alere fratres ad destructum conventum pertinentes, et subire alia onera, quae destructo conventui vel ecclesiae fuerant annexa, et hoc sua sanctitas declaravit tamdiu durare velle, donec sit commoditas instaurandi destructos conventus, quae si forte contigerit, integre sua bona, quaecumque extant restituenda esse.

Item concessit sua sanctitas, ut in eisdem provinciis desolatis conventus, qui requisitum numerum fratrum olim habuerunt ad eligendum priorem, nunc vero pro tenuitate alere non possunt, titulo prioratus gaudeant, sic tamen, quod vocem in electione provincialis soli possint habere, qui iuxta nostrarum constitutionum seriem alias solent admitti.

Item concedimus provinciae Poloniae ad eius petitionem, ut modernus provincialis perseveret in regimine dictae provinciae, peracto etiam sexennio sui provincialatus, usque ad subsequens capitulum provinciale electionis, sic tamen ut finito tempore provincialatus sub nomine vicarii generalis dictae provinciae curam habeat iuxta tenorem nostrarum constitutionum; quem ex nunc harum serie vicarium tum provinciae tum futurae electionis constituimus. Declarantes, quod capitulum electionis celebrari debet in festo s. Michaelis de mense septembris 1574.

Item concedimus omnibus prioribus et praesidentibus nostrorum conventuum, ut festa, quae solemniter a populo celebrantur, etiam si non sint in nostro calendario, sub duplici possint in nostris conventibus celebrari, se in hoc matrici ecclesiae conformantes.

5 Item concedimus reverendo provinciali provinciae Portugalliae moderno, ut post expletum quadriennium sui officii possit nomine vicarii generalis eandem provinciam regere usque ad tempus electioni praescriptum, sicut in ordinationibus declaratum est. Praecipientes ei in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto, ut in praefato regi-
10 mine, ut dictum est, perseveret.

Item concedimus reverendis patribus provinciali et di'finitoribus nostrae provinciae s. Ioannis Baptistae del Peru, ut auctoritate nostra possint affiliare in illa provincia decem fratres, cuiuscumque provinciae sint, dummodo id eorum fiat consensu, qui sunt recipiendi.

15 Item concedimus conventui Illerdensi in provincia Aragoniae nomen et privilegia studii generalis, dummodo in eodem conventu continue habeantur duae lectiones theologiae et una liberalium artium.

Item concedimus omnibus provincialibus et prioribus conventualibus, ut iuxta tenorem nostrarum constitutionum recipere possint apostatas ad
20 eos revertentes, etiam post decennium in apostasia elapsum, non obstante quacunque ordinatione aliter disponente.

Item concedimus, ut in provincia Bohemiae priores conventuales quadriennii tempus implere possint; quo exacto eorum potestas expiret, et ad aliam electionem procedatur.

25 Item concedimus conventui sancti Dominici insulae Maioricae in provincia Aragoniae titulum et privilegia studii generalis, sicut habet conventus Barchinonensis dictae provinciae, dummodo in praefato conventu semper habeantur tres lectiones ad minus: una liberalium artium, duae vero de sacra theologia.

30 Item concedimus conventui sanctae Catherinae Barchinonensis in provincia Aragoniae, ut octavas beatae Catherinae solemniter celebrare possit, sicut antiquis temporibus habebat consuetudo.

Acceptationes.

35 In provincia Aragoniae acceptamus domum sancti Hieronymi villae de Busac regni Sardiniae, constructam ab illustrissimo domino Hieronymo Torrosano, comite de Sedillo; domum sancti Martini Oristanensis in eadem provincia et regno; conventum de Vic sub invocatione sanctae Mariae de Rosario; conventum Terraguae sub invocatione sancti Dominici. Isti duo conventus sunt dati a reverendissimo episcopo Visentino.

40 Acceptamus breve sanctissimi domini nostri concessum provinciae Aragoniae et ab ipsa acceptatum de graduandis praesentatis et magistris.

In provincia Trinacriae acceptamus quinque haec loca, in conventus ea erigendo, scilicet locum Xaccae, locum Clausae, locum Milatii, locum montis Albani et locum Randatii, hac tamen lege, ut in eisdem numerus fratrum a constitutionibus praescriptus habeatur.

In provincia Portugalliae acceptamus domum sancti Pauli in oppido de Almadaia, acceptata per litteras illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis Iustiniani.

In provincia Calabriae erigimus in conventus loca haec, videlicet locum Tropiae, locum Zaccharisii et locum Cirifalci.

In provincia s. Joannis Baptistae del Peru in dioecesi del Cuzco acceptamus conventum sub titulo s. Christophori a primis fundamentis per D. Christophorum de Torres propriis sumptibus erectum et redditibus annuis dotatum, pia liberalitate et singulari erga nostrum ordinem dilectione et non minore erga incolarum salutem zelo atque sollicitudine, in domino onerantes universorum et singulorum fratrum in praefato conventu commorantium conscientiam, ut observent pacta, conventiones et foedera inter eos inita, et eiusdem tam pii fundatoris et benefactoris memores sint in suis ad deum precibus, quoad vixerit, et in eius obitu teneantur privata et publica suffragia pro anima ipsius persolvere, quae in obitu prioris provincialis per nostras constitutiones decreta sunt.

Restitutiones.

In provincia Tholosana restituimus fr. Philippum Idus suae provinciae Tholosanae et conventui Lemovicensi, absolventes eum ab omnibus poenis, quas propter apostasiam incurrerat.

In provincia sancti Thomae restituimus ad gratias ordinis fr. Albertum de Griptolis.

In provincia Calabriae restituimus ad gratias ordinis fr. Vincentium de Catansareo.

Restituimus provinciae Calabriae locum sancti Petri Carida dioecesis Melitensis cum omnibus bonis tam mobilibus quam immobilibus et sacris vestibus et aliis pertinentibus ad divinum cultum, quae omnia restituere debet conventus sancti Georgii eiusdem dioecesis.

Translationes.

In provincia Tholosana transferimus fr. Petrum Braulonis a provincia Oscitana ad Tholosanam affiliamusque eum conventui Portus sanctae Mariae.

Et quoniam Condomiensis conventus provinciae Tholosanae ex toto fuit ab haereticis destructus, ideo ab illo transferimus studium generale dictae provinciae ad conventum Agienensem eiusdem provinciae, quod etiam translatum fuit per capitulum provinciale eiusdem provinciae.

In provincia utriusque Lombardiae transferimus filiationem fr. Petri Angeli de Clavena a conventu Morbinii ad conventum Comensem.

In provincia Regni transferimus filiationem fr. Sebastiani de Balneolo a suo conventu Balneoli ad conventum sancti Dominici de Summis, fr. Iacobum Polonum affiliamus conventui sancti Dominici de Salerno, et fr. Bonifacium de Neapoli a conventu sancti Petri Martyris ad conventum sancti Dominici de Neapoli, declarantes, quod fr. Iordanus iuvenis de Neapoli verus et legitimus sit filius provinciae Regni et conventus sancti Dominici de Caieta.

10 In provincia Aragoniae transferimus filiationem fr. Dominici Arnaldi a conventu montis Albani ad conventum Perpiniani, et fr. Iacobi Blani a conventu Alcanici ad conventum Castilionis Ampuriarum.

In provincia Trinacriae confirmamus translationem loci sancti Nicolai civitatis Corleonis in meliorem locum sub titulo sanctissimi Rosarii.

15 Approbamus etiam restitutionem filiationis fr. Octaviani de Mirto ad conventum sancti Dominici de Panormo in omnibus et per omnia per illustrissimum dominum cardiualem Iustinianum factam, prout in literis patentibus continetur.

In provincia Bethicae transferimus filiationem fr. Dominici de spiritu sancto a conventu sancti Dominici civitatis Regalis ad conventum sancti Dominici de Almeria, fr. Gundizali laici a conventu sancti Dominici de Oran ad conventum sancti Petri Martyris de Marchena, fr. Illephonsi de Mesa a conventu de Donnamentia ad conventum s. Petri Martyris de Archidona, fr. Bartholomaei Collado a conventu de Donnamentia
25 ad conventum sancti Dominici de Palma, fr. Ioannis de Xuara a conventu sanctorum Martyrum de Corduba ad conventum sancti Pauli Cordubensem, fr. Antonii de sancto Vincentio a conventu sanctae Crucis Granatensis ad conventum sancti Dominici civitatis Regalis, fr. Ioannis Martinez (1) praesentati a conventu sanctae Catherinae Giennensis ad conventum sanctae
30 Mariae de monte Syon Hispalensem, fr. Petri de Mesa a conventu sancti Petri Martyris de Ronda ad conventum sanctorum Martyrum de Corduba, fr. Illephonsi Bezerra a conventu sancti Dominici de Baeza ad conventum sanctae Annae de Carmona, fr. Ioannis Alphonsi a provincia sanctae Crucis Indiarum translati ad conventum sancti Dominici de Porta coeli Hyspalensem, fr. Illephonsi de la Fuente a conventu sancti Dominici de Porta coeli
35 Hyspalensi ad conventum sancti Dominici del Campo, fr. Didaci Benavides a conventu sancti Dominici de Ossuna ad conventum sancti Pauli Hyspalensem, fr. Alphonsi Cano a conventu suo originali ad conventum sancti Pauli Cordubensem, fr. Ioannis de los Angeles a conventu sancti

(1) De fr. Ioanne Martinez cf. supra pag. 106, 107.

Dominici de Palma ad conventum sancti Dominici Cordubensem, fr. Petri de Ayllon a conventu sanctae Annae de Carmona ad conventum sancti Bartholomaei de Utrera, fr. Hieronymi de Reina a conventu Astigiensi ad conventum sancti Dominici de Porta coeli, fr. Pauli de Elasva a conventu sancti Dominici de Palma ad conventum Astigiensem et fr. Am- 5
brosii Gomez a conventu Astigiensi ad conventum de Cabra.

In vicaria Romana approbamus translationem filiationis fr. Antonini de Fulgineo a conventu suo originali ad conventum sancti Dominici de Cortona, fr. Vincentii de Fulgineo a conventu sancti Dominici de Ful- 10
gineo ad conventum sancti Iacobi de Mevania et fr. Salvatoris de Aretio a conventu suo originali ad locum sanctae Mariae Accone de Ferentino.

Approbationes.

In provincia Hispaniae approbamus magisterium fr. Philippi de Ur-
rias (1), fr. Petri Puerticarrero (2), fr. Bartholomaei de Medina (3),
fr. Petri Fernandez, et praesentaturam pro forma et gradu magisterii ex- 15
clusive fr. Gregorii de monte Albano, fr. Bartholomaei Munoz, fr. Al-
phonsi de Liedma, fr. Ioannis de Orellana, quos omnes a capitulo Val-
lisoletano dictae provinciae expositos et per litteras illustrissimi et reve-
rendissimi domini domini cardinalis Iustiniani, nostri quondam generalis,
approbatos nunc etiam, si opus est, approbamus eosque iuxta ordinem 20
suae antiquitatis sua loca sortiri decernimus, ut in actis aliorum capitu-
lorum generalium declaratum est. Approbamus etiam praesentaturam fr.
Bernardini de Toledo, qui speciali commissione dicti illustrissimi card-
nalis ab eadem provincia expositus est.

In universitate Parisiensi approbamus lecturam sententiarum fr. Ioannis 25
Aloyne conventus Aurelianensis provinciae Franciae, fr. Petri Dibolo con-
ventus Cambericensis congregationis Gallicanae, fr. Ioannis Monchastre
conventus Cenomanensis eiusdem congregationis, fr. Stephani Hyspani
conventus Claremonensis eiusdem congregationis, fr. Iacobi Camoy con-
ventus Tollensis provinciae Franciae, fr. Ioannis Campeon conventus Le- 30
xoviensis eiusdem provinciae, fr. Petri de Dumo conventus Ebroicensis
congregationis Gallicanae, fr. Ioannis Breton (4) conventus Carnotensis
provinciae Franciae.

In eadem universitate Parisiensi approbamus magisterium rev. patris
fr. Simeonis Imperatoris conventus Argentomensis congregationis Galli- 35
canae, fr. Heraclii Praevost (5) conventus Sennonensis provinciae Franciae,

(1) De fr. Philippo de Urrias cf. supra pag. 105.

(2) De fr. Petro Puerticarrero (Portocarrero) cf. l. c. pag. 38.

(3) De fr. Bartholomaeo de Medina cf. l. c. pag. 75.

(4) De fr. Ioanne Breton cf. SSOP. II, 413.

(5) De fr. Heraclio Praevost (Heradio Prevot) cf. supra pag. 42.

fr. Eustachii Houley conventus Lexoviensis eiusdem provinciae, fr. Hugonis Guillermi (1) conventus Catalanensis eiusdem congregationis, fr. Guillermi Boette conventus Rothomagensis eiusdem congregationis, fr. Ioannis Pillaut (2) conventus Turonensis eiusdem congregationis, fr. Stephani Cicheae (3) conventus Lingoniensis provinciae Franciae, fr. Stephani de Repas (3) conventus Divionensis eiusdem provinciae, fr. Simonis Croissant conventus Mollinensis congregationis Gallicanae.

In universitate Rhemensi approbamus lecturam sententiarum fr. Theobaldi le Beau conventus Rhemensis provinciae Franciae. In eadem universitate Rhemensi approbamus magisterium fr. Ioannis Falvel (4) conventus Belvacensis provinciae Franciae, fr. Petri de Bellovisu conventus Leodicensis.

In universitate Bituricensi approbamus magisterium fr. Petri de Rambures conventus Ambianensis provinciae Franciae.

In universitate Pictavensi approbamus magisterium fr. Gabrielis Regnard conventus Aurelianensis provinciae Franciae, fr. Ioannis Carra conventus Pruviniensis, fr. Ioseph Iobar conventus Lingoniensis eiusdem provinciae.

In universitate Andegavensi approbamus magisterium fr. Clementis Bigot (5) eiusdem conventus provinciae Franciae, fr. Guillermi Fillet conventus Ambianensis eiusdem provinciae.

In provincia utriusque Lombardiae approbamus magisterium reverendi patris fr. Hieronymi de Bononia (6), quem pro tempore suo assignamus in regentem Bononiensem.

Similiter baccalaureatum fr. Marci Medices (7) inquisitoris Veronensis et fr. Petri de Ianua, quos assignamus pro tempore suo in baccalaureos Bononienses.

In eadem provincia approbamus transactionem alias factam inter fratres conventus sancti Martialis civitatis Terdonensis et dominum Franciscum de Ferrariis de dicta civitate cum consensu illustrissimi et reverendissimi domini domini cardinalis Moroni protectoris ordinis necnon reverendissimi patris magistri Seraphini Cavalli generalis ordinis, tunc procuratoris et vicarii generalis, ac reverendi patris fratris Iacobi de sancto Angelo tunc provincialis, sub die septimo februarii MDLXXI. super

(1) De fr. Hugone Guillermi cf. supra pag. 68.

(2) De fr. Ioanne Pillaut (Piglaut) cf. l. c. pag. 45.

(3) De fr. Stephano Cicheae et fr. Stephano de Repas cf. l. c. pag. 70.

(4) De fr. Ioanne Falvel cf. SSOP. II, 283.

(5) Videtur esse idem ac Clemens Bigot, de quo SSOP. II, 186.

(6) De fr. Hieronymo de Bononia cf. supra pag. 110.

(7) De fr. Marco de Verona cf. l. c. pag. 106.

pensionem, quam dicti fratres et conventus annuatim debebant eidem domino Francisco super prioratu sancti Bartholomaei dictae civitatis, eiusdem domini Francisci vita durante, loco cuius dicti fratres et conventus cesserunt et eidem domino Francisco assignarunt fructus ac redditus omnes dicti prioratus per ipsum dominum Franciscum propria auctoritate et suis periculis et expensis colligendos, salva recognitione unius paris caponorum fratribus praedictis annis singulis in festo sancti Martini tradendorum in recognitionem directi domini.

In provincia Provinciae approbamus baccalaureatum fr. Dominici de Nitia et fr. Guillermi Fracineti conventus Montispessulani (1). 10

In provincia Trinacriae magisterium fr. Ioannis Petri de Mirto (2) et baccalaureatum fr. Hieronymi Carra et fr. Octaviani de Mirto, declarantes patrem fr. Laurentium Corviserium de Castania verum esse, legitimum ac indubitatum conventus s. Citae de Panormo filium.

In provincia Bethicae approbamus omnes illos magistros et praesentatos, qui in capitulo provinciali Astigiensi immediate praecedenti approbati a provincia fuerunt, videlicet magisterium fr. Remigii Camarim (3), fr. Reginaldi Pecellin (3), fr. Alberti Aguario, fr. Dominici de sancto Iacobo, fr. Ioannis de sancto Petro (4), fr. Didaci de Villalbos, fr. Thomae de Argumedo (5), fr. Alphonsi de Sepalveda (6), fr. Gasparis de Paliera, fr. Ioannis de Heredia, fr. Andreae Romero (7), fr. Antonii Iaymes et fr. Francisci Maldonado (8). 20

Praesentaturas quoque fr. Ferdinandi de Mena, fr. Alphonsi Rosas, fr. Vincentii Guerra, fr. Michaelis de sancta Maria, fr. Iosephi Romero, fr. Didaci de Mendoza, fr. Ambrosii Mezzino, fr. Michaelis Paredes, fr. Antonii Gomez, fr. Michaelis Castano, fr. Petri Mendez, fr. Michaelis de Toledo (9), fr. Didaci de Pollete, fr. Raphaelis de Monsalve et fr. Augustini Maslen. 25

In provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru fr. Sebastianum Ayllon praedicatorem generalem, in hoc capitulo existentem, nomine suae provinciae praesentatum instituimus absque gravamine lectoriae, cum praedicationi et conversioni infidelium semper intendat. 30

(1) De fr. Guilelmo Francineto cf. supra pag. 113.

(2) De fr. Ioanne Petro de Mirto cf. l. c. pag. 107.

(3) De fr. Remigio Camarim (Tamariz) et Reginaldo Pecellin cf. l. c. pag. 107.

(4) De fr. Ioanne de s. Petro cf. l. c. pag. 46.

(5) De fr. Thoma de Argumedo cf. l. c. pag. 24.

(6) De fr. Alphonso de Sepalveda (Sepulveda) cf. SSOP. II, 255.

(7) De fr. Andrea Romero cf. supra pag. 69.

(8) De fr. Francisco Maldonado cf. l. c. pag. 77.

(9) De fr. Michaele de Toledo cf. l. c. pag. 74.

In universitate Lovaniensi provinciae inferioris Germaniae approbamus gradum licentiae in sacra theologia fr. Antonii Senensis Lusitani (1).

Approbamus magisterium reverendi patris fr. Nicolai Diaz (2) in praesenti capitulo generali diffinitoris provinciae Portugalliae.

5 In vicaria Romana approbamus magisterium fr. Ioannis Caroli de Florentia, fr. Vincentii de Civitate Veteri (3) et fr. Ioannis Baptistae de Floriano (3).

Provisio studiorum.

In studio Parisiensi pro anno 1571 ad lecturam sententiarum in
10 magnis scholis pro forma et gradu magisterii assignamus fr. Renatum Lecuillier (4) conventus Andegavensis provinciae Franciae. Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Edmondum Bourgoïn conventus Rotomagensis congregationis Gallicanae. Ad lecturam bibliorum fr. Franciscum Lauret conventus Altisiodorensis pro-
15 vinciae Franciae. Pro anno 1572 ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Petrum Deodatum conventus Portus sanctae Mariae provinciae Tholosanae. Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Dominicum Salmon conventus Bellovacensis provinciae Franciae. Ad lecturam bibliorum fr. Re-
20 natum Closier conventus Cenomanensis congregationis Gallicanae. Pro anno 1573 ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Ioannem Barril conventus Redonensis congregationis Gallicanae. Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Ioannem de Vernois conventus Polligniacensis pro-
25 vinciae Franciae. Ad lecturam bibliorum fr. Ioannem Matthieu conventus Lingonensis provinciae Franciae. Pro anno 1574 ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Ludovicum Rose conventus Compendiensi congregationis Gallicanae. Ad lecturam bibliorum fr. Carolum le Mol conventus Argentomensis congre-
30 gationis Gallicanae.

In studio Bononiensi in studentes formales ex provincia Theutoniae fr. Vuolfgangum Bielium huius capituli generalis diffinitorem, a prioratu Pambergensi ad sui petitionem absolutum, quem plurimum commendatum facimus priori provinciali provinciae utriusque Lombardiae et priori
35 conventus Bononiensis eiusque studii moderatoribus. Ex provincia Graeciae fr. Augustinum de Lugo, ex provincia Aragoniae fr. Bartholomeum

(1) De fr. Antonio Senen. Lusitano cf. SSOP. II, 271.

(2) De fr. Nicolao Diaz cf. supra pag. 118.

(3) De fr. Vincentio de Civitate veteri et fr. Ioanne Bapt. de Floriano cf. l. c. pag. 109.

(4) Videtur esse idem ac R. L'Esculteur, de quo SSOP. II, 337.

Signoredum conventus Barchinonensis et fr. Iacobum Tornerium conventus Grasse, ex provincia Bohemiae fr. Vincentium de Ossanna et fr. Dominicum de Gilesio, ex provincia Trinacriae fr. Dominicum de Veria post expletum studium fr. Eustachii de Cathania, ex provincia Bethicae fr. Petrum Sanches et fr. Ioannem Baptistam, ex provincia s. Thomae fr. Carolum de Galipoli et fr. Antoninum de Tarento, ex provincia Calabriae fr. Dominicum de Rido loco fr. Dominici de Roblano, ex vicaria Romana fr. Albertum de Reate filium conventus s. Dominici Campiregii de Senis post expletum triennium fr. Laurentii de Mevania.

In studio Salmanticensi caeterisque provinciae Hispaniae studiis generalibus in regentem, baccalaureum, magistrum studentium et lectores, prout a capitulo suae provinciae et reverendo provinciali dispositum fuerit. In eodem studio Salmanticensi ex provincia Tholosana fr. Paulum Socini conventus Burdegallensis per tres annos. Ex provincia Provinciae in studentes formales fr. Renatum de Toro conventus Tarasconensis, fr. Rolandum Stephanum conventus Aquensis, fr. Blasium Fererium conventus Toloni.

In studio Tholosano in regentem fr. Antonium Brunetum magistrum provinciae Oscitanae.

In studio Neapolitano pro primo anno in regentem fr. Petrum de Nuceria (1) magistrum, pro secundo et tertio providebit reverendissimus. In baccalaureum pro primo et secundo anno fr. Reginaldum de Neapoli, pro tertio providebit reverendissimus. In magistrum studentium pro primo anno fr. Thomam de Aversa, pro secundo et tertio providebit reverendissimus. In studentes formales ex provincia Trinacriae fr. Octavianum Corsum et fr. Ioseph de Marsala, ex provincia sancti Thomae fr. Vincentium de Castellaneto secundum et fr. Camillum de Monopoli, ex provincia Calabriae fr. Silvestrum de Altomuro et fr. Dominicum Poracio.

In studio Patavino pro primo anno in baccalaureum fr. Petrum Martyrem de Este (2). Pro secundo anno in regentem fr. Adrianum de Padua (3) magistrum, in baccalaureum fr. Ioannem Petrum de Este (2), in secundo loco pro forma et gradu magisterii fr. Angelum Venetum, in biblicum fr. Hieronymum de Tarvisio (2), in magistrum studentium fr. Bonifacium Fontana Venetum. Pro tertio anno in regentem fr. Adrianum magistrum qui supra, in baccalaureum ordinarium fr. Hieronymum de Tarvisio, extraordinarium fr. Antonium de Altamura (2), in biblicum

(1) De fr. Petro de Nuceria cf. supra pag. 106.

(2) De ffr. Petro Martyre de Este, Ioanne Petro de Este, Hieronymo de Tarvisio, Antonio de Altamura cf. l. c. pag. 111.

(3) De fr. Adriano de Padua cf. l. c. pag. 72..

fr. Bonifacium Fontana Venetum, in magistrum studentium fr. Livium de Tarvisio (1). In studentes formales: ex provincia s. Thomae fr. Thomam de Monopoli primum et fr. Ioannem Baptistam de Medunio, ex vicaria Romana fr. Iulium de Civitate Veteri.

5 In studio Panormitano in regentem fr. Ioseph la Rocca magistrum, de reliquis officialibus providebit reverendissimus. In studentem formalem fr. Franciscum Montaniacum Avenionensem pro rata provinciae Oscitanae.

In studio s. Eustorgii de Mediolano in regentem pro primo anno 1571 fr. Antonium Achatum de Ripolis magistrum. Pro anno 1573 et 10 1574 fr. Philippum de Mediolano (2) magistrum, in baccalaureum pro forma et gradu magisterii pro anno 1571 et 1572 fr. Danielelem de Bonifacio (1), pro anno 1573 fr. Sebastianum de Mediolano, in magistrum studii pro anno 1571 et 1572 fr. Sebastianum de Mediolano. Pro anno 1573 fr. Raphaellem de Luca. In studentes formales ex vicaria sancti Dominici 15 fr. Paulum de Venetiis, ex vicaria Romana fr. Simonem de Senis.

In studio Perusino in regentem pro anno 1571, 1572 et 1573 fr. Vincentium Seth baccalaureum, in baccalaureum pro tribus praefatis annis fr. Vincentium Banchellum, in magistrum studii pro anno 1571 et 1572 fr. Hieronymum de Pireto lectorem. Pro anno 1573 fr. Seraphinum Razzium (3) lectorem. In studentem formalem pro rata provinciae Trinacriae fr. Thomam de Collisano. 20

In studio Barchinonensi provinciae Aragoniae assignamus in lectorem theologiae pro secundo anno fr. Antonium Font (4), in lectorem artium fr. Petrum Palau (5), in magistrum studii fr. Michaellem Archs, in studentes formales ex provincia Provinciae fr. Gasparem Doneodum conventus Aquensis et fr. Carolum Muratoris conventus Toloni, ex provincia Trinacriae fr. Chrisostomum de sancto Angelo. 25

In provincia Bethicae assignamus in studentes formales pro rata eiusdem provinciae fr. Claudium Laugerium et fr. Petrum Marcellum 30 conventus Aquensis.

In studio Andrensi provinciae s. Thomae in regentem pro duobus primis annis fr. Iacobum de Tricasio magistrum, pro tertio anno fr. Nicolaum de Gravina (6) magistrum, in baccalaureum pro duobus annis fr. Angelum de Rubis (7), pro tertio anno fr. Antoninum de Liciis, in

(1) De fr. Livio de Tarvisio, Daniele de Bonifacio cf. supra pag. 111.

(2) De fr. Philippo Mediolano cf. l. c. pag. 72.

(3) De fr. Seraphino Razzio cf. SSOP. II, pag. 39.

(4) De fr. Antonio Font cf. l. c. pag. 112.

(5) De fr. Petro Palau cf. l. c. pag. 70.

(6) De fr. Nicolao de Gravina cf. l. c. pag. 75.

(7) De fr. Angelo de Rubis cf. l. c. pag. 22.

magistrum studii pro primo anno fr. Ioannem Dominicum de Castellane-
to, pro secundo et tertio providebit reverendissimus. In studentes formales
ex provincia Regni fr. Iordanum de Nola et fr. Iordanum de Campanea.

In studio Cosentino provinciae Calabriae in regentem fr. Franciscum
de Riolo (1) magistrum, in baccalaureum pro primo et secundo anno 5
fr. Dionysium de Rosarno, pro tertio pro forma et gradu magisterii
fr. Petrum de Neocastro (2), in extraordinarium pro primo et secundo
anno pro forma et gradu magisterii fr. Bartholomaeum de Polistina (3),
in magistrum studii pro primo anno fr. Ioseph de Consentia (3) pro se-
cundo fr. Paulum de Radicena, pro tertio fr. Dominicum de Roblano (4). 10

In collegio Dertunensi assignamus in lectorem artium fr. Hierony-
mum Pastrana.

Pro provincia Oscitana, quam in praecedenti capitulo extincto prorsus
congregationis nomine in provinciam sub titulo Oscitanae provinciae ere-
ctam, per praesentes taliter erectam confirmamus in eoque statu quoad 15
omnes et singulos suos conventus, quos modo possidet, iussu etiam
summi pontificis domini nostri perseverare volumus, ita quod eius con-
ventus nullo modo ab ea invita tolli aut separari valeant, assignamus
fr. Iacobum de Palude (5) ad legendum sententias pro forma et gradu ma-
gisterii in studio Tholosano pro anno 1573, et damus in regentem in 20
studio Avenionensi fr. Stephanum de Calais magistrum, et ad lecturam
sententiarum pro forma et gradu magisterii in eodem studio pro anno
MDLXXIII fr. Ponzetum Milani eiusdem conventus Avenionensis.

Licentiae promovendorum.

In provincia Hispaniae concedimus licentiam ascendendi ad gradum 25
magisterii inclusive fr. Joanni de la Fuente praesentato et fr. Dominico
Ibanez a proximo capitulo provinciali nobis praesentatis. Concedimus
etiam licentiam fr. Joanni de Granada (6) accipiendi gradum praesentaturae,
ad quam in praefato capitulo expositus est. Concedimus etiam fr. Domi-
nico de Guzman (7) provinciae Hispaniae praesentato, ut possit promo- 30
veri ad gradum magisterii, illaesis tamen iuribus et privilegiis eiusdem
suae provinciae.

In provincia Franciae instituimus praedicatorum generalem fr. Leo-
degarium conv. Lavallensis congreg. Gallicanae in theologia licentiatum.

(1) De fr. Francisco de Riolo cf. supra pag. 118.

(2) De fr. Petro de Neocastro cf. l. c. pag. 100.

(3) De fr. Bartholomaeo de Polistina et fr. Iosepho de Consentia cf. l. c. p. 113.

(4) De fr. Dominico de Roblano cf. l. c. pag. 110.

(5) De fr. Iacobo de Palude cf. SSOP. II, 362.

(6) De fr. Joanni de Granada cf. supra pag. 112.

(7) De fr. Dominico de Guzman cf. l. c. pag. 103.

In provincia Tholosana promovemus ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii in universitate Burdegallensi fr. Andream Tristanum conventus Rutenensis.

In provincia Graeciae ad magisterium fr. Thomam de Candia (1) baccalaureum, de eius sufficientia prius constituto.

In provincia Regni ad magisterium fr. Dominicum de Nuceria (2), et licentiamus ad baccalaureatum fr. Reginaldum de Neapoli.

In provincia Trinacriae ad magisterium fr. Thomam Romanum, fr. Vincentium Tasca, fr. Vincentium Gala, fr. Scipionem de Rosa, fr. Alphonsum de Xacca (3) et fr. Thomam Ripa Milensem (4). Ad baccalaureatum fr. Hieronymum de Veria (5), fr. Antonium de sancto Fratello (5), fr. Hieronymum de sancto Angelo (6) et fr. Franciscum de Leontio (5); et instituimus in praedicatores generales fr. Octavianum Manduca (7) et fr. Ciprianum Carrozza.

In provincia Aragoniae in praedicatores generales fr. Petrum Marsal, fr. Michaellem Archs et fr. Michaellem Penyaranda.

In provincia Bohemiae et Austriae ad magisterium fr. Paulum de Azzanello de Cremona (8) provinciae utriusque Lombardiae, priorem Viennae, in lectorem publicum Viennensem petitem et ad dictum magisterii gradum pro dicta assequenda cathedra etiam promotum, verum pro eadem dumtaxat provincia videlicet Bohemiae et Austriae.

Item licentiamus ad praesentaturam fr. Thomam de Sousa (9) serenissimi et invictissimi regis Portugalliae praedicatorum.

In provincia Dalmatiae licentiamus fr. Paulum de Iadra (10), ut tempore suo promoveri possit ad magisterium, et similiter ad baccalaureatum fr. Eustachium de Lesina. In praedicatores generales instituimus fr. Ioannem Charnich, fr. Benedictum de Catharo, fr. Hieronymum (10) et fr. Placidum de Iadra.

In provincia Poloniae facimus potestatem fr. Iacinto de conventu Cracoviensi (11), si a suo rev. provinciali et duobus suae provinciae ma-

(1) De fr. Thoma de Candia cf. supra pag. 106.

(2) De fr. Dominico de Nuceria cf. MOPH. IX, 358.

(3) De fr. Alphonso de Xacca (Zacca) cf. supra pag. 70.

(4) De fr. Thoma [de] Ripa cf. l. c. pag. 107.

(5) De ffr. Hieronymo de Veria, Antonio de s. Fratello, Francisco de Leontio (Leontino) cf. l. c. pag. 112.

(6) De fr. Hieronymo de s. Angelo cf. l. c. pag. 110.

(7) De fr. Octaviano Manduca cf. l. c. pag. 111.

(8) De fr. Paulo de Azzanello de Cremona cf. l. c. pag. 116.

(9) De fr. Thoma de Sousa cf. l. c. pag. 70.

(10) De fr. Paulo de Iadra et fr. Hieronymo de Iadra cf. l. c. pag. 76.

(11) De fr. Hyacintho Cracovien. cf. MOPH. IX, 356.

gistris per priorem provincialem approbatus fuerit, ut magisterii gradum possit suscipere.

In provincia Provinciae promovemus ad magisterium fr. Dominicum Gallum de Nitia (1), dummodo legat per duos annos. Ad baccalaureatum in universitate Aquensi fr. Antonium Cufi. Promovemus etiam ad dictum 5 gradum fr. Thomam Carbadoxum de Nitia et fr. Guiliermum Archierum Massiliensem et fr. Iacobum de sancto Valerio.

In provincia s. Iacobi del Pera ad gradum praesentaturae fr. Andream Velez.

In provincia Bethicae ad gradum praesentaturae fr. Petrum del 10 Sueldo, fr. Ioannem Bilches, fr. Bartholomaeum Cavallero, fr. Vincen- tium Hernandez, fr. Gomez de Figueroa, fr. Rodericum de Quintanilla et fr. Ioannem Cespites.

In provincia Theutoniae licentiamus fr. Arnoldum Berigensem con- ventus Ulmensis ad gradum praesentaturae seu baccalaureatus in univer- 15 sitate Coloniensi.

In provincia s. Thomae ad magisterium fr. Ioannem de Tricasio (2), ad baccalaureatum fr. Augustinum de Ferrandina (3) et fr. Hieronymum de Tarento.

In provincia Calabriae ad magisterium fr. Augustinum de Franca- 20 villa. Ad baccalaureatum fr. Bartholomaeum de Polistina (4), fr. Diony- sium de Rosarno et fr. Petrum de Neocastro (5), instituimusque in prae- dicatores generales fr. Sebastianum de Altomonte, fr. Paulum de sancto Andrea, fr. Ioannem Baptistam de sancto Georgio (6) et fr. Augustinum de Cuti. 25

In vicaria s. Petri Martyris licentiamus fr. Claudium de Cherio (7) baccalaureum et inquisitorem, ut ad magisterium possit promoveri.

In vicaria Romana promovemus ad baccalaureatum fr. Baptistam de Castello, praemisso examine.

Nullus ex promotis in hoc capitulo promotus habeatur, nisi prius 30 examinatus sufficiens repertus fuerit, super quo examinatorum conscien- tias oneramus.

Acceptamus et approbamus iudicum sententias suumque volumus eas effectum habere.

(1) De fr. Dominico Gallo cf. supra pag. 113.

(2) De fr. Ioanne de Tricasio cf. l. c. pag. 108.

(3) De fr. Augustino de Ferrandina cf. l. c. pag. 71.

(4) De fr. Bartholomaeo de Polistina cf. l. c. pag. 144.

(5) De fr. Petro de Neocastro cf. l. c. pag. 143.

(6) De fr. Ioanne Bapt. de s. Georgio cf. l. c. pag. 47.

(7) De fr. Claudio de Cherio cf. l. c. pag. 109.

Reverendorum patrum diffinitorum auctoritatem per totam diem dominicam festi sanctissimæ Trinitatis usque ad secundam feriam durare volumus.

Committimus reverendissimo magistro ordinis nostram auctoritatem
5 in præmissis et circa præmissa omnia et singula declarandi, interpretandi, glosandi, addendi, minuendi et omnia et singula faciendi, quæ capitulum generale et nos facere possumus, prout opportunum suæ prudentiæ visum fuerit.

Recepti ad gratias ordinis.

10 Recipimus et admittimus ad omnia et singula nostri ordinis beneficia in vita pariter et in morte reverendissimum in Christo patrem et dominum Nicolaum Psalmeum episcopum ac comitem Viridunensem sacrique Romani imperii principem, qui sua liberalitate curat in sua civitate Viridunensi conventum nostri ordinis instaurare.

15 Dominum Cholet, ecclesie dicti reverendissimi archidiaconum, et dominum Iacobum Alleaulme civem et mercatorem Aurelianensem unam cum coniuge et familia, qui conventum nostri ordinis ab hæreticis funditus eversum in integrum restituit.

Suffragia pro vivis.

20 Pro sanctissimo domino nostro Pio, qui generali huic capitulo in eleemosinam mille scuta aurea in auro contulit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege quilibet sacerdos unam missam.

25 Pro catholico Hispaniarum rege Philippo quil. sacerdos unam missam.

Pro serenissimo et invictissimo Sebastiano rege Portugalliae, qui magnas in die provinciae eleemosynas et multos modo redditus contulit, quilibet sacerdos unam missam.

30 Pro caeteris regibus et principibus christianis quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu sanctae matris ecclesiae proque inter christianos principes conservanda pace necnon pro felicissimo sacri sanctissimique interdictos principes initi foederis progressu et exitu quilibet sacerdos, quoad fieri potest devotius, unam missam, quod non permittat piissimus Deus
35 tam sanctam sanctissimi pontificis patris et domini nostri Pii fraudari mentem a desiderio suo.

Pro illustrissimo ac reverendissimo domino cardinale Morono, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

40 Pro illustrissimis et reverendissimis dominis cardinalibus Alexandrino, Theano, et nostri ordinis viceprotectore Iustiniano, ex ordine nostro assumptis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris, iis maxime, qui praesenti capitulo eleemosinas contulerunt, et pro receptis omnibus per reverendissimum patrem generalem ad nostri ordinis beneficia, quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione nostri ordinis proque eius capite reverendissimo magistro generali et sociis quilibet sacerdos unam missam.

Ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semel litaniae imponuntur, laicis vero decies pater noster.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima illustrissimi cardinalis domini Matthaei de Ursinis ex nostro ordine assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, per litteras magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque aliis benefactoribus, quilibet sacerdos unam missam, clerici septem psalmos poenitentiales, laici 25 pater noster.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus reverendis provincialibus et diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias eius unum ex his, qui ad hanc usque diem fuerunt apostatae vel damnati ad poenas gravioris culpae, suae tamen provinciae et in sua provincia tantum, non tamen si sit de fide suspectus.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ordinis quod sacerdotem nostri ordinis, alias ad confessionum audientiam expositum, sibi in confessorem semel tantum eligere et ab eodem de praeteritis usque ad praesentium notitiam casibus, peccatis, excessibus et censuris omnibus absolvi possint, a quibus sua reverendissima paternitas absolvere potest, denuncians sanctissimum dominum nostrum viva voce declarasse, quod forma consequendae plenariae indulgentiae, quam sua sanctitas deferendam concessit omnibus provincialibus, diffinitoribus et electoribus huius capituli sit haec, quod certa die a praelato in capitulo designanda fratres omnes et sorores praemissa confessione sanctissimam eucharistiam devote suscipiant, et eodem die clerici in ecclesia dicant septem psalmos poenitentiales, conversi vero rosarium beatissimae virginis orantes pro felici statu s. matris ecclesiae et pro successu initi foederis inter principes christianos.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum primum, assignamus in conventu Barchinonensi provinciae Aragoniae hinc ad triennium pro anno 1574.

Pro fide ab haereticis interfecti.

In provincia Tholosana fr. Leonardus Talasii sacerdos conventus s. Iuniani, cum fugiens repertus fuisset in xenodochio, ab haereticis stragulatus et pugione confossus fuit.

5 Fr. Augerius de Monte alto supprior conventus Morlanensis catapultata occisus fuit.

Fr. Raymundus de Plano eiusdem conventus praedicator egregius, cum perseveraret in fide, erutis oculis et eidem in cibum datis, tandem occisus fuit.

10 Fr. Ioannes Fargali, fr. Antonius de Rosa et fr. Antonius Wiliers conventus s. Severi, cum timore inimicorum, capta urbe, in noemus proximum fugissent, non audentes egredi fame tandem consumpti sunt.

Fr. Laurentius Franconi conventus Rutenensis, pater ven., inventus ab haereticis in vinea conventus vivus combustus est.

15 Fr. Robertus de Bellovisu (1), vir doctus, articulis membrorum abscissis et inter milites divisus, in residuo corporis exoriatus est.

In provincia Franciae fr. Robertus Culvanus conventus Hebroicensis congregationis Gallicanae.

Fr. Petrus Mereton conventus Claremontensis eiusdem congregationis.

20 Fr. Ioannes Picard conventus Belvacensis provinciae Franciae.

Fr. Ioannes Fegen conventus Pruviniensis eiusdem provinciae.

Exemplar literarum ex Indiis orientalibus

ad reverendissimum patrem magistrum ordinis, quarum haec superscriptio:

25 Reverendissimo patri totius praedicatorum familiae moderatori et magistro generali, Romae, ab Indiis Portugalliae secunda via.

In iis autem.

Reverendissimo patri totius familiae praedicatorum magistro generali, dilectus filius frater Fernandus de sancta Maria (2) multam in Christo salutem exoptat.

30 Nuper dum apud promontorium de Mallaqua anno 67 agerem, literas in Portugalliam inde dirigendas ad reverendissimum patrem misi, quibus te certiozem faciebam omnium, quae operatus est dominus per fratres nostros apud gentes in evangelio filii sui. Qua in re in dies multa replemur laetitia et dicimus cum Paulo: « Benedictus Deus et pater do-
35 mini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiri-

(1) De fr. Roberto de Bellovisu cf. supra pag. 113.

(2) De fr. Fernando de s. Maria cf. SSOP. II, 258.

tuali, in coelestibus in Christo ». Apud incolas insularum nuncupatarum de Solor et de Ende, ad quas residens primo Mallaquae, anno domini 62 paucos destinavi fratres, fidelium populus ita est in maxima numerositate adauctus, ut iam excesserit intinctorum numerus computum quinquaginta millium, et quotidie durus et oleaster amarus incultae gentilitatis inseritur in bonam olivam, ut iam impletum sit illud « Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo et florebit quasi lilium »; et a Mallaqua in Indiam pro legenda sacra theologia, cui a iuventute aliisque disciplinis semper elaboravi, revocatus, animum plantandi fidem in magno et opulentissimo regno de Syam, idolorum cultura feraci, minime deposui, immo magis ac magis exoptans, ut nomen regni rei significatae responderet; post triennium desiderii mei in Mallaquam revertendi factus compos et paucis, quos fidei propalandae intellexi avidiores, delectis fratribus ad promontorium Cresonense per superbum horridumque mare Taprobanum, duobus peractis in mari mensibus applicuimus, et parato tempore, quando coelorum serenitate, depulsis procellis, fit licentia navigandi in iam dictum regnum, dios illuc moribus et doctrina ornatissimos patres delegavi, ad quod applicuere ultimo unius mensis die. Quos incolae, ut compererunt, dicto aliquorum Lusitanorum, qui hic negociandi causa aderant, eos unius et veri Dei cultui esse dicatos, honorifice receperunt. Statim illis, in qua se colligerent et, si vellent, sacra celebrarent, in meliori civitatis parte pararunt decentem domum. Ad eos multi gentilium viri nobiles et nonnullae matronae et ipsi idolorum sacerdotes doctrinae novae audiendae gratia decurrebant. Ex tunc cepit ferrox illa idolorum resp. deferre honorem patribus eosque veri Dei amicos declamare. Imo monachi eorum: apud ipsos, qui divino cultui sunt separati, solitarie agunt, eleemosinas, victum et vestitum quaeritant, corporis etiam contusione elaborant passionibus medium rationis imponere, applaudentes et hylari facie ad hospitium eos recipiebant. Utriusque patrum adeo in brevi illorum linguam exhaustit, ut ipsos incolas admiratos redderet. Hoc tantum bonum diversus a Christo homo inimicus Sathanas non ferens, cepit quorundam Sarracenorum animos invidio odio contra patres excitare. Qua in re daemonis persuasu et intraneae malitiae impulsu adeo exarserunt, ut eos tanquam contrarios illorum perfidiis occidendi iam quaererent opportunitatem, et ut commodius immane sacrilegium exequutioni daretur, pecunia aliquot gentilium corruptos in suam coniurationem adduxerunt. Cunctis iam ad facinus peragendum compositis et definitis, ceperunt Mauri Lusitanos paucos qui aderant, res proprias negotiantes verbis, gestibus incompositis, ut obiurgandi haberent occasionem, irridere. Lusitani siquidem non ferentes, ut eis mos est, a Mauris iniuriam illis irrogari, ense denudato hinc et inde perfidorum san-

guini non parcebant. Patres domi populorum tumultum clamoresque audientes, causa inter eos componendi pacem et, in necem ne aliqui irent, accesserunt. Quos Mauri cum aspexerint, nam ad hoc erat illorum tumultus, hasta emissa alterum occiderunt, alterum iuniorem scilicet crudelis lapidis ictu percusserunt. Qui post aliquot dies sanitati est restitutus. Incolis crudelissimum et immane gestum contuentibus, clamoribus et tumultibus tota civitas insonabat; parvuli fletibus dirumpebantur, vociferantes propria lingua « Vapa Beta », « Vapa Beta », scilicet « Pater mi », « Pater mi ». Proceres et maiores natu capita pulveribus complebant, populares vero caesis vestibus animi tristitiam significabant. Factus denique est populorum gentilium maximus concursus, innitentium, antequam sepulturae daretur, sanctum deosculari cadaver. Rex, qui itinere decem dierum aberat, facinus cum novit, incredibili affectus tristitia, et rei veritate publica disquisitione comperta, quotquot tum Gentilium tum Maurorum quoquo modo in facinus illud reperiit commisisse, elephantibus tradidit comminuendos. Ex curiae nobilibus, qui in nefarium actum coniurarunt, nonnullos capite punivit, alios exilio perpetuo relegavit. Pater iam aliquantulum valens, tantam hominum necem non ferens, supplex ad magistratum accessit, ut, interim ipse regem petebat, quiesceret ab occidendis et detruncandis hominibus. Cui statim proconsul morem gessit. Pater post aliquot dies itineris ad regem ingreditur. Cui rex applausit et vultum hylarem dedit. Quaesivit rex, quidnam vellet. Cui pater « Ut audias servum tuum ». Et rex « Dicito ». Et proponens sui animi desiderium, rex annuens dixit patri « Vir boni et magni animi tu es ». Ex tunc rex maiori amore patri afficiebatur petiitque ab eo, ne a suo regno discederet, et, emisso edicto ad proconsulem, sanguinis effusioni positus est terminus. Heu, heu cum haec ad me per literas delata essent, non tristitiae, sed mortis nuncius mihi fuit. Consolationis certae nullus mihi erat locus ob tanti patris discessum. Voluit enim pius dominus, quem confessorem sui nominis habuit in terris martyrii praemio coronari in coelis. Tandem, devoluto anno, patris sanctae reliquiae a Lusitanis Mallaquam sunt deportatae; quae ab episcopo et arcis duce, universo clero et populo solenni pompa ad nostram domum delatae, post missarum solennia sepulturae dedimus. Huius patris nomen: frater Hieronymus de Cruce.

Statim unum ex his, qui mecum erant, patribus, cuius nomen, ut suspicamur, est in libro vitae, ad illam provinciam direxi, virum rebus fidei tractandis satis conformem. Eratque mihi in animo iamiam ad alias huius novi mundi partes praecipue ad regnum de Bima et ad regnum de Butum, in quibus idolorum cultura viget, ubi Mauris nondum patuit accessus, mittere; et sub hoc eventu obsessa est Mallaqua ab exercitu

potentissimi regis de Achem. In qua obsidione per duos menses omni die, mane et noctu, ab inimicis ferarum impetu impetebamur, omni bellico artificio. Inimici in tanta erant multitudine, ut terram visui absconderent, et mare navium et gallearum immensitate oculis videndum non darent. Machinamenta et tormenta innumerabilia adduxerunt. Nos autem 5 Lusitani in numero brevi ad numerum 180 et incolae civitatis, qui dicuntur Mallaii, viri bellatores usque 1000. Arbitrantes inimici nos ex multo labore defatigatos, et quod nulli nostrum superessent vires recipiendis armis, in vigilia beati Matthiae anno domini 1568 ante auroram undique civitatis moenia intrare innitentes aggrediuntur. In congressu 10 tanta facta est inimicorum caedes, domino pro servis suis dimicante, ut illorum iacentia corpora terram videre non concederent; ex nostris pauci usque decem animam egerunt. Videns impius rex tantam suorum stragem et potentiae suae fortitudinem prostratam, collectis cunctis, intra octo dies, quae bellico apparatus erant, et flante vento, victus et in sua 15 superbia pudefactus discessit. Hic rex possidet Taprobanam insulam, quae alio nomine vocatur Samatra, et illamet Ophir, de qua legitur in libris Regum, ad quam rex Salomon producendo auro et gemmis et multis aromatibus suas classes mittebat, inhabitat.

Deinde conceptam prius voluntatem mittendi fratres ad praedicta 20 regna volens executioni mandare, ecce adsunt literae revocantes me pro regendis scholis in Indiam; et tunc maxima affectus tristitia, non potui non impatienter ferre et cognoscens non in sacrificiis, sed in corde contrito esse placitum Deo, amplexatus iniunctam obedientiam ad Indos iter arripui, et nunc vacans sacrae theologiae lectioni Goae inhabito. Tamen 25 animus meus et affectus semper est ad plantandam fidem et divulgandum nomen domini per illam vastam solitudinem gentilitatis, praecipue ad regna iam dicta, in quibus non dubito novam posse plantari ecclesiam.

Quapropter, pater reverendissime, si apud te haud indignum visum 30 fuerit favere desideriis dilecti filii, rem certe, ni fallor, Deo optimo gratissimam et ordinis instituto sat iustam feceris, si tuo nomine literis et sigillo me segregaveris et apostolum institueris ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, qui nos ad hoc vocavit. Et licet ad hoc tantum munus peragendum puer ego sim, et nesciens loqui, viri- 35 busque impar, tamen quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Nam potens est Deus mittere manum suam et tangere os meum et carbone ignito de sanctuario labia hominis balbutientis ignire. Obsecro, pater reverendissime, maiorique in modo peto, ut animam meam in suo desiderio ad optatum 40 perducas, et ne mihi obiiciat reverendissimus pater discrimina vitae, quia

non facio animam meam preciosiorem quam me. Quod superest aetatis, iam nunc completo 45 anno praedicationi fidei apud gentes vellem impendere. Et si paternitati tuae reverendissimae acceptum fuerit, dilecti filii votum non denegare, etiam non renuat, unum aut duos patres zelo
 5 Dei ferventiores a me posse eligi, quia dictum est « Ve soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se ». Dominus ipse omnipotens pater det nobis possidere regna illa, ubi est illud unum, in quo sunt omnia. Amen.

Goae 26. decembris anno domini 1569.

10

Humilis filius

FR. FERNANDUS DE SANCTA MARIA.

15

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
 BARCHINONAE CELEBRATI
 IN CONVENTU S. CATHERINAE MARTYRIS
 IN FESTO SANCTISSIMI PENTHECOSTES
 ANNO DOMINI ·M^o·D^o·LXXIV^o· DIE XXX. MAII.

Sub reverendissimo patre fr. Seraphyno Cavalli Brixienti (1) sacrae theologiae professore, magistro generali ordinis praedicatorum, diffinitibus reverendis diffinitoribus, videlicet :

- fr. Dominico de Celaya (2) in sacra theologia praesentato diffinitore provinciae Hispaniae,
 20 fr. Petro de Rivis (3) magistro diffinitore provinciae Tholosanae,
 fr. Angelo Mirabino de Faventia (4) lectore diffinitore provinciae utriusque Lombardiae,
 fr. Antonino de Neapoli lectore diffinitore provinciae Regni,
 25 fr. Michaele Pinedo (5) magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
 fr. Martino de Lemos lectore diffinitore provinciae Provinciae,
 fr. Petro de Arigno lectore diffinitore provinciae Trinacriae,
 fr. Ludovico de Soto maior (6) magistro diffinitore provinciae Portugalliae,
 fr. Gaspare de Cordova (7) lectore diffinitore provinciae Bethicae,

(1) De fr. Seraphyno Cavalli cf. supra pag. 139.

(2) De fr. Dominico de Celaya cf. SSOP. II, 230.

(3) De fr. Petro de Rivis cf. supra pag. 105.

(4) De fr. Angelo Mirabino de Faventia cf. SSOP. II, 296.

(5) De fr. Michaele Pinedo cf. supra pag. 39, 46.

(6) De fr. Ludovico de Soto maior cf. l. c. pag. 107.

(7) De fr. Gaspare de Cordova cf. SSOP. II, 354.

fr. Ioanne de Tricasio (1) magistro diffinitore provinciae s. Thomae,
fr. Ludovico Vitalis (2) magistro diffinitore provinciae Occitanae.

Frater Seraphynus Cavalli Brixienſis ſacrae theologiae profeſſor
totius ordinis praedicatorum generalis magiſter et ſervus
universis et ſingulis ſui ordinis profeſſoribus ſalutem.

5

Religionis noſtrae delineaturus imaginem, plagas dicam potius de-
tecturus dilectae genitricis, non ut ignota vel abdita pandam, ſed magis,
ut viva vobis ſui facie oblata, quemadmodum ſanctiſſimo illi patriar-
chae Iacob filii dilecti Ioseph tunica illa funeſta, omnium veſtrum com-
moveantur viscera, non aliam tunicam, ut ita loquar, et veſtem habeo 10
cruentam magis et laceram et magis ad omnium animos commovendos
aptam, quam dilectae illius et electae vineae domini Dei Sabaoth, cuius
tragicum et funeſtum aspectum et ſtatum regius propheta psalmo ſe-
ptuagesimo nono deplorat. Vineam, inquit, de Aegypto tranſtulisti, eie-
cisti gentes et plantasti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius, plan- 15
tasti etc.

Haec perfecta noſtrae eſt religionis imago et absoluta ſui totius de-
ſcriptio. Hic non per ſpeculum in aenigmate, ſed facie ad faciem exa-
ctiſſime ſtatum noſtrum contemplari licet, et qui fuerimus, qui ſimus,
quive eſſe debemus inſpicere. Verum cum longe miſerabilior eorum ſit 20
caſus, qui a ſecunda in adverſam concidere fortunam, quam illorum,
qui non aliam quam miſeram ſemper ſunt experti, praecedentia noſtra
contemplemur, quaeso, prius et eadem cum praesentibus comparemus,
quo noſtra et maior appareat miſeria et noſtri miſericordia maior in
nobismetipſis concitetur.

25

Summus ille pater familias et coeleſtis agricola vineam hanc de
Aegypto tranſtulit, dum ex Aegypto vaſtitaſis virum ſuae voluntatis vocat
auctor ſaeculi, dum ſanctiſſimum noſtri inſtituti authorem et patrem
caeterosque inſignes et primos noſtrae huius vitis palmites eripuit de po-
teſtate tenebrarum mundi huius et tranſtulit in regnum lucis et dignos 30
eos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine. Eiecit gentes, Phere-
ſeum, Ammorreum, Iebuseum et ſeptigenam illam populo Dei infeſtam
nationem, ſeptem ſcilicet capitalia vitia cum exercitibus ſuis et vitiis
aliis, prodeuntibus ex eis; non penitus tamen delevit has gentes, ut in
iſtis experiatur Iſrael, utrum cuſtodiat viam domini et ambulet in ea. 35
Reliquit ad exercitium, reliquit ad coronam, ita ut deſiectae potius quam

(1) De fr. Ioanne de Tricasio cf. ſupra pag. 146.

(2) De fr. Ludovico Vitalis cf. l. c. pag. 108.

eiectae dici possint hae gentes, et velimus, nolimus, in terra nostra Iebuseus inhabitat.

Plantavit eam, ne unquam eradicari possit, omnis siquidem plantatio, quam non plantaverit ille, tandem eradicetur oportet. Plantavit in
5 pingui agro, in cornu filio olei, in terra impinguata sanguine et pinguedine Christi. Et cui dubium esse potest, quin et sepem praeceptorum et legum firmissimam circumposuerit, sepem protectionis et custodiae suae circumdederit, cum dictum sit, salvator ponetur in ea murus et antemurale, ut nihil sibi vinea timeat tali muro vallata? Minime dubi-
10 tandum, quin et poenitentiae torcular foderit et contemplationis aedificarit turrim, et nihil sit, quod ultra debuerit facere vineae suae et non fecerit.

Dux et itineris fuit in conspectu eius in columna ignis et lucis, dum sub figura catuli ardentem faculam ore baiulantis, et stellae luce in fronte
15 parvuli novum iubar futurum saeculi praemonstravit ducem et patrem nostrum. Dux itineris fuit in conspectu eius, dum ductorem et ducem sese praestitit et perfectum ad imitandum exemplum. Hunc ducem dux noster sequutus est, sequuti sunt et subsequentes nostri duces et patres, cruces suas tollentes, se ipsos abnegantes, post eum euntes, sua vestigia
20 sequentes. Fecere secundum exemplar sibi praemonstratum.

Ad huius vitae ducis imaginem suam componere, toto contendere studio, plantavit radices eius, primos illius vere aurei saeculi patres: Reginaldum, Iordanem, Raymundum, illustris huius nationis et patriae gloriam; primam illam omnium radicem, sanctum parentem nostrum,
25 ut quemadmodum radix sancta, ita et rami essent. Plantavit radices eius, ut in charitate radicati et fundati possent comprehendere cum omnibus sanctis, quae esset latitudo et longitudo, sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, et implerentur in omnem plenitudinem Dei, ut in humilitate radicati et in fide fundati
30 non frangerentur adversis, non prosperis commoverentur, non vento aliquo superbiae humanique fastus fluctuarent, sed in fide invenirentur stabiles et in opere efficaces.

Admirabilis haec fuit et foelix vineae nostrae plantatio, primaque nostri ordinis institutio. Et quid mirum, si vinea haec electa et adeo
35 praedilecta, coelestis agricolae manu plantata, irrigata, culta, circumsepta, munita, quid mirum, si terram implevit, si a solis ortu usque ad occasum per eam laudabile nomen domini fuit in gentibus, si ex ubertate palmitum mundi iam cinxit ambitum, si palmites suos extendit usque ad mare et usque ad flumen propagines eius, ut nedum oceanum mariaque haec omnia et flumina: Nili, Tanais et Gangis transnatarit,
40 verum et plus ultra transierit, nova maria novaque flumina, novum de-

niq̄ue orbem perlustrarit, palmites suos ubiq̄ue difuderit et per univ-
 sum terrarum orbem extenderit? O certe foelicem, terque beatam vitem,
 de cuius surculo tantum germen redundat saeculo, coeli vinum propinans
 populo vitali poculo. Et si tantae extitit magnitudinis et ambitus, quantae
 celsitudinis et eminentiae esse debuit? Quid mirum, si montes operuit 5
 umbra eius et arbusta eius cedros Dei, ubi et doctrinae et sanctitatis me-
 rita expressa videtis? Nostrae siquidem vitis umbra divinorum scientia
 fuit, omnes humanarum scientiarum montes operiens, umbra, quia ab
 omni mundano temperans, et refrigerans aestu, quia vere umbra ac docta
 ignorantia luci illi clarae visionis comparata invenitur, et quia sub umbra 10
 illius, quem desideravere patres nostri, collecta et hausta.

Umbræ illius celsitudinem in sanctissimo nostro angelico doctore
 divo Thoma contemplamini, et videte, num revera montes operuerit
 umbra eius, hanc in Raymundo, Alberto, Durando, Capreolo, Caetano,
 Sotis et aliis compluribus multiplicatam conspiciate. Nostrae vero vitis ar- 15
 busta, quid aliud sunt, quam patres nostri sanctitate conspicui, verae
 vitae et viti Christo uniti, in eo manentes et fructus ob id suavissimos
 ferentes? Quid vitis arbusto et ligno contemptibilius, ex quo nec opus
 aliquod nec paxillus, ut dependeat in eo quodcunque vas fabricari po-
 test? Et tamen eius arbusta non Libani, sed Dei cedros operuere, eo- 20
 rum quos in Dæi ecclesia conspicuos et praeclaros vidimus, superavere
 splendorem.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei. In unico surculo
 et ignobili ac contemptibili nostrae vitis arbusto, tot aliis praetermissis,
 aetate nostra in unico Pio quinto, nonne hoc suspeximus et admirati 25
 sumus? Nonne unicum hoc arbustum cedros Dei operuit, nedum su-
 blimi authoritatis et dignitatis conscessu, sed innocentissimae vitae splen-
 dore et admirabilis prudentiae culmine? Ex tam iocundo aspectu vertite
 oculos et mecum lugete, patres, nostrae tam excelsae et florentis vitis
 direptionem, despectum, ruinam, gemite mecum, quia cecidit corona ca- 30
 pitis nostri. Ut quid enim destruxisti, domine, maceriam eius? Ut quid?
 ut eam vindemiant omnes, qui praetergrediuntur viam, exterminavit eam
 aper de silva, et singularis ferus depastus est eam? O funestum et tra-
 gicum aspectum. Apostolicae libertatis et ecclesiasticae immunitatis pri-
 vilegia et indulta, tot et tanta, quibus tanquam maceria munita et cir- 35
 cundata erat, et ab omni externa vi et direptione tuta, destructa sunt et
 demolita vel certe depressa, ita ut eam vindemiant omnes, qui praeter-
 grediuntur viam. Principes dominati sunt nostri, et facti sumus sub tri-
 buto. Omnes diripiunt et eripiunt, detrahunt, abstrahunt, conculcant et
 dissipant. Exterminavit eam aper de silva, immanissimus ille christiani 40
 nominis hostis, et Dalmatiae, Cipri et Chii, ne Ungariae commemorem,

conventus diripuit, incendit; et singularis haeresum ferus heu quantum et quomodo depastus est eam, ut et integras provincias Angliae, Iberniae, Scotiae absorberit, et Galliarum et Belgicae tot inclitas domos, quas in parte gemebundus vidi, everterit, templa et altaria suffoderit, sacra
5 vasa abstulerit, Dei prophetas et sanctos occiderit.

Sed externa haec mala praetermittamus, interna, unde haec provenire, videamus et misere deploremus. Vineae nostrae maceria est destructa, quia obedientiae murus dirutus est, quo solo confovetur et consistit religio; legum nostrarum nulla observantia, nulla praeceptorum
10 reverentia, nulla tantae virtutis cura. Exterminavit eam aper de silva, carnis luxus et sensus illecebrae, voluptates immunditiae et voti castitatis transgressio, ut omnia uno verbo comprehendam. Singularis postremo ferus depastus est eam, singularitatis scilicet et proprietatis vitium, amor proprius, qui adeo in religione nostra irrepsit, et vere depastus est eam.
15 Hae ferae sunt pessimae, quae devorarunt Ioseph, quae devastarunt vineam, quae destruxere maceriam. Et quid mirum, patres, si vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam? Si, qui glorificabant eam, spreverunt eam, quoniam viderunt ignominiam eius? Quid mirum, si mutatum est aurum, mutatus est color optimus, male audimus in populis,
20 contemptibiles sumus et omnium peripsema facti sumus; et vindemiant eam omnes, omnes nobis detrahunt, obiiciunt, inculcant, opponunt? Veh nobis, quia peccavimus. Hinc nostra perditio. Ob id destruxit dominus vineae suae maceriam, quia expectavit, ut faceret uvas et fecit labruscas, expectavit, ut faceret iudicium et fecit iniquitatem, et conversa
25 est in amaritudinem. Destruxit, quia palmites non tulere fructum, quia coloni et agricolae vineam sibi usurparunt, in propria commoda fructus referentes, sua, non quae domini vineae essent, quaerentes. Et quid aliud expectandum, quid pertimescendum magis, quam ut malos male perdat vineae dominus et vineam suam locet aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis? Quid faciendum nobis est, ut tot mala exitiaque
30 vitemus? Nil aliud profecto, nisi quod in vineae alicuius instauratione fieri quotidie videmus.

Innovanda vinea est, novae inserendae sunt vites, novi fodiendi sunt et plantandi surculi et palmites. Hoc unicum remedium adhibuit et ad-
35 invenit sancta postrema Tridentina synodus instaurando orbi, ut seminaria iuniorum erigerentur ubique in ecclesia Dei, et unicum hoc adhibendum nobis est medium pro nostrae restauratione vineae, ut novitiatus ubique construantur et erigantur. Discant magistri ex vite ipsa et vitis cultura, quid in novitiorum educatione et institutione facere eos oporteat, quantum novellae plantationes in iuventute sua egeant pedamentis
40 et statuminibus, quibus alligentur, innitantur, fulciantur, quo solo plan-

tandae, non in opimo et humido, ne frondescant et evanescant, sed inter petras poenitentiae, in monte contemplationis et in solis id est charitatis ardore. Discant, quando et quomodo rescindendi palmites sint et putandi, ne luxurietur, ne repat et superbiat vitis; et licet humor exeat, doleat, ploret, humor interim et virtus retrahitur, colligitur et fructificat vitis. 5 Discant, qua sepe, qua turri muniendi sint et conservandi et quo torculari premendi, puigandi, probandi.

Continua egent cultura vites et maxime cum adolescent et excre- scunt, et continua tunc maxime egent disciplina novitii. Non secundo vel tertio a professione anno a novitiorum magistri cura abigendi, non 10 relinquendi ac si iam ad robur pervenissent, unde certe unicae nostram ruinam magna ex parte profectam minime ambigo, sed eatenus sunt sub cura magistri tenendi et diligenti cura colendi, quousque adeo profecere aetate et religione, ut vinum edere, verae vitis Christi domini nostri vi- num et sanguinem conficere possint, verae viti quotidie magis uniri, et 15 tanquam arbori vitae continuo sacratissimi altaris sacramenti usu con- iungi, et maiori devotionis fervore copulari ac eo sustineri.

Vitem unusquisque se esse, vel certe palmitem apud se existimet et cogitet, num verae viti adhereat, in ea maneat. Sui utilitatem consideret ex vitis ligno sui que indigentiam, quod nisi innixus Dei gratiae ut pe- 20 damento vitis consistere nequit. Ad nihilum se ultra valere perpendat, nisi ut abscindatur et in ignem mittatur, nisi fructum, et bonum fecerit, et hinc colligat, quae religioso viro posita lex sit et necessitas, nedum declinandi a malo, sed operandi, et operandi bonum. Putet et rescindat palmites suos, fodiat et impinguet vitem suam, foveat sese sepe valida, 25 sui scilicet custodia. Turri contemplationis et orationis se muniat et poenitentiae torculari peccata premat, in amaritudine recogitet omnes an- nos suos, diiudicet sese, ut non a domino iudicetur, premat se, ne prematur unquam. Haec privata uniuscuiusque sui sit sollicitudo et cura.

Praelati et ad aliorum regimen et curam praepositi colonos se esse 30 vineae huius agnoscant et agricolas. Vineam siquidem suam dominus locavit agricolis. Cogitent sibi locatam, non traditam. Cogitent, quan- tum colonus vites, pastor oves, piscator pisces, tantum praelatum sub- ditos excedere debere. Cogitent coloni nomine indignum eum esse, qui vineas colere minime faciat, et qui domui suae praeesse nescit, nec alie- 35 nae sciet. Cogitent colonos se esse vineae, non dominos, colere debere, non dissipare, aedificare, non destruere, laborare, non otiari. Cogitent po- stremo, quod sine timore cogitari nequit, quod cum tempus fructuum advenerit et tremenda illa et generalis vindemia, non sui dumtaxat, sed et vineae sibi locatae et concreditae reddent rationem, suorum nedum, 40 sed et vineae fructuum et operum. O tremendam et districtam rationem.

Sanguinem eius de manu tua requiram. Nedum enim de non editis nostra inscitia et negligentia fructibus, sed et de editorum quantitate et qualitate disquiretur. Haec cogitemus, patres, nec surda pertranseamus aure.

5 Cogitem haec et ego et continua meditatione considerem, tenuem et exilem surculum, positum me esse custodem in vineis, in specula constitutum, ut continuo vigilem, videam, clamem et abigam vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas; excitem me, excitem colonos, excitem omnes, ut vinea haec nostra innovetur, colatur et floreat. Haec cogi-
10 tantes eadem re ipsa referre et effectu praestare toto pectore contendamus. Ubi novae coalescunt vites, in novo illo novi orbis agro, in quo singulari Dei clementia primos posuimus palmites, nova eaque summa adhibeatur cura, ut operariorum manus et copia non deficiat. Ubi adhuc
15 perfectae sunt vites et integra Dei munere nostra et christiana conservatur religio, ne declinet attendendum. Qui stat, non altum sapiat, timeat et vigilet, ne cadat. Ubi deficient, ubi senescunt, ubi incultae repunt inutiles et luxuriantur, putentur, innoventur, inserantur, colantur, impingentur. Ita fiet, ut iterum vinea nostra floreat et fructificet suavitatem odoris et flores eius fructus honoris sint et honestatis. Sed ma-
20 xime apud patrem coelestem vineae dominum precibus agendum est, patres, nisi enim dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Ex intimis animorum praecordiis exorandum, ut de coelo misericordiae suae oculis respiciat, videat, visitet et perficiat vineam istam, quam plantavit dextera sua, et super filium hominis, quem con-
25 firmavit sibi et super eum fiat manus sua. Convertatur ad nos et convertemur. Tunc incensa igni et suffossa ab increpatione vultus sui peribunt, cupiditas scilicet et timor, unde peccatum omne. Domine Deus virtutum convertere, respice de caelo et vide et visita vineam istam et perfice eam, quam plantavit dextera tua. Non discedemus a te, vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus. Domine Deus virtutum converte nos
30 et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

In nomine domini nostri Iesu Christi et beatae Mariae semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctorum dei.

35 Haec sunt acta, quae in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo auctore, proponuntur.

Inchoationes.

Inchoamus hanc, quod festa sanctorum decem millia martyrum et sanctorum Hippoliti et sociorum deinceps sub festo duplici celebrentur.

Item quod in provinciis, ubi commode fieri potest, priores postquam a prioratibus fuerint absoluti, saltem per unum annum a prioratu vacent.

Confirmationes.

Confirmamus in primis omnes ordinationes et declarationes in praecedentibus capitulis Bononiensi et uno atque altero Romanis factas circa statuta et decreta sacrosancti Tridentini concilii.

Item confirmamus, quod in plerisque praecedentibus capitulis statutum fuit de conventibus pro arctiori regulari vita concedendis; quod pro inserto et de novo edito haberi volumus.

Item confirmamus omnes ordinationes, quae circa divinum cultum in capitulo Romano penultimo statutae et in novissimo confirmatae fuerunt et expresse habentur, quas etiam, si opus est, innovamus.

Item confirmamus et omnino observari volumus, quod iam fere ab universo ordine est receptum, et in praedictis capitulis decretum et approbatum fuit, de adoratione divinissimi et augustissimi altaris sacramenti, non solum profunda inclinatione, sed etiam genuflexione.

Item confirmamus ordinationem etiam praecedentium capitulorum, ne quis frater cuiusvis gradus vel conditionis audeat tenere neque verbo vel scripto publice vel privatim asserere aliquem articulum pugnantem cum decretis sancti concilii Tridentini sive ad dogmata fidei sive ad bonos mores attinentibus.

Item confirmamus, quod in frequentibus capitulis est ordinatum, ut si quis a solida s. Thomae doctrina recesserit, officio lectoratus et quocunque alio gradu perpetuo privetur, super quo provinciales diligentissime invigilent.

Item confirmamus, ne quis Graecam aut Hebraicam linguam addiscat sine peculiari sui provincialis licentia in scriptis prius habita, in qua fiat mentio expressa praeceptoris, a quo talem linguam addiscere debeat.

Item confirmamus ordinationem factam in penultimo capitulo Romano et in novissimo confirmatam circa conventum Friburgensem restituendum provinciae Theutoniae pro erigendo studio, et iuvenibus in piis moribus et sacris literis et doctrina instruendis sub censuris in eadem ordinatione contentis, quas etiam de verbo ad verbum innovamus.

Item confirmamus ordinationem illam circa tempus vicariatus vicariae Romanae non nisi biennio vicarios praesidere et vicariatus munere gaudere posse.

Item confirmamus ordinationem illam, quod in generali studio Perusino ad minus quatuor fratres ex alienis provinciis ad studium theologiae admittantur.

Item confirmamus et, quatenus opus foret, innovamus, quod in praecedentibus capitulis statutum fuit, ut in conventu quolibet bis in anno recitetur bulla in Coena domini coram toto conventu, et in sacristia semper maneat affixa, et unusquisque confessarius teneatur exemplar il-
5 lius apud se habere, et praelati teneantur dare operam, quatenus confessores omnes explicite intelligant, quae in praedicta bulla continentur.

Item confirmamus unionem factam in eodem praecedenti capitulo Romano congregationis Austriae cum provincia Bohemiae cum commissione super conventum fratrum et sororum, quae in praedicta ordina-
10 tione habetur, quam hic insertam esse volumus et innovamus, simulque quod officium provincialatus non nisi per triennium duret. Et hoc habet tria capitula.

Item confirmamus, quod in eisdem capitulis generalibus Romae celebratis ad piam petitionem illustrissimi et reverendissimi domini domini
15 cardinalis Alexandrini ordinatum fuit, quod scilicet festa sanctorum Clementis et Ignatii sub duplici deinceps celebrentur. Et hoc habet tria capitula.

Item confirmamus, quod alias saepe statutum fuit, ut si quis propriae vocis renunciatione medietatem eligentium excesserit in quacunque
20 electione canonica, ea irrita censeatur.

Item confirmamus ordinationem in ultimo Romano capitulo factam, ut in ecclesiis fratres nec inter se nec cum secularibus confabulantes deambulent, maxime in prospectu divinissimi sacramenti, et praelati super hoc diligentiam adhibeant; quod maxime observari debet in praesentia
25 secularium, quos a nobis discere oportet, quanta reverentia sacer locus venerandus sit.

Item confirmamus illam ordinationem, videlicet quod post completorium et post nonam vel matutinas de more nostri ordinis habeatur oratio privata secretaque et maxime mentalis, quae ad minimum per
30 quartum horae durare debeat, in quo si facile praelati dispensaverint, a provincialibus et visitoribus corripiantur.

Item confirmamus, quod etiam mandante sanctae et aeternae memoriae Pio V. ordinatum fuit, ut praelati et examinatores confessorum ordinis nostri omnem adhibeant diligentiam, ut ad hoc officium, saluti
35 animarum adeo necessarium, non admittant nisi moribus et scientia idoneos, memores divini iudicii, in quo rationem sunt reddituri de periculo animarum, quod defectu confessorum damnationem incurrerint.

Item confirmamus illam ordinationem, quod, ubi non viget studium theologiae inopia conventus et fratrum numero, lectio de casibus conscientiae D. Caietani vel huiusmodi habeatur. Dominicis autem diebus
40 et festivis per totum annum in ecclesiis nostris post vesperas populo

proponatur lectio de sacra scriptura vel de cathecismo, cui lectioni fratres maxime iuniores et laici interesse debeant.

Item confirmamus et eam ordinationem, quod nullus frater ordinis ad praedicandum verbum dei etiam in parvis oppidis admittatur, nisi sit sacerdos, et theologiam per duos annos ad minus audierit; cuius oppositum facientes penae gravioris culpae subiiciantur, praecipientes in virtute spiritus sancti omnibus praelatis, ne ullo pacto permittant huiusmodi fratres praedicare.

Item confirmamus illam ordinationem, quod in provinciis, in quibus depositas pecunias fratribus singularibus permittere est consuetum, id ea moderatione concedatur, quod necessitati tantum, non vanitati neque cupiditati prospicere videamur. Quamobrem praelatorum conscientias in diem Christi oneramus, ne vel magnam pecuniae summam vel per longum tempus retinere permittant, habita tamen ratione personarum et locorum. Revocantes, ut praesenti ordinatione revocatas esse volumus, omnes licentias fratribus nostris concessas a quocunque praelato nostri ordinis, et cuiuscunque gradus et dignitatis sint, super acceptione, retentione et consumptione pecuniarum, quae statui paupertatis sunt indecorae, et omnes ad subiectionem et obedientiam suorum praelatorum remittimus.

Item confirmamus ordinationem illam et praeceptum, quibus districte praelatis omnibus et visitoribus praecipitur, ne vel pecuniam vel praeciosa munera a fratribus vel sororibus accipiant, ab iis maxime, qui vel gratiam vel iustitiam apud ipsos praetendunt, nec etiam secularium interventu, exceptis parvis munusculis, quae charitatis obtentu inter amicos offerri solent; quod si contrarium fecerint, autoritate ordinis facultatem retinendi subtrahimus et ea, quaecunque talia fuerint, divino cultui harum serie applicamus, declarantes tales praelatos crimen proprietatis incurrisse et poenis a sacro concilio Tridentino et nostra constitutione decretis subiectos esse.

Item subsequentem confirmamus ordinationem in eodem capitulo editam, ad occurrendum videlicet ambitioni et quorundam importunitati, ne fratres nostri ad seculares confugiant, cuiuscunque ordinis aut dignitatis sint, vel ad evadendum impositas a suis praelatis poenas, aut aliquid quomodolibet ab ipsis iniunctum vel ad obtinendum quemcunque gradum vel dignitatem. Declarantes eiusmodi fratres praesenti statuto inhabiles esse ad quascunque dignitates et praelaturas ordinis, nisi per magistrum ordinis fuerint restituti. Praecipientes nihilominus praelatis, ut veluti praecepti transgressores poenis gravioris culpae eiusmodi subiiciant; onerantes etiam aliorum fratrum conscientias, ut quos huiusmodi cognoverint deliquisse, praelatis denuntient, ut tantum dedecus ab ordine penitus aboleatur.

Item confirmamus ordinationem illam, districte prohibentes, ne fratres nostri secreta conventus et fratrum secularibus revelent; praecipientes praelatis, ut absque ulla dispensatione poena a constitutionibus statuta huiusmodi ordinis destructores curent afficere.

5 Item confirmamus eam ordinationem et praecipimus omnibus praelatis ordinis nostri sub pena absolutionis ab officio, ne bona stabilia et fundos, quos vocant, alienare et aliqua pecuniae summa recepta, rationes et praetensiones extingueri neque officinas et loca conventui necessaria secularibus ulla ratione concedant, etiam praetextu cuiuscunque
10 fraternitatis, et si quid secus hactenus concessum fuerit, autoritate nostra revocamus, irritam praesenti statuto decernentes huiusmodi concessionem.

Item confirmamus illam, ne de caetero fratres nostri alicui ecclesiae vel abbatiae extra ordinem nostrum deservire audeant. His vero, qui in huiusmodi ecclesiis aut abbatiiis commorantur, praecipimus in virtute spiri-
15 ritus sancti et sanctae obedientiae et sub pena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, ut infra mensem a notitia praesentium ad proprios conventus et obedientiam suorum praelatorum revertantur; quod nullatenus intelligendum esse declaramus de his, qui de licentia magistri ordinis in aliquibus abbatiiis regulariter vivunt. Quod si renue-
20 rint, committimus reverendis provincialibus, ut etiam invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis eos ad suos conventus revocare studeant, super hoc eorum conscientias onerantes.

Item confirmamus ordinationem illam et praecipimus in virtute spiri- ritus sancti sub formali praecepto omnibus provincialibus et vicariis ge-
25 neralibus congregationum et vicariarum, ut infra quadriennium teneantur suas provincias aut vicarias vel congregationes saltem bis per seipsos visitare et singulos eorum conventus, legitimo impedimento cessante, quod iudicio discretorum patrum declarandum est. Quod si ultra biennium eorum officium non extenditur, saltem semel provinciam vel congrega-
30 tionem personaliter sub eodem praecepto visitare debeant.

Item confirmamus ordinationem illam de speciali commissione sanctissimi domini nostri felicitis recordationis Pii V. vivae vocis oraculo factam et praecipimus, ut deinceps in provincia Portugalliae electio provincialium more provinciae Hispaniae celebretur, et capitula provincialia
35 deinceps fiant post octavas Paschae secunda dominica « Deus qui errantibus », et in sabbato praecedenti electio provincialis celebretur; qui statim declarata electione auctoritatem habeat super totam provinciam sub titulo vicarii generalis, donec confirmationem accipiat, et tempus quadrienii ab electione computetur. Capitula etiam intermedia quolibet
40 biennio eadem dominica celebrari debent, contraria consuetudine non obstante.

Item confirmamus ordinationem illam in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae praecipientes provincialibus pro tempore existentibus in provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru, ne a provincia recedant sine consensu difflinitorum vel decem primorum patrum suae provinciae, quam in scriptis accipiant, sed eam concedere non possint, nisi prius rationem reddant suae administrationis; quod si contrarium fecerint, poenam absolutionis a suis officiis ipso facto incurrant.

Item confirmamus illam, ne quis admittatur vel in curia Romana vel in curia regis catholici aut aliorum principum tanquam procurator illarum provinciarum, quae sunt apud Indos, nisi authenticas litteras pertulerit suae procuracionis a capitulo provinciali vel superiori praelato provinciae subscriptas; et id officium usurpantes poenae gravioris culpae subiiciantur, et ab eis obtenta sine suae provinciae mandato irrita sint.

Item confirmamus illam in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae mandantes omnibus praelatis ordinis nostri, praesertim fratribus conventus Vialicensis, ne terminos alienae provinciae vel alteri conventui deputatos pro praedicatione vel quaestu absque licentia praelatorum, ad quos pertinent, usurpare praesumant. Quod si fratres sua sponte in praefatis alienis terminis praedicaverint aut quaestus fecerint, a praelatis loci comprehendantur et poenis gravioris culpae per unum mensem subiecti sint.

Item confirmamus eam, quod deinceps provinciales provinciae Franciae ad eius petitionem sint quadriennales; quo tempore expleto officium expirare censeatur, ad aliamque electionem dictae provinciae electores conveniant.

Item circa reformationem claustralium confirmamus et innovamus, quaecunque de claustralium vel conventualium reformatione in praecedenti capitulo fuerunt statuta; quae omnia et singula his ordinationibus pro insertis habere volumus.

Item confirmamus illam, quod praelati nostri ordinis magna circumspectione utantur in concedendis licentiis pro accessu ad monasteria monialium, praesertim ordinis nostri, iuxta ordinationem in praecedenti capitulo factam, quam hic etiam insertam volumus haberi.

Item confirmamus eam ordinationem, quod deinceps in provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru provinciales alternis vicibus assumantur filii aliarum provinciarum, declarantes, quod prima electio provincialis futura sit de filiis aliarum provinciarum sive praesentibus sive absentibus, secunda vero sit de filiis eiusdem provinciae, tertia rursus de extraneis, et sic successive alternent in futurum; quod si aliter electio fiat, ex vi praesentis statuti irrita censeatur absque magistri ordinis speciali concessione.

Item confirmamus declarationes in praecedenti capitulo factas in pri-

mis quod, cum inter antiquum ordinarium et novas rubricas breviario-
rum diversitas fuerit, ordinario antiquo est referendum, nisi nova rubrica
authoritate generalis capituli robur acceperit, sicut etiam in aliis capi-
tulis fuit expressum. Quapropter non obstante nova rubrica, si quod fe-
5 stum in die vel infra octavas corporis Christi evenerit, post octavas di-
ctae solemnitatis transferendum est.

Item confirmamus, quod si quando festum beatae Catherinae Se-
nensis intra paschale tempus iuxta privilegium et ordinationem in nostro
calendario expressam non potuerit celebrari, transferatur in dominicam
10 primam post octavas corporis Christi, nisi festum impederit. Tunc vero,
vel in alia dominica sequenti antiphonae, responsoria, lectiones et cae-
tera, quae desunt, e communi virginum assumantur.

Item confirmamus, quod si festum coronae domini aliquando cele-
brari non poterit iuxta praescriptam diem in calendario quae est septima
15 maii propter incidentem octavam diem Ascensionis, reducendam esse so-
lemnitatem ad quartam diem dicti mensis iuxta declarationem autori-
tate illustrissimi domini cardinalis Iustiniani nostri quondam generalis
tempore quo gerebat officium expressam et typis nunc demum excussam
in calendario, quod his diebus iussu eius Romae impressum est et quod
20 ab omnibus recipi et observari denuo praecipimus.

Item quod festum beati Dominici patris nostri quinta die Augusti
est celebrandum. Quod si alicubi receptum est, ut quarta die celebrent
pro more patriae, sua illis consuetudo integra servetur; fuit enim dies
quarta eius canonizatione sicut quinta eius felici transitu consecrata.

25 Item quod festum exaltationis sanctae Crucis et Luciae sub toto du-
plici celebretur; et quae secus habent breviaria, corrigantur; inveniuntur
enim tria capitula generalia habuisse, quibus consonat calendarium ordinis.

Item quod memoria beatae Virginis facienda est in octava Epipha-
niae in matutinis et missa tantum, non autem in secundis vesperis pro-
30 pter festum divi Hilarii, quod sub duplici celebratur.

Item confirmamus, quod fratres nostri, qui sunt in vicariis aut in
conventibus monialium, censeantur assignati in conventibus, quorum sunt
filii, quantum ad suffragia ut invicem sibi teneantur. Et idem censen-
dum est de fratribus, qui de licentia praelatorum cum episcopis vel alibi
35 extra ordinem commorantur.

Item confirmamus, quod saepius contra appellantes statutum est, et
omnes tam per sacras nostras constitutiones quam per acta capitulorum
generalium poenas et aeternas maledictiones inflictas innovamus, et eas-
dem statim absque aliqua declaratione incurrere significamus, quicumque
40 ad tribunal seculare appellaverit vel confugerit, et eas omnes et singulas
iam incidisse, quicumque ab olim lata lege appellati sunt.

Item confirmamus, quod praecedenti capitulo decretum fuit, videlicet quod provincia Occitana aliquem deinceps conventum non accipiat sive a provincia Tholosana sive a provincia Provinciae, sed sit contenta conventibus, quos habet, et quibus est constituta.

Item confirmamus, quod alias statutum fuit, quod nullo modo liceat alicui, reverendissimo magistro ordinis excepto, aliquem conversum tertiarium seu oblatum ad labores receptos ad statum et habitum clericorum assumere aut transferre, irritum et nullum esse decernentes, quicquid secus factum fuerit.

Item confirmamus et approbamus, quod reverendissimus magister ordinis in conventu Boscensi in animi gratitudinem et perpetuum debiti monumentum instituit erga sanctae et aeternae memoriae Pium V, nempe ut quolibet sero post completorium psalmus « De profundis » cum collecta « Deus qui inter apostolicos » a toto conventu dicatur, qualibet hebdomada officium mortuorum, et cuiuslibet mensis prima sexta feria solemne sacrum pro eo decantetur.

Item confirmamus et approbamus ea, quae per eundem reverendissimum magistrum ordinis in visitatione habita Galliarum et Germaniae inferioris tam in conventu et studio Parisino, quam conventu et studio Lovaniensi pro regularis disciplinae et studiorum reparatione constituit, et praecipue alternativam magistri studii et baccalaureorum in studio Lovaniensi, quod semel de eomet conventu, semel de aliis assumantur, et baccalaurei ibi assignati patres sint a consiliis. Confirmantes similiter et approbantes sententiam et restitutionem per eum latam et factam patrum Lovaniensium, qui in capitulo Harlemensi pro conspiratoribus adiudicati et puniti fuere, sicuti per patres iudices capituli generalis fuit adiudicatum.

De novitiis.

Novitiorum curam adeo necessariam et ad ordinem instaurandum unicum medium toties inculcatam iterum repetere et omnino omnium animos et praelatorum maxime ad eam prae caeteris habendam excitare volentes, quae praecedentibus capitulis statuta sunt, confirmantes et approbantes statuimus, ut ad novitiorum curam seligantur patres in capitulis a reverendis provincialibus, et patres tanto muneri apti, religione et pietate celebres, qui in cantu et cerimonia ecclesiasticis et religionis sint instructi, maturi et graves bonique nominis, et qui devotionis prae se ferant gustum, quos patres a consilio esse et in debito honore haberi volumus.

Ad habitum vero recipi iuniores non inscios et ineptos, sed bonae indolis, et qui grammaticam sciant, et non nisi in maioribus conventibus, in quibus religio viget, volumus et iubemus; et ubi sunt novitio-

rum domus et novitiatus reclusi, et ad hoc deputati et ab aliis conventus officinis semoti. Novitii vero numero non sint minus quam sex, et primum quidem in orationis modo et exercitio instruuntur, in cantu aliisque ordinis piis institutis, frequenter confiteri et communicari iuxta praescriptum mandentur, et utrunque digne perficere debeant, edoceantur. Non de facili amoveantur, non solos ire permittantur, sed patribus gravibus adsociantur, semper sub cura magistri usque ad sacerdotium de caetero iam recepti et deinceps recipiendi permaneant et permittantur, nec possint ab ea subtrahi quavis ratione nec cuiusvis auctoritate sub poena
10 absolutionis ab officiis praelatis quibuscunque id agentibus vel permittentibus, quod in universo nostro ordine, nulla provincia excepta, intelligi volumus et iubemus.

De studiorum promotione.

Confirmamus imprimis ordinationem in praecedentibus capitulis factam circa regimen studiorum et lectorum aliorumque officialium praecedentiam, quam hic pro inserta habentes, quatenus opus est, innovamus, videlicet ut regens semper habeatur caput studii et ad eum pertineat ordinare, quicquid ad illud attinet; et hoc habet tria capitula.

Item confirmamus, quod lectores ordinis nostri in quibuscunque provinciis, congregationibus aut vicariis locum suae professioni debitum ubique teneant, nisi alias pro ratione gradus alius debeat, neque super antiquiores locum occupare permittantur, contraria consuetudine non obstante; et idem dicimus et statuimus de magistris studii. Baccalaurei vero et magistri simul promoti et in eadem promotione ad gradus scholasticos admissi locum inter sese habebunt et tenebunt suae professionis, et non aliter.

Item confirmamus, ut iuvenes ad studia mittendi non praeferantur iure antiquitatis, sed eligantur potius a priore provinciali vel conventuali de consilio patrum et illi prae caeteris assumantur, qui probatis moribus et qui praevio examine magis idonei fuerint inventi.

Item quod in quolibet conventu, in quo viget studium generale, omnes magistri, etiam actu non legentes, vocem habeant in admissione vel studentium formalium vel quorumcunque aliorum fratrum, qui ad studia mittuntur, et simile suffragium habere volumus in emissione studentium, cum ad proprios conventus reverti oportuerit, si tamen interfuerint eorum examini et disputationi.

Item tempus lectionibus assignetur singulis annis decem mensium ad minimum, nec studentes nec lectores ad praedicationem mittantur, sed lectionibus intendant, nisi aliter de speciali provincialium licentia fieri expedierit.

Item regens, baccalaurei, magistri studentium aliique lectores non

iure antiquitatis assumantur nec ad determinatum tempus assignentur, sed a reverendis provincialibus cum diffinitoribus constituantur, qui magis idonei fuerint ad discipulos instituendos. Qui vero in hoc munere docendi fuerint egregii, etiam causa praelaturae a studio non revocentur.

Item tempus triennii dialecticae, philosophiae et methaphysicae deputetur, sacrae vero theologiae quadriennii, nisi aliter reverendo provinciali de consilio magistrorum et officialium studii visum fuerit; quo tempore ita distinguantur lectiones, ut altera sit speculativa ex prima parte vel prima secundae divi Thomae vel etiam de incarnatione, altera vero moralis de secunda secundae vel quarto sententiarum; in disputationibus etiam alternis vicibus de utraque materia proponantur conclusiones; in quotidianis quoque exercitiis de altera lectione habeatur conclusio, de altera praesente lectore collatio, ut utriusque rationem habeant studentes.

Item confirmamus, quod omnes studentes et studii officiales non nisi latino sermone loquantur et scribant, etiam extra literaria exercitia, et literas, quas conscribere eos contigerit non vulgari sermone, sed latino deinceps conscribant sub poena privationis cursus scholastici. Non deinceps aliquis admittatur ad legendum sacram theologiam, nisi prius artes toto integro cursu, non per saltum vel per interpolationem, sed gradatim a dialectica incipiendo persolverit.

Item ordinando confirmamus et confirmando praecipimus, quod qui functi fuerint magisterio studii, statim lectores sint in aliquo conventu ad legendum usque ad tempus sui baccalaureatus, et similiter biblici a suo bublicatu teneantur legere per biennium, alioquin non admittantur ad lecturam sententiarum et munus baccalaureatus.

Item ordinamus ad petitionem provinciae Mexicanae, ut in ea provincia non nisi quatuor magistri in sacra theologia esse possint et sex praesentati, ultra quem numerum provinciales nec diffinitores possint aliquem promovere, nec intra ipsum numerum provincialis extra capitulum etiam de consilio patrum valeat aliquem exponere, nisi dumtaxat in casu regendi aliquam cathedram; irritum decernentes, si secus factum fuerit.

Item ordinamus, quod deinceps nulli assumantur ad magisterium studii, baccalaureatum vel regentiam nisi idonei, non antiquitatis vel professionis ratione pensata, sed longo usu docendi et legendi periti, et magistri quidem studii per sex annos saltim theologiam legerint, baccalaureus per decem et regens per duodecim actusque publicos disputationum solemnes ad minus quinquies habuerint, super quo provincialium et diffinitorum conscientias in diem Christi aggravamus; nec permittant studentes et lectores discedere a doctrina scholastica, vel illam quovis pacto negligere, nec permittant studiosos et litteris vacantes in aliis occupari, unde a studio distraherentur.

Item ordinamus, quod in studio Neapolitano non possint esse studentes formales de provincia ultra numerum denarium; irritum decernentes, quicquid secus factum fuerit. Et quod in conventu eodem sancti Dominici et sancti Petri Martyris sint tantum lectores ordinarii duo, et unus tantum extraordinarius, reliqui vero lectores in uno atque altero conventu non legentes patrum privilegio et dispensationibus non gaudeant nec a sequela chori liberi sint. Et quod lectores, qui nunquam lectoris officio functi sunt, ad promotiones graduum sint inhabiles, et nisi saltem per quadriennium continuum legerint, nec magistri studii effici possint nec ad baccalaureatum admitti, nisi postquam quadriennalem lectionem a magisterio studii peregerint; irritam decernentes quamlibet aliam promotionem aliter factam.

Item ordinamus et praecipimus, ut in quolibet conventu, in quo viget studium generale, omni feria quarta vacante debeant fratres tam in choro publice quam extra privatim recitare officium de nostro angelico doctore divo Thoma de Aquino aut memoriam de eodem, sicut per omnia recitatur, vel sit memoria de beato patre Dominico in tertia feria.

Declarationes.

Declaramus, quod quando contigerit festum Ascensionis domini in 1. die maii, festum apostolorum Philippi et Iacobi anticipetur in feria IV. immediate praecedente, quod primas tantum vesperas integras habeat cum memoria s. Petri Martyris, secundae vero vesperae erunt de Ascensione domini cum memoria apostolorum, atque etiam duae missae dicantur, videlicet et vigiliae et apostolorum, et eo in casu illo anno praetermittatur homelia dominica infra octavas Ascensionis, sicut cum accidit festum sancti Silvestri in dominica evenire, tunc enim die illa dimittetur homilia dominicalis infra octavas Nativitatis, et nihilominus fiat memoria de dominica.

Item declaramus et ordinamus, quod infra octavas simplices illis diebus, quibus fit officium de octava, missae etiam de octava cantentur.

Item declaramus, quod quando celebrandum est sacrum de anniversario ordinis aut propter matutinale officium defunctorum vel propter aliud impedimentum, si illo die festum trium lectionum celebratur, de festo dicatur saltem missa conventualis sine cantu.

Item in diebus, quibus celebrandum est ordinis anniversarium, observetur ordinarium, ut eo scilicet die fiat officium de feria et fiat processio per claustrum pro defunctis semel in hebdomada, cui omnes intersint.

Item in feriis quintis in missa addatur quarta oratio iuxta ordinarium « Omnipotens sempiternus Deus, qui facis mirabilia magna solus » etc., propterea quod recens contingit nunc his feriis quintis celebrari de divinissimo altaris sacramento.

Item declaramus, quod quando agendum est officium feriis tertiis de beato patre Dominico in vesperis sacratissimae Virginis dominae nostrae et in matutinali officio praetermittatur memoria de ipso beato patre Dominico.

Item dum decantatur « Gloria in excelsis Deo », dum dicitur « Gra- 5
tias agimus tibi propter magnam » etc., inclinent fratres usque ad genua, quod etiam faciant, quando dicitur « Ave maris stella », ne minus devoti videamur quam seculares.

Item servetur mos, ut collationis tempore non dicatur « Iube domine benedicere », sed in ecclesia tantum ante completorium. 10

Item declaramus et praecipimus observari constitutionem, qua praecipitur, ut iidem examinatores, qui examinant recipiendum ad habitum, examinent etiam ante duos menses eundem, qui professurus est.

Item declaramus, quod prior conventualis locum teneat ubique sive intra suam provinciam sive extra secundum antiquitatem conventus, cui 15
praestet.

Item declaramus, quod suppriori non habent locum extra conventus, quibus praesunt, neque etiam super baccalaureos subditos suos, quos solent praecedere in suo conventu, si contingat suppriorem et baccalareum eiusdem conventus ad alium conventum simul declinare. 20

Item declaramus priorem conventualem non posse instituere suppriorem sine consilio discretorum, secus autem est de priore provinciali, qui sine discretorum consilio id potest. Prior etiam conventualis potest absolvere suppriorem institutum a priore provinciali.

Item declaramus, quod novitius receptus ad habitum in uno con- 25
ventu, si transmittatur ad alium conventum, si profitetur, erit filius illius conventus, in quo suscepit habitum, etiam si faciat professionem non requisito illo conventu, in quo suscepit habitum.

Item declaramus, quod quando ait constitutio, quod post quatuor annos a professione fratres sunt admittendi ad electionem, est intelligendum de tacita aut expressa professione. 30

Item declaramus, quod vicarii locorum in domibus suis de caetero subditos suos praecedant habeantque superiorem locum praeterquam super magistros. Quod si accidat priorem conventualem advenire ad suam domum, priores praecedant huiusmodi vicarios dicantque « Fidelium » 35
etiam praesente vicario.

Item declaramus et declarando omnino praecipimus, ut in distributione bonorum fratris defuncti servetur constitutio, videlicet si contingat aliquem non simpliciter, sed ad tempus propter studium tantum vel officium assignatum mori, ex vi constitutionum in capitulo 14. dist. 2. 40
bona illius fratris demortui sint totaliter illius conventus, cuius est filius,

uti frequenter contingit de fratribus, qui de suo conventu originali vel de alio, ubi sunt simpliciter assignati, ad prioratum assumuntur.

Ordinationes.

Ordinamus, quod in omni electione canonica cuiuscunque prioris
5 tam conventualis quam provincialis et priorissae teneantur omnes vocales praemissa sacramentali confessione divinissimum sacramentum Eucharistiae suscipere ante eiusdem electionis celebrationem sub poena privationis vocis.

Item ordinamus et praecipimus omnibus patribus sacerdotibus, cuiuscunque
10 iuscuque gradus et conditionis sint, si contingit eos impediri a faciendo sacro, teneantur omnino audire et devote interesse.

Item si qui sunt sacerdotes, qui vel senio vel alio quocunque perpetuo vel ordinario impedimento detenti celebrare non possunt, teneantur saltem in omni communionem generali sacram sumere Eucharistiam praemissa
15 sacramentali confessione. Communionem vero generalem haberi volumus omni die dominico Adventus et Quadragesimae, caetero vero tempore de quindena in quindenam.

Item in sacro celebrando etiam non solemni vel maiori debeat accendi cereus in consecratione et elevatione divinissimi sacramenti, et aliquot
20 ictibus campanulae moneatur populus.

Item quod antiphona « Salve Regina », quae cum ordine ortum habuit, in honorem Deiparae Virginis dominae nostrae in ecclesia maiori devota processione ubique decantetur et hora populis opportuna; idque diebus festis nulla ratione praetermittatur.

Item quod in omni prioratu devote in dormitorio matutinae, laudes sanctissimae Virginis recitentur, caeterae vero horae canonicae eiusdem in choro de more, et ubique tam in prioratibus quam vicariatibus omni-
25 que domo ordinis altaria in dormitoriis erigantur in honorem eiusdem pientissimae advocatae et dominae nostrae, et hoc sub poena absolutionis et inhabilitationis ad praelaturam.

Item quod feria quinta in coena Domini de nocte, cum adservatur sanctissimum Christi corpus, semper fratres adsint per vigiliis distincti, et ea quam expetunt tempus et locus devotione, psalterium continuo recitent et persolvant.

Item ordinamus, quemadmodum saepe ordinatum fuit, quod Credo a toto choro cantetur alternatim, neque tunc pulsantur organa, et versus psalmi vel hymni, qui pulsatur in organo, recitetur alta voce ab uno ex
35 novitiis vel cantore, et hymni, cantica et Te deum semper a cantoribus cantando incipiantur, et statim organum prosequatur.

Item ordinamus et districte praecipimus, ne quis fratrum electorum in quavis electione per schedulas audeat vel praesumat ipsis schedulis
40

notam aliquam, characterem vel signum quodvis et quovismodo et cuiusvis rationis, unde possit nomen vel persona eligentis cognosci, et ad notitiam venire, imprimere, inscribere vel alias annectere; privatos ex nunc declarantes utraque voce tam inducentes ad hoc quam facientes seu consentientes.

Item ordinamus ad petitionem omnium fere provinciarum, in quibus multitudo magistrorum existit, quod nullus deinceps promoveatur ad magisterium, quousque redigantur ad numerum duodenarium, quem nunquam excedere possint, et alias promoti pro non promotis habeantur.

Item ordinamus et praecipimus omnibus prioribus conventualibus sub poena absolutionis, ut in lectione mensae inserere faciant lectionem capituli unius de constitutionibus nostris cum declarationibus et subsequenter recentium capitulorum generalium actis seu ordinationibus.

Item ordinamus, quod praedicatores, qui per decennium integra Quadragesima munus praedicationis gratiose exercuerint, sint et habeantur patres a consilio, ubicunque fuerint assignati, quos praesenti decreto nos instituimus cum gratiis et privilegiis consuetis.

Item ordinamus ad petitionem provinciae Mexicanae, quod electiones prioris et provincialis et trium conventuum scilicet Mexicani, Antequerensis et civitatis Angelorum alternis vicibus in posterum celebrentur, id est primo de naturalibus filiis provinciae, deinde de exteris et sic successive, irritum decernentes, quicquid secus factum fuerit.

Item ordinamus et eidem provinciae concedimus, quod diffinitores capituli provincialis, si post legitimum examen illis constiterit provinciam suam graviter deliquisse, etiam non incorrigibilem valeant et debeant illum ab officio suspendere, quousque consultus fuerit reverendissimus magister ordinis et dederit responsum.

Item ordinamus ad petitionem provinciae sancti Antonini de Novo regno, quod deinceps electi canonice in priores provinciales statim sint et habeantur tanquam vicarii generales provinciae in capite, removentes et cassantes praesenti decreto quemcunque alium vicarium; qui, ut supra electus, provinciam regat et sui provincialatus tempus currere incipiat a die electionis, cui electioni semper praesit tanquam vicarius electionis provincialis praecedens.

Item provinciis Tholosanae, provinciae Provinciae et Occitanae petentibus concedimus quadriennium provincialatus, quod a die uniuscuiusque canonice electi computari debet; qui similiter electus ab ipsamet electione intelligatur et habeatur vicarius provinciae in capite, sublato quocunque alio vicario.

Item ordinamus sub poena absolutionis ab officiis praelatis reliquisque fratribus privationis utriusque vocis, ne de caetero audeant reprae-

sentare per iocum episcopi personam, uti consuevit fieri in festo Innocentium, et festa divi Vincentii et similia omnia praecipue quoad electiones et institutiones priorum similium festorum, et temporalia omnia prorsus inhibemus et tollimus sub poena absolutionis et inhabilitationis
5 ab officio prioratus ipsis prioribus conventualibus seu praesidentibus, reliquis vero sub poenis gravioris culpae tam positivis quam privativis, in quibus provinciales nulla ratione possint dispensare.

Item ordinamus, quod priores non possint ad sacros ordines mittere iuvenes, nisi cantum, qui de more ordinis in officio ecclesiastico
10 divinoque cultu usu venit, sufficienter calluerint.

Item ordinamus, quod, qui revelaverint secreta consilii, unde praedictum aliquod vel iustitiae aut correctioni sive etiam personae cui-
cunque aut quomodocunque inferatur, sint praesenti statuto in perpetuum privati paternitate nec admitti possint nisi per capitulum generale
15 vel reverendissimum magistrum ordinis.

Item ordinamus, quod processus et scripturae delictorum fratrum non comburantur, praesertim dum agunt in humanis, nec ulla ratione remaneant apud privatos fratres sub poenis gravioris culpae tam positivis quam privativis, sed apud provinciales successive tuto servantur.

Item ordinamus, quod patres provinciales in confirmandis prioribus conventualibus sententias et vota patrum discretorum, quos ad consilium
20 capiendum vocaverint, per suffragia secreta seu fabas suscipiant, quo liberius possint suam ferre sententiam.

Denuntiationes.

Denuntiamus, sanctissimum dominum papam Gregorium XIII in memoriam et gratiarum actionem admirabilis illius victoriae habitae contra
25 Turcas eodem die obtentae scilicet prima dominica mensis octobris festum Rosarii de sanctissima Virgine dominae nostrae sub toto duplici ad instar aliarum festivitatum eiusdem ad preces nostras instituisse et
30 ubique in ecclesiis, ubi haec sancta adest societas, demandasse. Officio vero Nativitatis uti iubemus, mutato nomine Nativitatis in solemnitate.

Item denuntiamus, eundem sanctissimum dominum papam nobis per literas apostolicas demandasse, ut in omnibus conventibus regni Hispaniarum debeant ad minus tredecim fratres clerici vel de chori officio,
35 ut vocant, commorari. Quod observari strictissime, ut par est, iubemus, sub poena absolutionis et inhabilitationis ad praelaturam.

Item denuntiamus, sanctissimum Pium V. aeternae memoriae ad preces nostras, dum in humanis ageret, concessisse omnibus nostri ordinis fratribus et sororibus officium beatae Virginis, quando non tenentur,
40 devote recensentibus pro qualibet vice centum dies indulgentiae,

quingenta dicentibus vigiliis mortuorum et totidem pro psalmis poenitentialibus et totidem pro psalmis gradualibus.

Admonitiones.

Admonemus et in diem Christi hortamur omnes reverendos patres provinciales, ut in sibi deligendis sociis non humano affectu ducti, sed publicam et dignitatem et utilitatem suarum provinciarum intuentes, socios eligant et religione et prudentia et eruditione praestantes, boni nominis et exempli amabilesve, qui sibi et consilio et zelo adesse et prodesse sciant et possint.

Item eosdem non minus graviter admonemus, ne faciles sint et precipites in eiciendis ab ordine religiosi et exuendis habitu, sed constitutio et iuris ordo servetur, et quod sibi velit ab ordine hominem expellere exactius considerent, memores, quid moneat super hoc divus pater Augustinus in regula.

Item admonemus et obtestamur, ne diutius in conventibus moram trahant, dum visitant, cum gravis iactura conventibus quandoque sequatur ob eorum praesentiam et fratrum ad eos advenientium multitudinem, sed quam citius fieri poterit, et diligenter et celeriter se expediant et ad alios conventus declinent. Inter visitandum autem non contenti sint audire tantum, sed investigent de statu conventus, priorum regimine et officialium administratione et curent post se relinquere evidentem suae visitationis fructum, nec ulla ratione nisi gravissima et consulto magistro ordinis eiusque accepto responso praetermittant capitula intermedia, cum hinc innumera contingant incommoda et provinciae perturbationes, et nullum celebretur scrutinium super eorum retentione neque ratiocinia sua reddantur neque legitimo tempore electio diffinitoris capituli generalis haberi possit, prout sacrae nostrae decernunt constitutiones.

Item admonemus priores tam provinciales quam conventuales, ut cum alicui fratri maxime iuniori licentiam dederint extra civitatem eundi, non solos eos abire permittant, sed semper cum aliquo bono religioso adsocient.

Item admonemus et in Christi visceribus adhortamur omnes patres magistros, priores, praedicatores in provinciis Franciae, Tholosae, Occitanae, Provinciae et Germaniae inferioris et in reformata congregatione Gallicana agentes et alibi, ubi misera haeresum pestis grassatur, ut animadvertant, quam grandis sibi sit tributa occasio aeternae gloriae coronam comparandi, veros et non degeneres Dei et divi patris Dominici filios se manifestent et canes Christi ovilis vigiles et fidos, non mutos, non valentes latrare, et inculpatae vitae exemplo et continua atque constanti verbi Dei praedicatione infidos convertere, imbecilles confirmare toto

animo studeant et sanguinem fundere minime pro eo dubitent, qui pro eisdem totum iam prius copiosissime fudit, sicuti magna animi laetitia eos fecisse accepimus.

Item admonemus et adhortamur venerabiles sanctimoniales regii monasterii Pithsiacensis et alias Attrebatensis, Insulensis, Burgelensis, Bruxelensis et Valenzenensis, ut et firma constantia, qua hactenus in fide et religione perseverasse accepimus, usque ad mortem perseverent et quousque a sponso suo ad nuptias fuerint evocatae, ut de numero prudentium virginum inveniantur, quas omnes summopere commendamus suis reverendis provincialibus.

Item admonemus reverendos provinciales Indiarum, ut cordate et religiose se gerant in cura subditorum habenda, quo suo studio religiosi in sua vocatione in dies proficiant exemplaesque se reddant, recolentes se ipsos tanquam luminaria et sal terrae et virtutum omnium exemplaria eo fuisse destinatos; et si qui sunt minus exemplaes vel certe scandalosi, contendant eos corripere, nec impunita permittant delicta vel peccata, praesertim quae scandalum pariunt in oculis et opinione secularium, pro quorum salute tanquam operarii patrisfamilias illas in partes transmissi fuerunt.

Item admonemus reverendum patrem provincialem Portugalliae, ut diligens et sollicitus sit, quatenus in Indiis potentissimo regi suo Portugalliae subiectis per ministerium religionis et fratrum et divinus cultus, sancta praedicatio, studium theologicum, vita regularis in salutem populorum magis floreat, et quo facilius religiosos pietate et zelo Dei ductos ad haec similia idoneos pro illis partibus reperiat, non difficilem se reddat petentibus veniam vel licentiam redeundi, postquam ibi domino famulati fuerint per quinquennium.

Item admonemus rev. patrem vicarium generalem reliquosque patres vitae regularis in congregatione Apprutina reparatores et promotores, uti summo studio huc usque nedum inchoatam, sed a multis annis continuatam feliciter reformationem ad maiora deducant incrementa religionis, et praecipue idoneos et aptos adolescentes iuxta praescriptum in hoc nostro capitulo generali modum ad habitum recipiant, ex quibus tanquam ex plantario possit ubique, illis plantantibus et rigantibus deoque pro sua clementia incrementum praestante, religionis status restitui, quorum interim pietatem et sanctum zelum plurimi facimus et in domino commendamus.

Item admonemus, obsecramus et obtestamur omnes priores tam provinciales quam conventuales, ut in suis provinciis et conventibus et praedicatores in suis concionibus sanctissimi Rosarii confraternitatem, quae nostra sacra haereditas est, a sanctissimo nostro ordinis auctore et patre

divo Dominico in Deiparae Virginis dominae nostrae gloriam et fidelium salutem institutam toto animo omnique pio studio promovere studeant, ut misera hac nostra tempestate haeresum nebulae medio hoc ad id instituto dissolvantur, et populi ad pietatem inducantur. Idem dicimus de altera nominis Dei societate contra blasphemias et periuria instituta, ut sic Dei deique genitricis cultus et reverentia nostro ministerio adaugeantur et haereditas nostra non vertatur ad alienos. 5

Commissiones.

Committimus reverendissimo ordinis magistro dispositionem, ut sibi rectius visum fuerit, de loco Franchevillae vel uniendo provinciae utriusque Lombardiae vel vicariae s. Petri Martyris relinquendo. 10

Item committimus et mandamus reverendis provincialibus, ut, si quae repererint loca vel vicariatus, in quibus religio minus apte foveri possit, quin potius otii et dissipationis religionis sint fomenta et occasiones scandali, ea meliori quo poterunt modo, consultis gravioribus patribus resignare et relinquere omnino debeant, cum ex hiis malum et nostrae religionis detrimentum sequatur. 15

Item committimus et sub praecepto formali mandamus eisdem reverendis patribus provincialibus, ne delinquentes fratres et discolos in parvis et a corpore provinciae abiunctis conventibus assignent, ubi non corripere, sed prolabi in peius possunt, sed in potioribus assignent, ubi et aliorum exemplo proficere et, si deliquerint, puniri et emendari possint. 20

Item committimus et districte mandamus reverendo provinciali provinciae Aragoniae pro tempore existenti, ne ulla ratione audeat aliquid innovare vel numerum collegiatorum adaugere in conventu et collegio Oriolae, ne incepta fabrica impediatur aut retardetur, piissima fundatoris mens defraudetur et illustrissimi ac reverendissimi domini cardinalis Alexandrini eiusdem protectoris dispositio immutetur. 25

Item committimus et districte sub praecepto formali mandamus reverendo provinciali provinciae Occitanae, ut nulla ratione recuset, sed omni charitate recipiat et admittat in suis conventibus et studiis et praecipue in studio Tholosano educandos et instruendos iuniores ex provinciis Tholosae et Provinciae advenientes. Ut autem conventus Tholosanus possit externos et suae provinciae fratres ad studium advenientes recipere, nonnisi duodecim novitios, ad studia tamen aptos, ibi assignatos esse et receptos commorari mandamus. 30 35

Concessioniones.

Concedimus provinciae Hispaniae, ut valeat publice et solemniter necnon et privatim uti officio edito per bonae memoriae magistrum ordinis patrem Vincentium Bandellum, prout antea uti consueverunt de visitatione beatissimae Virginis dominae nostrae. 40

Item concedimus, ut in provincia Aragoniae festum sanctissimi Rosarii in mense maii pro sui devotione celebrari possit, ita tamen ut minime festum de mense octobris per dominum papam institutum praetermittatur.

5 Item concedimus venerabilibus sanctimonialibus monasterii nostri montis Sion Barcinonensis, ut de festo sanctissimae Praesentationis beatissimae Virginis, quod est praecipuum illius ecclesiae, possint celebrare solemnes octavas tam publice quam privatim; et similiter quod festum
10 beatæ Apolloniae, cuius sacras habent reliquias, sub festo duplici celebrare valeant necnon, sicuti antiquitus facere consueverunt, possint officium pietatis dominae nostrae sub toto duplici.

Item concedimus patribus et filiis conventus Carcasonensis, olim illustris, modo diruti et solo aequati, ut possint situm in eadem civitate pro alio aedificando et circumiacentes domos emere et aliqua bona minus
15 utilia conventui ad hoc vendere, ita tamen ut omnes pecuniae in conventus structura implicentur et non aliter.

Item concedimus fr. Christophoro de sancto Petro conventus Burgensis provinciae Hispaniae, ut locum ubique teneat secundum antiquitatem et annos, quos habet a sua professione.

20 Item concedimus fr. Francisco de Arganda ex ordine divi Hieronymi ad nostrum devenuto decem annos antiquitatis.

Acceptationes.

In provincia utriusque Lombardiae in prioratum erigimus locum sanctae Mariae Gratiarum de Padua, cum fratres ad praescriptum numerum alere possit, dantes facultatem reverendo provinciali, ut pro hac
25 prima vice nostra auctoritate provideat de priore digno et suo iudicio apto.

Item in provincia Regni acceptamus conventum Neapoli sub titulo sanctissimae Virginis dominae nostrae de Rosario constructum pia liberalitate magnifici domini Michaelis de Lauro, in eodem assignantes ad
30 ipsius domini petitionem et provinciae assensum tanquam loci procuratores et frabricae superintendentes fr. Antoninum Camerota (1) magistrum et eius nepotem fr. Thomam, mandantes reverendo provinciali, ut in hoc conventu tanquam nascente patres probitate et religione praestantes assignet, patribus in eo commorantibus, ut iura et conventiones
35 initas cum hoc domino observent, et in eius obitu sibi solemnia tum privata suffragia persolvant, quae in obitu reverendi provincialis tenentur. In eadem provincia in prioratus erigimus loca Annunciatae civitatis Avellini et terrae Olybani, si habuerint reditus sufficientes, et reverendus provincialis de consilio patrum providebit de priore idoneo.

(1) De fr. Antonino de Camerota cf. supra pag. 75.

Item in provincia Aragoniae in prioratus erigimus vicariatus et loca montis Albani, de Ayora et Vicensem, si tamen habuerint requisita necessario. Acceptamus etiam conventum sancti Francisci civitatis Dertusae, quem illustrissimus ac reverendissimus dominus episcopus Martinus de Corduba et Mendoza, autoritate apostolica eidem ordini nostro contulit 5 et donavit, una cum argento et vestimentis, quae in sacristia erant, quem nimirum conventum in gratiam illustrissimi episcopi, reverendi capituli et magnificae civitatis erigimus in prioratum, et reverendus provincialis pro prima vice provideat de prioribus aptis.

In provincia Trinacriae acceptamus loca Asari et montis Mellis, et 10 in prioratus erigimus loca Bisbonae, Castriennae, Refadalis et Ucriae, si habent necessaria ut supra; et reverendus provincialis de consilio patrum provideat de prioribus.

In provincia sancti Thomae in prioratus erigimus locum sanctae Mariae de Annuntiatione de Licio et in priorem damus fr. Antoninum 15 de Neritono cum solita auctoritate, praecepto et subiectione ad suum provincialem; locum sanctae Mariae veteris de Quarata, et in priorem damus fr. Antonium de Rutiliano primum, et locum sanctae Mariae de Matino et damus in priorem fr. Albertum de Gallipoli modo praescripto, si tamen habent requisita necessaria pro erectione prioratum. 20

Confirmationes.

Confirmamus in priorem provincialem nostrae provinciae Aragoniae cum solita auctoritate et praecepto reverendum patrem magistrum fr. Michaelem Pinedo (1) canonice electum.

Item confirmamus in priorem provincialem nostrae provinciae Pro- 25 vinciae cum solita auctoritate et praecepto reverendum patrem fr. Iacobum de sancto Valerio (2).

Item confirmamus in priorem provincialem nostrae provinciae Oc- citanae cum solita auctoritate et praecepto reverendum patrem magistrum fr. Florum Provincium (3), inquisitorem Avinionensem. 30

Item confirmamus legitime factam expulsionem ab ordine fr. Thomae de Gallipoli in provincia sancti Thomae.

Confirmamus similiter expulsionem ab ordine iuridice factam fr. Francisci Baldoni conventus Aquensis.

Restitutiones.

Restituimus in pristinam libertatem provinciam Aragoniae, ipsa pe- 35 tente, circa electionem provincialis, revocantes ordinationem alias super

(1) De fr. Michaele Pinedo cf. supra pag. 153.

(2) De fr. Iacobo de s. Valerio cf. l. c. pag. 146.

(3) De fr. Floro Provincio cf. l. c. pag. 40.

hoc factam, ut de caetero ex qua natione voluerit, provincialem eligere possit.

Restituimus et revocamus a conventu nostro Lovaniensi et in eorum propriis conventibus assignamus reverendos patres magistros fr. Petrum Bacherium (1), fr. Balthassarem Textoris (2) et fr. Petrum Aymereich, et eo se conferre non different vel recusabunt.

Restituimus et revocamus affiliationem patris fr. Seraphini de Martinengo (3) a conventu Brixiensi primo ad conventum suum originalem Bergomensem.

10 Translationes.

In provincia Tholosana transferimus affiliationem fr. Bertrandi Arapsu (4) magistri a suo conventu originali ad conventum Burdegalensem, et fr. Dionisium Gardesii ad conventum Ruthenensem.

15 In provincia utriusque Lombardiae confirmamus translationem affiliationis fr. Onofrii de Corrigha ad conventum Cremonensem et fr. Antonium de Cesena praedicatorem transferimus ad conventum Cesenatensem.

20 In provincia Aragoniae transferimus a conventu Pampilonensi fr. Iohannem de Caparroso ad conventum sanctae Crucis de Lombay, fr. Franciscum Monino ad collegium Oriolae, fr. Bartholomaeum Micho ad conventum Sedis Urgell, et fr. Michaellem Oys ad conventum s. Mariae de Linas de Benavarra.

In provincia sancti Thomae confirmamus translationem et acceptationem in hanc provinciam fr. Iohannis de Laniello.

25 In provincia Occitana confirmamus affiliationem fr. Blasii Fraysineti (5) magistri a conventu montis Albani ad conventum Carpentoratensem, fr. Antonii de Montibus (6) a conventu Castrensi ad conventum Avinionensem, fr. Antonii Neulati a conventu montis Albani ad conventum Avinionensem.

30 Item in vicaria sancti Petri Martyris ad conventum de Albinga transferimus et affiliamus fr. Angelum de Montepolitiano cum consuetis gratiis.

Approbationes.

Approbamus in provincia Tholosana magisterium fr. Ioannis Iunii (7)

(1) De fr. Petro Bacherio cf. supra pag. 108.

(2) De fr. Balthasare Textoris cf. l. c. pag. 110.

(3) De fr. Seraphino de Martinengo cf. l. c. pag. 66.

(4) De fr. Bertrando Arapsu cf. l. c. pag. 118.

(5) De fr. Blasio Fraysineto cf. l. c. pag. 100.

(6) De fr. Antonio de Montibus cf. l. c. pag. 67.

(7) De fr. Ioanne Iunii cf. l. c. pag. 117.

conventus Ruthenensis, fr. Petri de Rivis (1) conventus sancti Emiliani, fr. Petri de Costa conventus Agenensis, fr. Petri de Abbate conventus Burdegalensis, et licentiaturam fr. Paris Ardonii (2) conventus Burdegalensis.

In provincia utriusque Lombardiae magisterium admodum reverendi patris fr. Sixti Fabri de Luca (3), totius ordinis in Romana curia procuratoris, reverendi patris fr. Pauli de Ferraria magistri sacri palatii, et patris fr. Antonii Baldutii Forliviensis (4) commissarii generalis sancti Officii in Urbe, fr. Andreae Zanetti Sasalodiensis (5) provincialis Terrae sanctae, socii magistri ordinis, fr. Helisei Capys Veneti (6), fr. Petri de Genua (7), fr. Ioannis Baptistae Donzelli inquisitoris Papiensis, fr. Pauli Laudensis inquisitoris Veronensis, fr. Dominici de Cotignola socii patris commissarii praefati, servatis iuribus suae provinciae.

In provincia Romana approbamus magisterium fr. Angeli de Cursiniano (8), fr. Thomae Boninsegna de Senis (9), fr. Alexandri Francisci Romani (10) theologi illustrissimi ac reverendissimi D. card. Alexandrini.

In provincia Regni magisterium fr. Ambrosii de Neapoli (11), fr. Matthiae de Aquario (12), fr. Dominici de Nuceria (13) et fr. Reginaldi de Neapoli (13).

In provincia Aragoniae approbamus magisterium fr. Gasparis Gasco.

In provincia Provinciae approbamus magisterium fr. Dominici Galli de Nicea (14).

In provincia Trinacriae magisterium fr. Thomae a Romano (13), fr. Vincentii Gala (13), fr. Scipionis Rosa (13), fr. Alphonsi de Sacca (13), fr. Thomae Ripa (13), fr. Mariani Lo Vecchio (15), fr. Vincentii a Colossis et fr. Benedicti Ferlito (16). Item baccalaureatum fr. Hieronymi

(1) De fr. Petro de Rivis cf. supra pag. 153.

(2) Idem est ac Paris Ardoini, de quo l. c. pag. 113.

(3) De fr. Sixto Fabri de Luca cf. l. c. pag. 124.

(4) De fr. Antonio Baldutio cf. l. c. pag. 117.

(5) Idem esse videtur ac Andreas a Salodio, de quo l. c. pag. 97.

(6) De fr. Elisaeo Capys cf. SSOP. 179.

(7) De fr. Petro de Genua cf. supra pag. 70.

(8) De fr. Angelo de Cursiniano cf. l. c. pag. 71.

(9) De fr. Thoma Boninsegna de Senis cf. l. c. pag. 110.

(10) De fr. Alexandro de Francischi Romano cf. SSOP. II, 326.

(11) De fr. Ambrosio de Neapoli cf. supra pag. 75.

(12) De fr. Matthia de Aquario cf. l. c. pag. 111.

(13) De ffr. Dominico de Nuceria, Reginaldo de Neapoli, Thoma a Romano, Vincentio Gala, Scipione Rosa, Alphonso de Sacca, Thoma Ripa cf. l. c. pag. 145.

(14) De fr. Dominico Gallo de Nicea cf. l. c. pag. 146.

(15) De fr. Mariano Lo Vecchio cf. l. c. pag. 107.

(16) De fr. Benedicto Ferlito cf. MOPH. IX, 359.

de sancto Angelo (1), fr. Francisci de Leontio (1), fr. Ioannis Petri Cortesii (2) et fr. Vincentii Magis (3).

In provincia Portugalliae approbamus magisterium fr. Antonii de Senis primarii regentis Lovaniensis et praesentaturam fr. Simonis de Luce (4) et fr. Fernandi de sancta Maria (5) in Indiis Orientalibus gloriose laborantis.

In desolata provincia Scotiae magisterium fr. Ioannis Unter pro fide et religione exulis et multae eruditionis viri.

In provincia Bethicae approbamus praesentaturam fr. Vincentii della Magdalena, fr. Petri de sancto Dominico, fr. Stephani Rodriguez, fr. Ioannis Sotello, fr. Petri de Guzman et fr. Vincentii Cano, et similiter praesentaturam fr. Ioannis de Angulo et fr. Balthassaris Vargas hac conditione, ut post biennium teneatur redire in provincias Indiarum, in quibus hactenus per quatuordecim annos fructuose laboravit. Approbamus etiam magisterium fr. Hieronymi Santander de Lazcano, qui etiam in illis partibus religiosa vita et doctrina plurimum laboravit.

In provincia Germaniae inferioris approbamus magisterium fr. Petri Aymerich, fr. Guilielmi a Quercu (6), fr. Damiani a Ligno (6), fr. Dominici Zeghers (6), licentias fr. Petri de Amore (7) et fr. Ioannis Turpini, baccalaureatum fr. Petri de Busco, fr. Iacobi Ostroek, fr. Ioannis Gori, fr. Gregorii Guilielmi, fr. Ioannis Prendhome, fr. Iacobi Ostervoyes, fr. Nicolai Neelsii (8), fr. Petri de Cruce et fr. Ioachimi Charlier.

In provincia sancti Thomae approbamus magisterium fr. Ioannis de Tricasio (9) praesentis capituli generalis diffinitoris, fr. Nicolai de Gravina (10), fr. Horatii de Taranto (11), fr. Alberti de Missaneo (11) et fr. Angeli de Ruvo (11).

In provincia Calabriae magisterium fr. Dionisii de Rosarno (12),

(1) De ffr. Hieronymo de s. Angelo, Francisco de Leontio cf. supra pag. 145.

(2) De fr. Ioanne Petro Cortesio cf. l. c. pag. 74.

(3) De fr. Vincentio Magis cf. l. c. pag. 110.

(4) De fr. Simone de Luce cf. SSOP. II, 436.

(5) De fr. Fernando de s. Maria cf. supra pag. 149.

(6) De ffr. Guilelmo a Quercu, Damiano a Ligno, Dominico Zeghers cf. l. c. pag. 110.

(7) De fr. Petro de Amore cf. SSOP. II, 496.

(8) De fr. Nicolao Neelsio cf. l. c. pag. 328.

(9) De fr. Ioanne de Tricasio cf. supra pag. 154.

(10) De fr. Nicolao de Gravina cf. l. c. pag. 143.

(11) De ffr. Horatio de Taranto, Alberto de Missaneo (Misania), Angelo de Ruvo (Rubro) cf. l. c. pag. 108.

(12) De fr. Dionysio de Rosarno cf. l. c. pag. 146.

fr. Dominici de s. Martino (1) et fr. Petri Pontii de Neocastro (2); baccalaureatum fr. Antonini de Trenta et fr. Bartholomaei de Polistina (2).

In provincia sancti Iacobi de Mexico magisterium fr. Thomae Mercado (3) cum clausulis in privilegio suo contentis.

In provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru praesentaturam fr. Francis de Victoria. 5

In provincia Occitana approbamus magisterium fr. Vincentii Batalia conventus Limosi, fr. Petri Bertrandi conventus Tholosani, fr. Raymundi Barberii, fr. Blasii de Palude conventus Malivicini, fr. Hugonis Carlini conventus Limosi, fr. Andreae Maronis conventus Tholosani, fr. Sebastiani Michaelis (4) conventus Massiliae, et approbamus promotionem ad 10 lecturam sententiarum fr. Iacobi Paludani (5) conventus Tholosani.

In reformata congregatione Gallicana approbamus magisterium fr. Iacobi Piri prioris conventus Lugdunensis et fr. Ioannis Charonis (6) conventus Compendienseis et fr. Ioannis Rayer conventus Ebroicenseis. 15

In vicaria sancti Petri Martyris approbamus magisterium fr. Claudii de Cherio (7) et baccalaureatum fr. Dominici de Novaria inquisitoris et fr. Sebastiani de Mediolano (8).

Provisiones studiorum.

In studio Parisiensi pro anno domini 1574 ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Augustinum Comba vicariae sancti Petri Martyris. 20

Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Ludovicum Rose (9) conventus Compendienseis congregationis Gallicanae. 25

Ad lecturam bibliorum fr. Carolum Lemol (9) conventus Argentomenseis congregationis Gallicanae.

Pro anno 1575 ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Blasium Foucher (10) conventus Carnontenseis provinciae Franciae. 30

(1) De fr. Dominico de s. Martino cf. supra pag. 75.

(2) De fr. Petro Pontio de Neocastro, Bartholomaeo de Polistina cf. l. c. pag. 146.

(3) De fr. Thoma Mercado cf. l. c. pag. 108.

(4) De fr. Sebastiano Michaelis cf. SSOP. II, 409.

(5) De fr. Iacobo de Palude cf. supra pag. 144.

(6) De fr. Ioanne Charonis cf. SSOP. II, 390.

(7) De fr. Claudio de Cherio cf. supra pag. 146.

(8) De fr. Sebastiano de Mediolano cf. l. c. pag. 143.

(9) De fr. Ludovico Rose et fr. Carolo Lemol cf. l. c. pag. 141.

(10) De fr. Blasio Foucher cf. SSOP. II, 281.

Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Nicolaum Rayer conventus Cathalonensis congregationis Gallicanae.

Ad lecturam bibliorum fr. Ambrosium Rider conventus Andegavensis
5 provinciae Franciae.

Pro anno 1576 ad lecturam sententiarum in magnis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Ioannem Omegnium de Cherio vicariae sancti Petri Martyris.

Ad lecturam sententiarum in parvis scholis fr. Andream Ramum
10 conventus Divionensis provinciae Franciae.

Ad lecturam bibliorum fr. Ioannem Suesson conventus Compendiensis.

Pro anno 1577 ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii fr. Antonium Barthomier conventus Molinensis congregationis Gallicanae.

Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Ioannem Phly conventus Ambianensis provinciae Franciae.

Ad lecturam bibliorum fr. Iacobum Cavin conventus Lingonensis eiusdem provinciae.

Pro anno 1578 ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma
20 et gradu magisterii fr. Gabrielem de Gaya conventus sancti Maximini. Ad lecturam sententiarum in parvis scholis pro forma et gradu magisterii fr. Petrum Ragot (1) conventus Lavallensis congregationis Gallicanae.

Ad lecturam bibliorum fr. Martinum Pelisson conventus Argentomensis eiusdem congregationis.

25 In studio Salmanticensi aliisque generalibus studiis provinciae Hispaniae, in Tholosano et Bononiensi providebunt reverendi provinciales in eorum capitulis, prout sibi bene visum fuerit, merita, non personas inspicientes. In studio vero Bononiensi assignamus in studentes formales pro rata provinciae Trinacriae post fr. Thomam de Messana fr. Bernardinum de Melita, et post fr. Ioannem de Noto fr. Franciscum de
30 Tauromenio. Pro rata provinciae Regni fr. Vincentium de Sarno, quamprimum vacaverit locus. Pro rata provinciae sancti Thomae fr. Vincentium de Trano.

In studio Neapolitano pro hoc triennio damus in regentem fr. Antoninum de Camerota (2) magistrum; in reliquis reverendissimus disponet. Assignamus autem in studentes pro rata provinciae Calabriae fr. Silvestrum Pandosinum pro primo loco vacante et pro rata provinciae Terrae sanctae fr. Bernardinum de Taurino.

(1) De fr. Petro Ragot cf. SSOP. II, 357.

(2) De fr. Antonino de Camerota cf. supra pag. 177.

In studio Lovaniensi damus in primarium regentem fr. Antonium Senensem Lusitanum (1) magistrum, in secundum regentem fr. Nicholaum Neelesium Gandensem ad magisterium promotum, in baccalaureum pro praesenti anno fr. Stephanum Iona Bruxellensem et in magistrum studii damus antiquiorem conventus Lovaniensis iuxta decretum reverendissimi 5 magistri ordinis.

In studio Patavino, Cosentino, Andrensi et Mediolanensi sancti Eustorgii providebit reverendissimus ordinis magister, cui omnimodam horum curam demandamus. Assignamus autem in studio Patavino pro rata provinciae s. Thomae in studentem fr. Alexandrum de Gallipoli. 10

In conventu et studio Aquensi in lectorem primarium assignamus fr. Bartholomaeum Audefredum (2) magistrum.

In studio Panormitano pro primo hoc et secundo anno damus in regentem fr. Thomam Ripa (3) magistrum, pro altero sequenti fr. Vincentium a Colossis magistrum, in baccalaureum ordinarium pro hoc primo 15 anno fr. Hieronymum de sancto Angelo (4), pro duobus sequentibus secundo et tertio fr. Vincentium Magis (4), quem pro praesenti anno assignamus in magistrum studii et in studentem formalem fr. Franciscum Spucces de Tauromenio.

Licentiae promovendorum. 20

In provincia Hispaniae promovemus et licentiamus ad magisterium fr. Dominicum de Celaya (5) praesentatum praesentis capituli generalis diffinitorem, fr. Hieronymum de Almonizir (6) regentem collegii Complutensis et fr. Ferdinandum de Castillo (7) priorem conventus dominae nostrae de Atocha. Ad praesentaturam fr. Marcum de Valladares, fr. Ioan- 25 nem de las Cuevas, fr. Thomam de Guzman, fr. Alphonsum della Guia, fr. Ioannem Martinez, fr. Alphonsum de Roias, fr. Bernardum de Lerma, fr. Augustinum de Sosa, fr. Lesmes de Astudillo, fr. Martinum de Luna et fr. Ioannem Sanches.

In provincia Regni promovemus ad magisterium fr. Antoninum de Neapoli huius capituli generalis diffinitorem, ad baccalaureatum vero fr. Hieronymum de Pontecurvo (8) et fr. Erasmum de Neapoli. 30

In provincia Aragoniae promovemus ad magisterium fr. Ioannem Gra-

(1) De fr. Antonio Senensi Lusitano cf. supra pag. 141.

(2) De fr. Bartholomaeo Audefredo cf. l. c. pag. 118.

(3) De fr. Thoma Ripa cf. l. c. pag. 180.

(4) De fr. Hieronymo de s. Angelo et fr. Vincentio Magis cf. l. c. pag. 181.

(5) De fr. Dominico de Celaya cf. l. c. pag. 153.

(6) De fr. Hieronymo de Almonizir cf. SSOP. II, 355.

(7) De fr. Ferdinando de Castillo cf. supra pag. 38.

(8) De fr. Hieronymo de Pontecurvo cf. SSOP. II, 258.

nada (1), fr. Franciscum Ferrandi (2), fr. Hieronymum Alzamora, fr. Petrum Coll (2), fr. Ioannem Vidal (2) et fr. Ioannem Martinez (3), peracto anno suae lecturae iuxta breve Pii quinti sanctae memoriae. Ad praesentaturam vero fr. Franciscum Alimanum (3), fr. Antonium Llinarez et
5 fr. Franciscum Lloris (3), et instituimus praedicatorum generalem fr. Melchiorem de Sanctarella pro conventu sanctae Annae de Alabarda.

In provincia Provinciae ad magisterium fr. Iacobum de sancto Valerio (4) provincialem et fr. Martinum de Lemos praesentis capituli generalis diffinitorem. Ad baccalaureatum fr. [Honoratum] Robelli conventus
10 sancti Maximini et fr. Angelum Faphur de Nicea.

In provincia Trinacriae ad magisterium fr. Petrum de Arigno praesentis capituli generalis diffinitorem, ad baccalaureatum fr. Octavianum Manduca (5) et fr. Chrisostomum de s. Angelo (6).

In provincia Portugalliae instituimus praedictorem generalem fr. Ioannem de Sylva.
15

In provincia Bethicae promovemus ad praesentaturam fr. Gasparem de Corduba praesentis capituli diffinitorem, fr. Petrum de Cuniga, et instituimus praedictorem generalem fr. Ioannem Vanegas.

In provincia Germaniae inferioris ad magisterium fr. Petrum de Busco praesentatum, fr. Ioannem Turpinum licentiatum, ad licentias et
20 magisterium inclusive fr. Nicolaum Neelesium Gandensem, fr. Ioannem Gori et fr. Gregorium Guilhelmi, ad licentias duntaxat fr. Petrum de Cruce et fr. Ioachimium Carlier Valencenensem, fr. Carolum Moynek, fr. Ioannem Prendhome baccalaureos formatos; ad baccalaureatum fr. Petrum de Aggere et fr. Stephanum Iona pro praesenti anno 1574 et pro
25 anno 1576 fr. Ioannem Dumeisnil.

In provincia sancti Thomae promovemus ad magisterium fr. Thomam de Castellaneta (7) et fr. Augustinum de Ferrandina (8).

In provincia Calabriae ad baccalaureatum fr. Dominicum de Roblano (9), postquam per annum legerit.
30

In provincia Occitana promovemus ad lecturam sententiarum in uni-

(1) De fr. Ioanne Granada cf. supra pag. 144.

(2) De ffr. Francisco Ferrandi (Fernandez), Petro Coll (Colli), Ioanne Vidal, Ioanne Martinez cf. l. c. pag. 106.

(3) De fr. Francisco Alimano et fr. Francisco Lloris cf. l. c. pag. 112.

(4) De fr. Iacobo de s. Valerio cf. supra pag. 178.

(5) De fr. Octaviano Manduca cf. l. c. pag. 145.

(6) De fr. Chrysostomo de s. Angelo cf. l. c. pag. 143.

(7) De fr. Thoma de Castellaneta cf. l. c. pag. 111.

(8) De fr. Augustino de Ferrandina cf. l. c. pag. 146.

(9) De fr. Dominico de Roblano cf. l. c. pag. 142, 144.

versitate Tholosana fr. Mattheum Bartholomei pro forma et gradu magisterii pro anno 1575, ad lecturam extraordinariam in eadem universitate pro eodem anno fr. Ioannem Torneri conventus Altvilaris, pro anno 1576 ad lecturam extraordinariam fr. Ioannem Mayneri conventus Revelli, et ad ordinariam pro anno 1577 fr. Franciscum Casalis conventus Altvilaris. In universitate Avinionensi pro anno 1575 promovemus ad lecturam sententiarum fr. Geraldum Ducis eiusdem conventus et pro anno 1576 fr. Mattheum Donzelli conventus Carpentoratensis, et instituimus praedcatorem generalem fr. Claudium Arlerii conventus Massilliensis.

Nullus ex promotis in hoc capitulo promotus habeatur, nisi prius sacrae fidei professionem emittat solemneque iuramentum de non discedendo ab angelici nostri doctoris doctrina, et nisi prius examinatus sufficiens repertus fuerit, super quo examinerum conscientias oneramus.

Sententias iudicum acceptamus et approbamus suumque volumus effectum sortiri.

Reverendorum patrum diffinitorum auctoritatem per totam diem dominicam festi sanctissimae Trinitatis usque ad feriam secundam durare volumus.

Committimus reverendissimo magistro ordinis nostram auctoritatem in praemissis et circa praemissa omnia et singula declarandi, interpretandi, glosandi, addendi, minuendi et omnia et singula faciendi, quae capitulum generale et nos facere possumus, prout opportunum suae prudentiae visum fuerit.

Recepti ad gratias ordinis.

Recipimus et toto animo admittimus ad omnia et singula nostri ordinis spiritualia beneficia et suffragia et ad gratias et indulgentias talibus a sancta Sede concessas et ad omnium horum communionem et participationem :

Illustrissimum et excellentissimum dominum Ludovicum Requesens, comendatorem maiorem Castellae et generalem gubernatorem et ducem totius Belgicae, qui ibi maxime religionem nostram fovet et sustinet.

Illustrissimum d. Ioannem Idiaquor oratorem regium catholicae maiestatis apud Genuenses, singularem amicum et benefactorem nostri ordinis, et duorum conventuum fundatorem et dotatorem in oppido sancti Sebastiani provinciae Hispaniae.

Illustres admodum dominum Georgium de Silva et dominam Alcuisiam de Barros eius uxorem, singulares nostri ordinis benefactores.

Magnificam dominam Nicolosinam Grillam Genuensem cum universa sua familia ordini nostro singulari charitatis vinculo coniunctam et maximam benefactricem.

Reverendum admodum patrem dominum Laurentium Surium Car-

tusianum, qui eleganti ac facundo stilo nostri ordinis et omnium sanctorum vitas conscripsit.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo nostro papa Gregorio XIII. quilibet sacerdos unam
5 missam.

Pro serenissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico rege Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam.

Pro invictissimo rege Portugalliae quilibet sacerdos unam missam.

10 Pro serenissimo rege Poloniae omnibusque aliis regibus et principibus christianis, qui sub obedientia sanctae sedis apostolicae vivunt, et pro pace inter eos servanda et pro bono statu reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinale Morono, nostri
15 ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo ac reverendissimo domino cardinale Iustiniano, quondam ordinis nostri generali magistro, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis ac reverendissimis dominis cardinalibus Alexandrino et Theano, ex ordine nostro assumptis, quilibet sacerdos unam
20 missam.

Pro illustri tota hac civitate, nobiles et civibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris, iis maxime qui praesenti capitulo eleemosinas contulerunt, et pro receptis ad beneficia ordinis nostri
25 per reverendissimum patrem generalem quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione nostri ordinis proque eius capite, reverendissimo generali et reverendo procuratore et sociis quilibet sacerdos unam missam.

Ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semel litaniae imponuntur, laicis vero decies pater noster et totidem ave Maria.
30

Suffragia pro defunctis.

Pro anima sanctae et aeternae memoriae Pii V. quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima illustrissimi ac reverendissimi domini cardinalis Matthaei
35 de Ursinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima illustrissimi ac reverendissimi domini Ferdinandi a Loazes patriarchae Antiocheni, qui in hac provincia egregiis sumptibus construxit et ditavit collegium Oriolae, quilibet sacerdos unam missam.

40 Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus eorum, qui dum viverent, per litteras magistri generalis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque aliorum benefactorum quilibet sacerdos unam missam.

Clerici pro quolibet horum septem psalmos poenitentiales, laici vero 30 pater noster et totidem ave Maria dicent. 5

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias eius unum ex his, qui usque ad hanc diem fuerunt apostatae aut damnati ad poenas gravioris culpae, suae provinciae dumtaxat et in sua provincia, non tamen ob haeresis labem aut suspicionem. 10

Concedit idem reverendissimus magister generalis omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod sacerdotem nostri ordinis, alias ad confessionum audientiam expositum, sibi in confessorem semel tantum eligere et ab eodem de praeteritis usque ad praesentium notitiam, casibus, peccatis et censuris absolvi possint, a quibus sua reverendissima paternitas ab- 15 solvere potest.

Mandamus acta capituli generalis huius impressa et ordinis sigillo munita per reverendos diffinitores ad suas provincias deferri debere, et per reverendos provinciales in suis provinciis, ut publicentur et observentur, curare et omnem operam dare. 20

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum secundum, assignamus in conventu regio Neapolitano sancti Dominici provinciae Regni, hinc ad triennium pro anno 1577.

Pro fide ab haereticis interfecti.

In provincia Occitana propinato sibi ab haereticis veneno obiit 25 fr. Guilhelmus Brelianos baccalaureus conventus Tholosani.

Fr. Guilhelmus Bruni praedicator celebris in obsidione eiusdem oppidi ab haereticis circumventi et obsessi.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES
ANNO DOMINI .M^o.D^o.LXXX^o. DIE VIGESIMA PRIMA MAII. 30

Sub reverendissimo patre fr. Paulo Constabili Ferrariensi (1) sacrae theologiae professore, in eodem capitulo summo patrum consensu in genera- 35 neralem magistrum totius ordinis praedicatorum electo, diffinientibus com-

(1) De fr. Paulo Constabili Ferrarien. cf. supra pag. 180; SSOP. II, 255.

muniter reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus infrascriptis, videlicet :

- fr. Stephano Coello provinciali Hispaniae,
 fr. Stephano Siccio (1) magistro provinciali Franciae,
 5 fr. Iacobo a sancto Angelo (2) magistro provinciali utriusque Lombardiae,
 fr. Zenobio a Villa [basilica] (3) provinciali Romano,
 fr. Petro de Nuceria (4) magistro provinciali Regni,
 fr. Angelo de Brayda magistro provinciali Ungariae,
 fr. Ioanne Kossler provinciali Theutoniae,
 10 fr. Melchiore Mosticen. (5) magistro provinciali Poloniae,
 fr. Ioanne Dominico de Vincentia magistro provinciali Graeciae,
 fr. Ludovico Ugocchini Ariminen. magistro provinciali Terrae sanctae,
 fr. Nicolao de Ancona (6) magistro provinciali Bohemiae,
 fr. Iacobo de sancto Valerio (7) magistro provinciali prov. Provinciae,
 15 fr. Paulo de Iadra (8) magistro provinciali Dalmatiae,
 fr. Antonino Spetiali (9) magistro provinciali Trinacriae,
 fr. Antonio de Sousa (10) magistro provinciali Portugalliae,
 fr. Iacobo de Luceria (11) magistro provinciali sancti Thomae,
 fr. Francisco de Riolo (12) magistro provinciali Calabriae,
 20 fr. Floro Provincio (13) magistro provinciali Linguae Occitanae.
- fr. Thoma de Gusman (14) magistro diffinitore provinciae Hispaniae,
 fr. Gabrielle Renarth (15) magistro diffinitore Franciae,
 fr. Dominico de Pisauro priore Bononien. diff. utriusque Lombardiae,
 fr. Alexandro Francischio (16) magistro diffinitore provinciae Romanae,
 25 fr. Matthia Aquario (16) magistro diffinitore provinciae Regni,

(1) De fr. Stephano Siccio (Sichee) cf. supra pag. 139, SSOP. II, 432.

(2) De fr. Iacobo a s. Angelo cf. supra pag. 139.

(3) De fr. Zenobio a Villabasilica cf. l. c. pag. 117.

(4) De fr. Petro de Nuceria cf. l. c. pag. 142.

(5) De fr. Melchiore Mosticen. cf. SSOP. II, 303.

(6) De fr. Nicolao de Ancona cf. supra pag. 22.

(7) De fr. Iacobo de s. Valerio cf. l. c. pag. 185.

(8) De fr. Paulo de Iadra cf. l. c. pag. 145.

(9) De fr. Antonino Spetiali cf. l. c. pag. 107.

(10) De fr. Antonio de Sousa cf. SSOP. II, 296.

(11) De fr. Iacobo de Luceria cf. supra pag. 2.

(12) De fr. Francisco de Riolo cf. l. c. pag. 144.

(13) De fr. Floro Provincio cf. l. c. pag. 178.

(14) De fr. Thoma de Gusman cf. l. c. pag. 184.

(15) De fr. Gabriele Renarth (Regnard) cf. l. c. pag. 139.

(16) De fr. Alexandro Francischio et fr. Matthia Aquario cf. l. c. pag. 180.

fr. Simone de sancto Severino diffinitore Ungariae,
 fr. Nicolao Riversheitt baccalaureo diffinitore provinciae Theutoniae,
 fr. Felice Polono (1) magistro diffinitore Poloniae,
 fr. Angelo Calepyo Cyprio (2) magistro diffinitore Graeciae,
 fr. Francisco Aliman (3) magistro diffinitore Aragoniae, 5
 fr. Vincentio de Antwerpia diffinitore Bohemiae,
 fr. Bartholomeo Signoretto (4) praesentato diffinitore provinciae Provinciae,
 fr. Iacobo de Sibenico baccalaureo diffinitore Dalmatiae,
 fr. Eugenio Casalayna (5) magistro diffinitore Trinacriae,
 fr. Petro Baccherio (6) magistro diffinitore inferioris Germaniae, 10
 fr. Thoma de Medunio (7) magistro diffinitore sancti Thomae,
 fr. Dionysio a Rossarno (8) magistro diffinitore Calabriae,
 fr. Sebastiano de Arescita diffinitore provinciae sancti Iacobi de Mexico,
 fr. Iacobo de Palude (9) magistro diffinitore provinciae Occitanae.

Fr. Paulus Constabilis Ferrariensis 15
 sacrae theologiae professor totiusque ordinis praedicatorum
 humilis generalis magister et servus
 universis et singulis eiusdem ordinis professoribus salutem.

Cum religionis nostrae venustissimam ac omnibus membris absolu- 20
 tissimam imaginem a maioribus nobis in manus ac sinum traditam sus-
 cepissemus, nescio, qua ignavia ac supina inertia effectum sit, ut eam
 tot lituris et maculis inquinari permiserimus. Afferat, quaeso, aequos
 animos ac perspicaces oculos, quicumque familiae divi patris Dominici
 est studiosior. Mentior, nisi illi mox ab oculis casurae sint lachrymae, 25
 si propius huius imaginis deformationem intueatur. Dictum est olim a
 quodam huius urbis veteri poeta: « Moribus antiquis res stat Romana
 viretque ». Quam sententiam, si ad ordinis divi patris Dominici sacro-
 sanctam maiestatem referri vellem, desideraverim plane illum patriarchae
 nostri zelum, divi Thomae doctrinam, divi Petri Martyris inconcussum 30
 adamantinumque pro fide robur, divi Vincentii concionatoris spiritum,

-
- (1) De fr. Felice Polono cf. supra pag. 118.
 (2) De fr. Angelo Calepyo de Cypro cf. SSOP. II, 310.
 (3) De fr. Francisco Aliman cf. supra pag. 185.
 (4) De fr. Bartholomaeo Signoretto cf. l. c. pag. 142.
 (5) De fr. Eugenio Casalayna cf. SSOP. II, 270.
 (6) De fr. Petro Baccherio cf. supra pag. 179.
 (7) De fr. Thoma de Medunio cf. l. c. pag. 80.
 (8) De fr. Dionysio de Rosarno cf. l. c. pag. 181.
 (9) De fr. Iacobo de Palude cf. l. c. pag. 182.

beati quoque Antonini indeffatigatum in litteris studium. Quae omnia si accesserint, ex deformata talem brevi educemus formam, ut quilibet ordo quantumlibet laudatus ac celebratus huic nostro invidere possit.

Scio interim, quibus cum monstris conflictemur, scio, quae sit nostri
5 fundi calamitas, scio denique, quae fera praecipuas vel certe praecipuis proximas vineae nostrae partes sit demollita, nempe haeresis, qua nulla pestis ad nos poenitus perdendos esse potest efficacior. Nunc tota pectoris mei scrinia semel aperio, sed utinam possem meos lachrymis finire dolores. Nam iam rerum gubernaculis invitus admotus Isaiae eloquentia
10 ad enarrandum, Hieremiae lamentis ad plangendum nostri ordinis statum opus esse video. Serpit cancer et vix medicabile virus, inficiuntur partes et membra eaque interim vis mali est, ut nonnisi a paucis sentiat.

Accingamur igitur patres et a tanto torpore gravique negligentiae somno surgentes induamur arma lucis, ut in die honeste ambulemus.
15 Vidi enim nostros diffinitores, quorum sub arbitrio est figere et refigere leges, tanto animorum ardore, tanta alacritate et sudore rem in hanc unam incubuisse, ut pulcherrimos atque uberrimos ex eorum mihi labore et industria fructus sperare audeam. Convenerunt enim veluti dato signo ad nostra Romana comitia non Itali solum aut Hispani et Galli,
20 quorum tamen prima et praecipua pars est, sed et Lusitani, Dalmatae et Greci, Germani, Poloni, ab ortu solis longi et incerti littoris Indi, ab eius occasu Flandri, extremique hominum Morini. Quibus hoc unum omnibus videtur fuisse studium connitti, ut post hac in nostris sepulchris, hoc est claustris, non solum reperiantur lintheamina posita, sed
25 etiam ipse Christus, deinde quod aegrum animum meum non mediocriter recreat, huc accedit summi pontificis, qui huius est caput urbis et orbis, singularis in nostrum ordinem et propensus favor, postremo illustrissimorum dominorum cardinalium in nos benevolentiam addam et beneficentiam.

30 Verum haecine satis ad religionis nostrae fines vel tutandos vel prorogandos? Haud quaquam. Sed superiorum quoque auxilium praeterea nobis praesidio est ac divi patris Dominici patrocinium, cuius auspiciis et labore hic ordo sanctissimus ante aliquot secula est conditus ac orbi universo per longa iam suspiria vix animam trahenti velut salutaris
35 antidotus est inventus.

Quid igitur, patres, restat? Quid iam ultra restat? Nihil sane aliud quam ut stantes adhuc confirmemus, ut consistent, et eos, qui ceciderunt, erigamus atque ad provincias, quae iam sub manu domini fanda atque infanda perpetiuntur, misericordes oculos declinemus. Non enim
40 sine incredibilem rerum iactura vel unica provincia damnum sustinet. Partis enim perditio contra decorem est universi. Quod qui ignorat, legat et

alta mente recondat, quam multis lachrymis, quam largo gemitu, quam non dissimulato dolore in libro iudicum undecim tribus unicam eamque minimam tribum Benjamin iam fere pereuntem prosequuntur. Valet.

In nomine domini nostri Jesu Christi et beatæ Mariæ semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctarum Dei. 5

Haec sunt acta, quæ in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo authore, proponuntur.

Inchoationes.

Inchoamus hanc, quod in evangelio Epiphaniæ, cum perventum fuerit ad illum locum Evangelii « Et procidentes adoraverunt eum », 10 omnes fratres in choro genua flectant, prout in capella summi pontificis observatur. Quod similiter faciendum inchoamus in cantico « Te Deum laudamus », cum dicitur versiculus ille « Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti », et in hymno sanctissimi corporis Christi in illo versiculo cum dicitur « Tantum ergo sacra- 15 mentum veneremur cernui », omnes fratres in choro flectant genua. In symbolo quoque, quod in missa publice recitatur, cum dicitur de spiritu sancto « Qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur », omnes fratres in choro, discooperto capite, devotius inclinent, corporis gestu interioriorem animi fidem de eius divinitate significantes. 20

Inchoamus etiam, quod festa divi Blasii, divi Alexii, divi Petri ad Vincula et cathedrae eiusdem, divi Georgii, divi Ludovici regis Francorum, divi Francisci de Paula, et divaæ Monicae, matris patris nostri s. Augustini, sub festo duplici celebrentur.

Confirmationes. 25

Confirmamus in primis omnes ordinationes et declarationes in praecedentibus capitulis Bononiensi et uno atque altero Romanis ac Barchinonæ factas circa statuta et decreta sacrosancti concilii Tridentini.

Confirmamus, quod saepe alias statutum fuit, ut si quis propriae vocis renuntiatione medietatem eligentium excesserit in quacunque cano- 30 nica electione, ea irrita censeatur; et haec habet tria capitula.

Confirmamus ordinationem in ultimo capitulo Romano factam et in capitulo Barchinonensi confirmatam, ut in ecclesiis fratres nec inter se nec cum secularibus confabulantes deambulent, maxime in prospectu sanctissimi sacramenti; et praelati super hoc diligentiam adhibeant. Quod 35 maxime coram secularibus observari debet, quos a nobis discere oportet, quanta reverentia sacer locus venerandus sit.

Confirmamus, quod in capitulo Avinionensi ordinatum fuit, et confirmando praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctæ obedientiae et

sub poena excommunicationis latae sententiae, ne de caetero frater aliquis, cuiuscunque gradus et conditionis existat, scribere praesumat per se vel per alios litteras criminosas ad quoscunque intus vel extra ordinem sine proprii nominis subscriptione. Contrafacientes vero absolvi non
5 possint nisi a reverendissimo generali.

Confirmamus etiam, quod mandante sanctae et aeternae memoriae Pio V. ordinatum fuit et in capitulo Barchinonensi confirmatum, ut praelati et examinatores confessoriorum nostri ordinis omnem adhibeant diligentiam, ut ad hoc officium saluti animarum adeo necessarium non
10 admittant nisi in moribus et scientia idoneos, memores divini iudicii, in quo rationem sint reddituri de animarum damno, quae defectu confessorum damnationem incurrerint. Quod si praelati in hoc inventi fuerint culpabiles, in poenam a suis officiis absolvantur.

Confirmamus illam ordinationem saepe alias factam, quod in omnibus
15 conventibus nostri ordinis habeatur lectio de casibus conscientiae, ad quam omnes fratres sacerdotes confessarii praeter graduatos et lectores convenire teneantur. Qui autem convenire neglexerint, confessionis munere et officio omnino priventur.

Confirmamus illam ordinationem, quod in provinciis, in quibus depositas pecunias fratribus singularibus permittere est consuetum, id ea
20 moderatione concedatur, quod necessitati tantum, non vanitati aut cupiditati deservire videatur. Quamobrem praelatorum conscientiam in diem Christi oneramus, ne vel magnae pecuniae summam vel per longum tempus retinere permittant, habita tamen ratione personarum et locorum. Revocantes et praesenti statuto et decreto revocatas esse decernimus
25 omnes licentias fratribus nostris concessas a quocunque praelato nostri ordinis, et cuiuscunque gradus et conditionis sint, super acceptione, retentione et consumptione pecuniarum, quae statui paupertatis sunt decori, et omnes ad subiectionem et obedientiam suorum praelatorum
30 remittimus.

Item confirmamus, quod saepe et multoties fuit ordinatum, quod nullus fratrum nostri ordinis recurrat ad seculares et ad quascunque personas extra ordinem constitutas tam pro gratiis obtinendis quam pro
35 poenis vitandis. Qui autem in huiusmodi inventi fuerint culpabiles, inhabiles sint ad ea, quae petunt, obtinenda.

Item confirmamus etiam illam ordinationem et praeceptum, quibus districte praelatis omnibus et visitoribus praecipitur, ne vel pecuniam vel
40 praeciosa munera a fratribus vel sororibus accipiant, ab iis maxime, qui vel gratiam vel iustitiam praetendunt apud ipsos, nec etiam secularium interventu, exceptis parvulis munusculis, quae charitatis obtentu inter amicos offerri solent. Quod si contrarium fecerint, auctoritate no-

stra facultatem retinendi subtrahimus, et ea quaecunque talia fuerint, divino cultui harum serie applicamus, declarantes tales praelatos et visitatores crimen proprietatis incurrisse, et poenis a sacrosancto concilio Tridentino et nostra constitutione decretis subiectos esse.

Confirmamus etiam ordinationem illam, qua praecipitur omnibus 5 praelatis nostri ordinis sub poena absolutionis ab officio, ne bona stabilia et fundos, quos vocant, alienare et aliqua pecuniae summa recepta rationes et praetensiones extinguere, nec officinas et loca necessaria conventui secularibus ulla ratione concedant, etiam pretextu cuiuscunque fraternitatis, et si quid hactenus concessum fuerit, auctoritate nostra re- 10 vocamus, irritas praesenti statuto decernentes huiusmodi concessionem.

Confirmamus etiam illam, ne de caetero fratres nostri alicui ecclesiae vel abbatae extra ordinem nostrum deservire audeant. His vero, qui in huiusmodi ecclesiis aut abbatibus commorantur, praecipitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis 15 latae sententiae ipso facto incurrendae, ut infra mensem a notitia praesentium ad proprios conventus et obedientiam suorum praelatorum revertantur. Quod nullatenus intelligendum esse declaramus de his, qui de licentia magistri ordinis in aliquibus abbatibus regulariter vivunt. Quod si renuerint, committimus reverendis provincialibus, ut invocato, si opus 20 fuerit, auxilio brachii secularis eos ad suos conventus revocare studeant, super hoc eorum conscientias onerantes.

Confirmamus etiam illam, ne quis admittatur vel in curia Romana vel in curia regis catholici aut aliorum principum tamquam procurator 25 illarum provinciarum, quae sunt apud Indos, nisi authenticas litteras suae procuracionis ostenderit a capitulo provinciali vel superiori praelato provinciae subscriptas. Et id officium usurpantes poenae gravioris culpa subiciantur, et ab eis obtenta sine suae provinciae mandato irrita sint.

Confirmamus etiam ordinationem alias factam, ne aliquis conversus, 30 tertiarius aut oblatus assumi possit ad habitum clericalem sine speciali licentia magistri ordinis. Et quicumque conversus, tertiarius et oblatus sine huiusmodi licentia repertus fuerit ad clericalem habitum ascendisse, omnino exuatur et ad pristinum statum redire omnino cogatur.

Confirmamus etiam ordinationem illam in capitulo Barchinonensi 35 factam, quod in omni electione canonica cuiuscunque prioris tam conventualis quam provincialis et priorissae teneantur omnes vocales, praemissa sacramentali confessione, divinissimum Eucharistiae sacramentum suscipere ante huiusmodi electionis celebrationem, sub poena privationis vocis.

Confirmamus etiam et praecipitur omnibus fratribus sacerdotibus, 40

cuiuscunque gradus et conditionis sint, si contingat eos impediri a sacro faciendo, teneantur omnes audire missam et devote interesse.

Confirmamus etiam, quod in sacro celebrando, etiam non solemniter vel maiori, debeat accendi cereus in consecratione et elevatione divinisimi sacramenti, et sic accensus cereus remanere, quousque sacerdos complete communicaverit; sed in elevatione, ut praefertur, aliquot ictibus campanulae populus moneatur.

Confirmamus et praecipimus omnibus prioribus conventualibus, ut in lectionem mensae inserere faciant lectionem unius capituli de constitutionibus nostris cum suis declarationibus.

Confirmamus, quod praedicatores, qui per decennium integra quadragesima munus praedicationis gratiose exercuerint, sint et habeantur patres a consiliis, ubicunque fuerint assignati; quos praesenti decreto nos instituimus cum gratiis et privilegiis consuetis.

Confirmamus, quod priores non possint ad sacros ordines mittere iuvenes nisi de more ordinis in officio ecclesiastico divinoque cultu et in cantu fuerint sufficienter instructi.

Confirmamus etiam, quod, qui revelaverint secreta consilii, unde praeiudicium aliquod vel iustitiae vel correctioni sive etiam personae cuiuscunque aut quomodocunque inferatur, sint praesenti statuto privati paternitate, nec restitui possint nisi per capitulum generale vel per reverendissimum magistrum ordinis.

Confirmamus, quod processus delictorum fratrum non comburantur, praesertim dum agunt in humanis, nec ulla ratione remaneant apud fratres sub poenis gravioris culpae tam positivis quam privativis, sed apud reverendos provinciales successive tuto servantur.

Confirmamus, quod reverendi provinciales in confirmandis prioribus conventualibus sententias et vota patrum discretorum, quos ad consilium capiendum vocaverint, per suffragia secreta seu fabas suscipiant, quo liberius possint suam ferre sententiam.

Confirmamus etiam, quod in capitulo praecedenti declaratum fuit, quod novitius receptus ad habitum in uno conventu, si transmittatur ad alium conventum et ibi profiteatur, erit filius illius conventus, in quo suscepit habitum, etiam si faciet professionem non requisito illo conventu, in quo suscepit habitum.

Confirmamus simul et ordinamus, quod in provincia Mexicana diffinitores capituli provincialis cum octo patribus eiusdem capituli antiquioribus prioribus et vicariis, si post legitimum examen illis constiterit, provincialem suum graviter deliquisse, etiam non incorrigibilem valeant et debeant illum ab officio suspendere, quousque consultus fuerit reverendissimus generalis magister ordinis et responsum dederit. Diffinitores

autem et fratres capituli aliquem patrem in vicarium nominabunt, qui durante praefata suspensione provinciam regat.

Confirmamus in priorem provinciam provinciae Linguae Occitanae rev. patrem fr. Raymundum Barberium (1).

Confirmamus in priorem provinciam provinciae Graeciae per aliud 5 quadriennium rev. patrem fr. Ioannem Dominicum de Vincentia magistrum.

Confirmamus in priorem provinciam provinciae Theutoniae rev. patrem fr. Iohannem Coselerum, sacrae theologiae lectorem et praedicatorum generalem. 10

Confirmamus, quod in praecedenti capitulo inchoatum est, ut festa sanctorum decem millium martyrum et sanctorum Hippolyti et sociorum eius deinceps sub festo duplici celebrentur.

Confirmamus reformationem congregationis Apprutinae cum omnibus gratiis, privilegiis, statutis et ordinationibus datis et factis per bonae 15 memoriae magistrum ordinis nuper defunctum reverendissimum patrem fr. Seraphinum Cavalli (2) et per admodum rev. patrem fr. Sixtum Lucensem (3) magistrum, olim procuratorem et vicarium ordinis, nunc autem sacri palatii magistrum.

Confirmamus etiam studium generale per dictum admodum rev. 20 patrem procuratorem et vicarium ordinis auctoritate apostolica fundatum in conventu Theatino cum omnibus gratiis et privilegiis ordinationibusque ab eodem rev. procuratore et vicario concessis et decretis.

Confirmamus, quod in praecedenti capitulo declaratum fuit, quod cum dicitur « Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam » in 25 hymno « Gloria in excelsis Deo », inclinent fratres usque ad genua; quod etiam facient, quando dicitur « Ave maris stella », ne minus devoti videamur quam seculares.

De novitiis.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo Barchinonensi de no- 30 vitiis, quod ad habitum non debent recipi iuniores inscii et inepti, sed bonae indolis, qui grammaticam sciunt, et non nisi in maioribus conventibus, in quibus religio viget, et secundum aetatem taxatam in nostris constitutionibus et sanctionibus concilii Tridentini et non sine li- 35 centia patris provincialis. Quod si in minoribus conventibus aliquando ex aliqua necessitate recipiantur, statim ad principaliores conventus mitantur, si hoc commode fieri potest. Qui tamen prior provincialis non

(1) De fr. Raymundo Barberio cf. supra pag. 182.

(2) De fr. Seraphino Cavalli cf. l. c. pag. 153.

(3) De fr. Sixto Fabri de Luca cf. l. c. pag. 180.

prius huiusmodi licentiam concedat, nisi ante praeparaverit eis locum. Conventus autem minores intelligimus illos, in quibus non plures quam sex fratres commorari possunt. Novitii vero in praedictis domibus non sint numero pauciores quam sex, nec de facili amoveantur, nec soli ire
5 permittantur, sed sub cura magistri usque ad sacerdotium vel saltem usque ad quadriennium omnino, ubi primum servari non potest, de caetero iam recepti et deinde recipiendi permaneant, nec possint ab ea subtrahi quavis ratione aut cuiusvis auctoritate sub poena absolutionis ab officiis praelatis quibuscunque id agentibus vel permittentibus; quod in
10 universo nostro ordine, nulla provincia excepta, servandum volumus et iubemus. In receptione vero ipsorum adnotetur aetas illorum, quando recipiuntur ad habitum et quando votum professionis emittunt.

Confirmamus ordinationem toties factam de uno vel pluribus conventibus in qualibet provincia vel vicaria in favorem cupientium arctam
15 observantiam regularem, addentes tales a nemine posse quomodolibet impediri iuxta decretum domini Bonifacii IX., quod etiam reverendissimus magister ordinis observari intendit et observari praecipit ab omnibus districte.

De studiorum promotione.

20 Circa studium confirmamus in primis ordinationem in praecedentibus capitulis factam circa regimen studiorum et lectorum aliorumque officialium praecedentiam, quam hic pro inserta habentes, quatenus opus est, innovamus, videlicet ut regens semper habeatur caput studii et ad eum pertineat ordinare, quicquid ad illud attinet. Et hoc hactenus habet
25 quatuor capitula. Quibus addimus declarantes, quod licet priori praelato conventus conveniat primus locus in sedendo, tamen regenti et in proponendis studentibus illisque examinandis, acceptandis et nominandis primus locus convenit, cui etiam praesenti statuto a nobis conceditur et tribuitur.

30 Confirmamus etiam, ut tempus triennii dialecticae, philosophiae et metaphisycae deputetur, sacrae vero theologiae quadriennii nisi aliter reverendo provinciali de consilio magistrorum et officialium studii visum fuerit. Quo tempore ita distinguantur lectiones, ut altera sit speculativa ex prima parte vel 1^a. 2^{ae}. divi Thomae vel etiam de Incarnatione, altera
35 vero moralis ex 2^a. 2^{ae}. vel 4. sententiarum. In disputationibus alternis vicibus de utraque materia proponantur conclusiones; in quotidianis quoque exercitiis de altera lectione habeatur conclusio, et de altera, praesente lectore, collatio, ut utriusque rationem habeant studentes.

Confirmamus etiam id, quod in capitulo praecedenti est ordinatum,
40 ne deinceps aliqui assumantur ad magisterium studii, baccalaureatum vel regentiam nisi idonei, non antiquitatis vel professionis ratione pensata,

sed longo usu docendi et legendi periti. Qui vero in hoc munere docendi fuerint egregii, etiam causa praelaturae, a studio non revocentur.

Declarationes.

Declaramus admodum reverendos patres provinciales nullatenus posse dispensare super ordinationibus, praeceptis et censuris contra fratres habentes amicitiam cum monialibus, ac ab eis accipientes munera et litteras; et quod reverendus provincialis ad huiusmodi scandala tollenda maxime invigilet et ad dirimendas omnino huiusmodi amicitias.

Declaramus etiam conventum nostrum s. Mariae super Minervam exoneratum ab onere persolvendi quotannis ducatos quinquaginta admodum reverendo patri procuratori ordinis pro tempore, nisi subsit aliqua occulta iusta causa, quae huic nostro decreto contradicat.

Declaramus etiam locum admodum reverendi patris commissarii s. Inquisitionis in Urbe esse immediate post admodum rev. patrem provincialem Romanum, cum in Urbe commorari contigerit, et post alios provinciales, quum ad alias provincias proficisci eum oportuerit.

Declaramus in provincia Trinacriae fr. Paulum Rao de Millacio esse verum et legitimum filium conventus Millacii, quem etiam, quatenus opus est, de novo in eodem conventu affiliamus.

Denuntiationes.

Denuntiamus omnibus fratribus nostri ordinis, fuisse in hoc capitulo generali canonice et legitime magno patrum consensu electum in generalem magistrum nostri ordinis reverendissimum patrem sacrae theologiae professorem fr. Paulum Constabilem Ferrariensem (1) ex magistro sacri Palatii assumptum, eundemque sanctissimo domino nostro papae Gregorio XIII. solemniter oblatum et ab eo hilari vultu exceptum et acceptatum fuisse.

Denuntiamus eundem sanctissimum dominum nostrum papam Gregorium XIII. in memoriam et gratiarum actionem admirabilis illius victoriae habitae contra Turcas, obtentae prima dominica mensis Octobris, festum Rosarii de sanctissima domina nostra eodem die sub toto duplici ad instar aliarum festivitatum eiusdem instituisse et ubique in ecclesiis, ubi dicta sancta societas adest, celebrari demandasse. Officio vero Nativitatis uti iubemus, mutato nomine Nativitatis in nomine solemnitatis, repudiantes omne aliud officium de hac solemnitate quomodocumque institutum et impressum; inhibentes omnibus fratribus et sororibus, ne aliter persolvant huius solemnitatis officium, quam ut praemissum est.

Admonitiones.

(1) De fr. Paulo Constabili cf. supra pag. 190.

Admonemus admodum reverendos patres provinciales, quod, si qui iuvenes reperti fuerint insolentes, temerarii et inobedientes contra suos superiores, poenae gravioris culpae eos subiiciant; si qui autem patres, etiam graduati, in huiusmodi illis favere ausi fuerint, eadem poena puniantur, nec possint ad suos gradus restitui nisi per reverendissimum magistrum ordinis vel capitulum generale.

Admonemus omnes fratres nostri ordinis tam praelatos quam subditos, ut memores sint, quam maxime fieri possibile est, servare nostras constitutiones, et praelati, quos viderint negligentes et culpabiles, severe puniant iuxta poenas in eisdem constitutionibus taxatas.

Admonemus reverendos provinciales, quod, si reverendos inquisitores in priores eligi contigerit, non confirmentur nisi consulto reverendissimo generali magistro ordinis, ne forte sanctum inquisitionis officium impediatur.

Admonemus etiam reverendos provinciales, ne aliquos fratres ad Urbem venire permittant nisi ex gravissima causa et pro negotiis religionis. Committimus autem reverendissimo magistro ordinis, ut si invenerit ex alia causa, quam ut praefertur, aliquos fratres ad Urbem advenisse, illos graviter puniat et ad suas provincias redire constringat.

Admonemus et in domino plurimum hortamur sanctimoniales omnes nostri ordinis in terris haereticorum degentes, praesertim sanctimoniales s. Margaritae et s. Nicolai in Undis in civitate Argentina, necnon et sanctimoniales in Hochim prope Wormatiam, et etiam sanctimoniales Moringenses, quatenus firmiter et constanter in fide catholica et sancta conversatione perseverent, quod hactenus eas fecisse, maxima cordis nostri exultatione accepimus.

Admonemus congregationis nostrae Aprutinae patres, prout in praecedenti capitulo factum est, ut summo studio reformationem ad maiora incrementa perducant, concedentes eis, ut valeant ex provincia Romana duos vel tres fratres accipere, ut alias statutum est, quo facilius dictam reformationis congregationem promovere possint.

Ordinationes.

Ordinamus omnibus et singulis nostri ordinis, cuiuscunque gradus et conditionis existant, quod nullo modo de caetero deferre audeant tunicas nisi ex communibus pannis, ut uniformitas in vestitu appareat et non potius vanitati et luxui deservire videantur.

Ordinamus etiam, quod nullus frater aut soror nostri ordinis, cuiuscunque gradus aut conditionis existat, uti debeat coclearibus et instrumentis aureis vel argenteis vel etiam ex lapidibus preciosis sive in mensa sive in cingulis sive in cultris et gladiatorum vaginis sive quomodolibet alias. Qui autem huius nostrae ordinationis transgressores reperti fuerint, eisdem instrumentis omnino priventur, et communitati applicentur.

Ordinamus, ut nullus deinceps promoveatur in magisterium sacrae theologiae sive baccalaureatum, nisi suae provinciae petitionem habeat; qua etiam obtenta, non nisi praemisso riguroso examine per quinque examinatores et per vota secreta ad huiusmodi gradus admittatur; quod quidem inviolabiliter ubique in nostro ordine et specialiter in conventu nostro Parisiensi servari volumus. 5

De magistro autem studentium ordinamus, quod nullus ad huiusmodi officium admittatur, nisi prius legerit integrum cursum artium et sacrae theologiae per biennium, ubi tamen commode hoc observari potest. In omni autem conventu, ubi sunt iuvenes, aliqua lectio artium habeatur. 10

Ordinamus etiam, quod quando aliquis frater moritur prior in alio conventu, cuius non est filius, teneatur etiam ille conventus, in quo erat prior, ad suffragia pro eius anima, non obstante quod bona illius omnia ad conventum pertineant, cuius est filius. 15

Ordinamus, quod iuvenes non mittantur ad sacros ordines suscipiendos nisi conformiter ad sanctiones sacrosancti concilii Tridentini tam circa aetatem quam etiam circa mores et sufficientiam litterarum; et praelati, qui in hoc negligentes et culpabiles reperti fuerint, in poenam a suis officiis absolvantur. 20

Ordinamus, quod in nostro ordine deinceps non fiant translationes filiationum de uno conventu ad alium nisi per vota secreta; praelatos autem nullo modo volumus recipi posse in filios conventuum, quorum sunt praelati, quamdiu praelationis officio funguntur, etiam si habuerint omnia vota. 25

Ordinamus etiam et omnino servari volumus, quod priorissae et suppriorissae in monasteriis nostri ordinis nullo pacto post expletum immediate earum officium in eodem monasterio eligi possint, irritum decernentes, quicquid secus factum fuerit.

Ordinamus etiam, quod lectores in universitatibus legere teneantur saltem per novem menses, et quod nullo pacto facere possint vacantias nisi a festo sancti Iohannis Baptistae usque ad festum sanctae Crucis mensis septembris propter nimium calorem; alioquin non computentur lecturae eorum ad cursus peragendos pro forma et gradu magisterii. 30

Ordinamus, quod nullo modo de caetero instituantur vicarii conventuum in capite supra priores nisi ex urgentissima causa, significata reverendissimo magistro ordinis generali. 35

Ordinamus etiam, quod infamantes fratres et praelatos suos ad quodcunque tribunal sive ecclesiasticum sive seculare sive apud quascunque alias personas omnino secundum nostrarum constitutionum seriem puniantur. 40

Ordinamus etiam et statuimus, quod nullus frater nostri ordinis discurrere audeat extra conventum aut provinciam suam sine litteris admissoriis suorum superiorum. Provinciales autem et priores, ad quos huiusmodi vagabundi declinaverint sine huiusmodi litteris et obedientiis, 5 eos in carceribus includant et punitos ad suos conventus aut provincias redire compellant.

Ordinamus etiam et statuimus gravissime esse puniendos detractores, etiam si vera dicerent, contra ordinem charitatis, puniendos inquam usque ad poenam gravioris culpae inclusive, si praelato de consilio patrum pro rei gravitate ita visum fuerit. Si qui autem de superioribus 10 suis crimina, quae probari non poterunt, evulgare praesumpserint, volumus eos per triennium carcerali custodiae mancipari.

Ordinamus etiam pro provincia Franciae ad eius petitionem, quod confessarii monialium ad libitum provincialis removeri possint ab officio 15 confessarii, revocantes praesenti statuto quascunque litteras huiusmodi confessariis admodum concessas.

Ordinamus, ut omnes fratres provinciae Dalmatiae, qui modo reperiuntur in provincia Lombardiae, etiam in ea affiliati, redeant ad provinciam suam Dalmatiae, exceptis iis qui sunt pro studio in eadem provincia.

Ordinamus etiam, quod in insula Melitae provinciae Trinacriae duo 20 conventus, qui ibi sunt, videlicet sanctae Mariae de la Grutta in civitate veteri eiusdem insulae et Nuntiatae in suburbio eiusdem solvant singuli singulis annis ducatos centum pro quolibet conventu, ita quod accipiant summam ducatorum biscentum in quolibet anno pro constructione novi 25 conventus, qui erigitur ibidem in civitate nova, cui nomen Valletta. Mandantes prioribus praedictorum conventuum civitatis veteris et suburbii sub poena absolutionis ab eorum officiis, ut omnino singulis annis solvant praefatam ducatorum summam.

Ordinamus, quod, quando celebratur capitulum provinciale in quavis 30 provincia nostri ordinis, durante capitulo omnia festa, quae intervenierint in dicto tempore sive simplicia sive trium lectionum celebrentur sub festo duplici propter capituli solemnitatem et concursum fidelium ad ecclesias nostras.

Ordinamus, quod, qui legerunt artes in facultate Parisiensi, caeteris 35 praeponantur in promotionibus theologicis, decernentes irritas esse nominationes, si contravenerint.

Ordinamus in provincia Hispaniae, quod in controversia et lite inter conventum Salmantinum, Toletanum et Burgensem circa praecedentiam inter eos, servetur sententia lata per reverendissimum patrem generalem 40 ordinis olim bonae memoriae fr. Seraphinum Cavalli Brixien., et sicut etiam fuit decretatum in capitulo provinciali Victoriensi.

Ordinamus in provincia utriusque Lombardiae ad eius petitionem, ut si forte in eodem conventu fuerint plures fratres germani secundum carnem, vel duae moniales sorores in eisdem conventibus ac monasteriis, non possint sibi invicem in provincialatu et prioratu vel supprioratu immediate succedere, sed semper mediet aliquis alius vel alia in huiusmodi 5 officiis.

Ordinamus in provincia Provinciae, ut bona et proventus, quae in dies recipiuntur a conventibus desolatis in eadem provincia, debeant retineri et conservari penes priores conventuum, qui sunt proximiores dictis conventibus desolatis, et sic in depositum erunt, quoad usque fuerit deter- 10 minatum, quid agendum sit de eis per reverendissimum magistrum ordinis.

Item ad evitanda scandala, quae in dies emergunt ob receptionem fratrum regalis conventus sancti Maximini exulum, qui decreto Aquensis parlamenti ad conventus eiusdem provinciae mittuntur, ordinamus, ne deinceps in illis conventibus recipiantur, non obstante eiusdem parla- 15 menti decreto, sed obedientiae ordinis, ut par est, subiiciantur; quod executioni mandandum et observandum inviolabiliter praecipimus et ordinamus.

Ad tollenda quamplurimum scandalorum et peccatorum seminaria et ea, quae spirituali profectui afferunt impedimenta, volumus amicitias fra- 20 trum nostrorum cum monialibus tam nostri quam alterius ordinis et e contra prorsus esse abolitas et sublatas. Et providere volentes, ne ullae omnino in posterum contrahantur, ordinamus et praecipimus sub poena gravioris culpae ipso facto incurrenda, ne quis accedere possit ad monasteria monialium praedictarum nec litteras vel munuscula qualiacun- 25 que tam per se quam per interpositas personas eis mittere vel ab eis missa recipere; et si quando missam celebrandi seu praedicationis gratia aliquis ad monasterium missus fuerit, sub eadem poena mandamus, ne cum monialibus loquatur, facultates omnes et singulas hactenus cuicun- que datas a quibuscunque nostri ordinis praelatis etiam a reverendissimis 30 generalibus magistris ordinis praeteritis de accedendo, scribendo, alloquendo, mittendo munera, nuntios et litteras monialibus, vel ab eis missa recipiendo revocamus et revocata esse denuntiamus, exceptis reverendis provincialibus, visitoribus, confessariis, in iis duntaxat, quae ad curam regiminis dictorum officiorum spectant, et exceptis etiam consanguineis 35 usque ad secundum gradum inclusive, quibus conceditur, ut de licentia suorum praelatorum possint aliquando, sed raro ad monasteria accedere et cum ipsis tantum loqui; vel si concedatur illis, ut cum aliis loqui possint, nullo pacto tamen valeant cum ipsis amicitias contrahere, alioquin huius nostrae ordinationis rei et transgressores censeantur et pu- 40 niantur.

Ordinamus et districte prohibemus priori conventus Parisiensis nec-
 non et suppriori dicti conventus in eius absentia, idque sub poena ab-
 solutionis ab officiis, quam nunc pro tunc incururos decernimus, ne in
 vocando consilio eos tantum convocent, qui sunt de congregatione, sed
 5 universos, qui sunt a consiliis eiusdem conventus, sive sint de provincia
 sive de extraneis, etiam si pertractanda sint negotia, quae immediate ad
 congregationem ipsam pertineant. Inhibentes etiam omnibus, qui sunt de
 corpore consilii, ne talibus congregationibus clandestinis assistant sub
 poena privationis suorum graduum.

Acceptationes.

10 Acceptamus in provincia Hispaniae conventus s. Andreae de Merida,
 s. Dominici de Villalpando, s. Dominici de Tavera, s. Dominici de Soria,
 cui conventui damus in priorem praesenti statuto ven. p. fr. Alphonsum
 de Xizon, praedicatorum generalem et vicarium eiusdem conventus.

15 In provincia utriusque Lombardiae acceptamus locum s. Mariae Gra-
 tiarum de Macerata.

In provincia Regni acceptamus haec loca, videlicet s. Mariae Vallis
 de Bomitu, s. Georgii de Afragola, s. Mariae de Octaviano, s. Mariae
 Annuntiatae de Mileto, s. Mariae de Rosario de Monte Herculano, s. Ma-
 20 riae Sanitatis de Neapoli.

In provincia Aragoniae acceptamus et erigimus in universitatem con-
 ventum Callataiubii, cum omnibus gratiis et privilegiis huiusmodi aliis
 universitatibus concessis.

25 In provincia Trinacriae acceptamus et erigimus in universitatem
 conventum s. Dominici de Messana; in qua universitate sit et debeat esse
 studium generale sacrae theologiae et artium cum omnibus gratiis et pri-
 vilegiis ac immunitatibus, prout in aliis universitatibus fieri consuevit.
 Et rev. pater generalis provideat de officialibus; acceptantes officium
 magistri studentium p. fr. Vincentii de Ayrola in studio Panormitano, ita
 30 quod computetur ad suos cursus peragendos.

In provincia s. Antonini de novo regno Indiarum maris Oceani ac-
 ceptamus et erigimus in universitatem conventum s. Mariae de Rosario
 in civitate de sancta Fe cum iisdem gratiis et privilegiis consuetis.

35 In provincia Linguae Occitanae acceptamus monasterium monialium
 s. Iohannis Veteris, alias s. Verani sub cura rev. provincialis eiusdem pro-
 vinciae in civitate Avenionensi. In eadem provincia acceptamus locum in
 oppido s. Felicis dioecesis Tholosanae pro construendo conventu ad volun-
 tatem reverendissimi domini archiep. Tholosani electi domini de Fuschio.

40 In congregatione Indiarum provinciae Lusitanae in Monsanbrique
 acceptamus domum dominae nostrae de Rosario; item in partibus Da-
 mam domum Maim invocationis boni Iesu.

Commissiones.

Committimus reverendissimo patri generali facultatem approbandi, confirmandi ac roborandi per actum publici notarii contractus quosdam factos inter conventus Pontiniacensem, Divionensem et seculares quosdam in provincia Theutoniae.

Committimus etiam reverendissimo patri nostro, ut si in visitatione invenerit vicariam sancti Petri Martyris ad meliorem frugem in vita regulari profecisse, possit illam in provinciam erigere et reverendo vicario dictae vicariae provincialatus titulum concedere.

Concessiones.

Concedimus provinciae Hispaniae ad eius petitionem, quod postquam prior aliquis provincialis illius provinciae functus fuerit officio suo, tempusque durationis officii fuerit transactum, vel non finito hoc tempore ipsum priorem provincialem mori vel amoveri contigerit, non possit alius in priorem provincialem eligi, qui sit filius legitimus vel adoptatus eiusdem domus, cuius erat praecedens prior provincialis, usquequo ex aliorum conventuum vel domorum alii duo sint successive electi in priores provinciales et confirmati, et ambo et quilibet eorum per aliquod tempus sint functi suis officiis in illa provincia.

Concedimus eidem provinciae ad eius etiam petitionem, ne in eodem capitulo provinciali eiusdem provinciae possint esse duo diffinitores filii legitimi aut adoptati eiusdem domus vel conventus. Et quod nullus ex diffinitoribus possit esse filius legitimus aut adoptatus illius domus aut conventus, cuius prior provincialis aut vices eius tenens est filius, sed omnes quinque locum habentes in diffinitorio, differentium conventuum sint filii.

Concedimus eidem provinciae ad eius petitionem, quod non possint exponi ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii inclusive ex filiis legitimis aut adoptatis eiusdem conventus plures quam tres praeterquam ex conventu Salmantino, ex cuius filiis propter maiorem eorum numerum possint exponi quatuor. Et similiter quod non possint exponi ad legendum sententias pro gradu et forma magisterii exclusive ex filiis legitimis aut adoptatis eiusdem conventus plures quam sex praeterquam ex conventu Salmantino, ex cuius filiis propter illam causam possint exponi octo. Et similiter quod non possint creari in praedicatores generales ex filiis alicuius domus legitimis aut adoptatis plures quam sex. Quod si nunc plures sunt magistri vel praesentati aut praedicatores generales ex filiis legitimis aut adoptatis alicuius conventus, non possint plures exponi aut creari ex filiis talis conventus, quousque ad dictum numerum redigantur; et tunc sic redactis, alii possint exponi vel creari, dummodo dictus numerus non excedatur.

Concedimus eidem provinciae ad eius etiam petitionem, quod quia numerus conventuum illius provinciae magnus est et similiter numerus conventuum, in quibus studia generalia extant, quod liceat plures magistros et praesentatos creari in illa provincia, ita quod sint sexdecim
5 magistri et non plures, et triginta sex praesentati et non plures, et quod ex his praesentaturis quatuor sint assignatae pro praedicatoribus, hac forma servata, quod mortuo uno praedicator occupante aliquam praesentaturam ex illis quatuor signatis pro praedicatoribus, alius praedicator eligatur in illam praesentaturam. Nullus tamen ex praedicatoribus eli-
10 gatur in aliquam praesentaturam ex illis triginta duobus, quae pro lectoribus debent esse assignatae secundum acta huius capituli generalis.

Concedimus provinciae Franciae ad eius petitionem, quod provincialis deinceps sint sexennalis, et quod capitula de triennio duntaxat in triennium futuris temporibus a celebratione futuri capituli celebrentur,
15 ita ut anno futuro 1581 celebrato provinciali capitulo sequens nullatenus celebretur, nisi tribus annis completis elapsis scilicet anno 1584, et sic deinceps fiat.

Concedimus provinciae Regni, ut studentes formales studii Neapolitani, qui compleverunt vel attigerunt triennium in eodem studio, examinentur iuxta breve apostolicum concessum eidem provinciae pro lectoratus officio acquirendo.
20

Concedimus provinciae Aragoniae ad eius petitionem, quod lectores, qui cathedras secularium regunt, privilegiis gaudeant, quibus alii lectores in ordine gaudent, et computetur eorum lectura ad cursus pro gradibus
25 suscipiendis.

Concedimus eidem, quod conventus non gaudent privilegiis universitatum, nisi sint duae lectiones sacrae theologiae et artium.

Concedimus provinciae Provinciae, quod modernus provincialis duret et perseveret in officio suo usque ad dominicam « Deus qui errantibus »
30 anni 1582.

Concedimus eidem provinciae Provinciae et provinciae Occitanae ad earum petitionem propter earum inopiam, quod intermittere possint capitula intermedia; hoc tamen concedimus durante hac inopia.

Concedimus rev. p. fr. Martino de Lesmos Lusitano (1) provinciae
35 Provinciae, ut possit denuo erigere et reparare conventum montis Pessulani, iam ab haereticis solo aequatum.

Concedimus etiam provinciae Germaniae inferioris, ut possit mittere fratres ad studendum ex sua provincia ad universitates aliarum provinciarum ordinis.

(1) De fr. Martino de Lesmos (Lemos) cf. supra pag. 185.

Concedimus eidem provinciae ad eius petitionem, quod priores et priorissae sint triennales; quo triennio expleto ipso facto sint absoluti a talibus officiis, quos praesenti statuto absolvimus et absolutos declaramus.

Concedimus provinciae s. Iacobi de Mexico Indiarum maris Oceani, quod vicarii domorum, quando capitulum provinciale et diffinitores, a quibus designantur et praeficiuntur, iudicaverint expedire, possint in eadem domo praefici et designari non solum una, sed pluribus vicibus immediate, nullo interiecto temporis spacio. Item concedimus, quod vicarii domorum de Cuyoacan et Deiyanguitlan designentur et nominentur a capitulo provinciali et diffinitoribus, sicut aliarum domorum vicarii uti-⁵ facere consueverunt, habeantque voces et suffragia in electionibus capitulorum sicut etiam alii vicarii, non obstante quavis alia ordinatione alias facta.¹⁰

Concedimus etiam eidem, quod omnes aliarum provinciarum filii, si in ipsa provincia se voluerint affiliare, pro hac vice dumtaxat facultatem capitulo provinciali, ut illos affiliet et recipiat in suos, etiam non¹⁵ requisito consensu illorum conventuum, quorum sunt filii.

Concedimus etiam eidem provinciae, quod vicarii domorum, quos provinciales ob mortem vel amotionem vicarii designant vel nominant, eandem in omnibus habeant auctoritatem, quam habent alii a capitulo²⁰ designati.

Concedimus ad petitionem eiusdem, quod si quando ob mortem vel amotionem provincialis vicarius generalis provinciae deberet esse prior vel vicarius conventus, in quo capitulum est celebrandum, tunc eo casu sit prior Mexicanus pro prima vice, pro secunda prior Antequerensis,²⁵ pro tertia vero prior civitatis Angelorum, et deinceps hac serie terminata reincipiatur a conventu Mexicano, ordine quo supra.

Concedimus etiam ad petitionem eiusdem, quod nullus frater insignitus gradu magisterii seu praesentaturae suo gaudeat loco et honore, nisi prius a provincia fuerit exceptus et acceptatus.³⁰

Item concedimus eidem, quod provincialis vel eius vicarius pro tempore possit aliarum provinciarum filios in ipsa provincia delinquentes punire et castigare habituque privare, servata tamen constitutionum forma, sicut potest filios suae provinciae sibi subditos.

Concedimus etiam eidem provinciae, quod provincialis et diffinitores capituli vel ipse provincialis et patres a consiliis s. Dominici de Mexico possint dubitationes, quae ex ordinationibus capitulorum generalium vel magistri generalis ordinis suboriri forte videbuntur, interpretari et declarare, dummodo scribant eidem reverendissimo generali de his, et usque ad rescriptionem seu secundam iussionem securi in conscientia³⁵ maneant.⁴⁰

Concedimus etiam eidem provinciae, quod provincialis possit assignare in dicta provincia eos, qui aliunde venientes volunt in ea remanere, quamvis consensum superiorum suorum ad hoc non deferant.

Concedimus in provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru reverendo provinciali, qui pro tempore fuerit, ut possit promovere fratres suae provinciae idoneos in magistros, non quidem provinciae aut ordinis, sed pro cathedris dumtaxat obtinendis et regendis in universitatibus regionis illius, qui tamen nullo magistrorum privilegio in nostro ordine interim gaudeant, nisi ut possint cathedras illas obtinere et regere.

Concedimus provinciae s. Antonini de novo regno Indiarum maris Oceani privilegia et gratias, quae et quas habent provinciae aliae de novo regno, videlicet quod provincialis electus ab antiquiore diffinitore capituli provincialis, in quo est electus, confirmetur vel cassetur.

Concedimus eidem, quod vicarii domorum designati a capitulo vel ab ipso provinciali habeant vocem in electione provincialium propter paucitatem prioratum, sicut concessum est provinciae sancti Iacobi de Mexico.

Item concedimus eidem, quod capitula provincialia intermedia praetermittantur et deinceps celebrentur de quadriennio in quadriennium propter magnam conventuum distantiam et Indorum pauperiem. Quod si forte aliqua de causa oportuerit congregari capitulum, eo casu provincialis cum patribus a consiliis unius vel duorum conventuum, quos ipse elegerit, tractet et agat ea, quae tractanda et agenda sunt absque concursu et accessu fratrum provinciae.

Concedimus conventui Parisiensi, ut possit assumere tam in priorem quam in regentes viros probatissimos et doctissimos ex toto ordine. Institutiones.

Instituimus omnes reverendos provinciales, qui peracto hoc capitulo generali explebunt tempus sui provincialatus, in vicarios suarum provinciarum, quousque prior provincialis futurus in suis provinciis fuerit electus, confirmatus et praesens in suis provinciis respective. Nolumus autem, ut vicarii sint electionum suorum eligendorum provincialium, nullo generato praeiudicio provinciis illis, quae aliquod super hoc privilegium habent seu breve apostolicum, suis enim volumus privilegiis uti.

Instituimus in provincia Hispaniae in praedicatores generales pro conventu Burgensi p. f. Bernardum de Guerra praesentatum et priorem sancti Petri Dominarum, pro conventu Compostellano p. f. Franciscum Velez rectorem collegii Vallis Oletanae, p. f. Illephonsum de Rosas praesentatum priorem Metinensem, pro eodem conventu p. f. Iohannem de Moraga priorem sanctae Mariae de Nyeva, pro conventu de Lugo p. f. Chrysostomum de Strada priorem Legionensem, pro conventu de Menda p. f. Di-

dacum Alderete priorem de Hyta, pro conventu de Arranda p. f. Iohannem Zavillos priorem de Ocania, pro conventu de Tallavera p. f. Antonium de Spinosa priorem de Tordesillas, pro conventu de Nyeva p. f. Georgium de Govea priorem de Trugillo, pro conventu sancti Iuliani p. f. Andream de Busto priorem de Estella, pro eodem conventu 5 sancti Iuliani p. f. Michaellem de Valmasera priorem de Tudela, pro conventu de Astorga p. f. Iohannem de Villa Franca priorem della Corrugna, pro conventu de Pontevedra p. f. Iohannem de Arcediano priorem de Burgo, pro conventu de Trianos p. f. Iohannem de Segovia (1), pro conventu de Panchori p. f. Petrum de Vera priorem de Villalon, pro conventu 10 de Ismeros p. f. Martinum Palomec ex conventu Abulensi, pro eodem conventu p. f. Thomam de Mendoza ex conventu Metinensi, pro conventu della Corugna p. f. Iohannem Ruiz ex conventu Beneventano, pro eodem conventu p. f. Iohannem Lopez (2) priorem de Medina de Rioseccho, pro conventu de Bettanzos p. f. Antonium Messiam ex conventu 15 s. Mariae de Atoccia, pro conventu de Biveno p. f. Ludovicum de Centellas ex conventu Civitatensi, pro conventu Guarda la Xara p. f. Iohannem de Salamanca ex conventu Complutensi, pro conventu s. Saturnini p. f. Andream de Pineda ex conventu sancti Sebastiani.

In provincia Regni instituimus in praedicatores generales p. f. Iohannem 20 Antonium de Urbino (3), p. f. Laurentium de Neapoli, p. f. Vincentium de Aoletta.

In provincia Dalmatiae instituimus in praedictorem generalem p. f. Innocentium de Pago.

In provincia Calabriae instituimus in praedicatores generales p. f. Antonium 25 de Montealto, p. f. Vincentium de Luca, p. f. Sebastianum de Cellata, p. f. Augustinum de Neocastro et p. f. Dominicum de Rossano.

In provincia Lusitaniae instituimus in praedicatores generales p. f. Franciscum Carvalho seniore, p. f. Iohannem de Cruce Dalfeziram.

In provincia Romana instituimus in praedictorem generalem p. f. 30 Nicolaum Lorinum de Florentia (4).

Revocationes.

Revocamus affiliationem p. f. Onuphrii de Corrigia (5) a conventu Cremonensi, prout per reverendissimum olim generalem magistrum ordinis per litteras patentes fuit revocata, illumque suo conventui originali 35 Parmensi in filium restituimus et restitutum declaramus.

(1) De fr. Ioanne de Segovia cf. SSOP. II, 311.

(2) De fr. Ioanne Lopez cf. l. c. pag. 474.

(3) De fr. Ioanne Antonio de Urbino cf. supra pag. 111.

(4) De fr. Nicolao Lorino de Florentia cf. SSOP. II, 406.

(5) De fr. Onufrio de Corrigia cf. supra pag. 179.

Revocamus ad petitionem provinciae Mexicanae, quod in capitulo Barchinonensi fuerat ordinatum, quod electiones prioris et provincialis et trium conventuum scilicet Mexicani, Antequerensis et Civitatis Angelorum alternis vicibus in posterum celebrentur, id est primo de naturalibus filiis provinciae et deinde de exteris et sic successive. Volumus enim, ut huiusmodi electiones semper fiant de propriis filiis provinciae vel de filiis aliarum provinciarum in ea pro filiatis et incorporatis, ita ut libere possit eligi, quem maluerint, et non alternatim sicut illis ante constitutum erat.

10 Revocamus p. f. Dominicum de Abrola ab officio visitationis provinciarum Indiarum volumusque, ut eo ipso quo provinciam novi Regni visitaverit, revertatur in Hispanias nec ultra progrediatur nec visitare possit provinciam Mexicanam nec provinciam de Chiappa; quod si ad illas accesserit, non admittatur, sed graviter puniatur.

15 Revocamus omnes licentias fratribus nostris concessas etiam a reverendissimis magistris generalibus ordinis praeteritis de absolvendo a casibus reservatis in nostro ordine praelatis ordinariis ac etiam de retinendis redditibus et pecuniis expendendis.

20 Revocamus omnes assignationes perpetuas in aliquo conventu, exceptiones etiam a praeceptis praelatorum inferiorum, et generaliter omnes licentias, quae statui vitae regularis repugnant.

25 Revocamus concessionem factam cuicumque provinciae nostri ordinis de festo Rosarii celebrando mense maii, sed omnes provinciae conformiter ad decretum sanctissimi domini nostri Gregorii XIII. prima dominica mensis octobris celebrare teneantur.

Restitutiones.

Restituimus provinciae Franciae conventum Leodiensem, unde ablatum fuerat a provincia Germaniae inferioris, consentiente iam huic restitutioni praedicta inferioris Germaniae provincia.

30 Restituimus conventum Pontis latoris provinciae Regni.

Restituimus conventus Carracena et de Tolum provinciae s. Antonini de novo Regno, revocantes quascunque concessionem quomodolibet alias factas.

35 Restituimus titulum provincialatus vicariae s. Dominici reddentibus pro illis testimonium quampluribus multum reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus de regulari eorum vita in conventibus dictae vicariae immo id asseverantibus coram Deo et sua reverendissima paternitate et toto diffinitorio, unde et vicario eiusdem nuper electo et confirmato videlicet rev. p. f. Hieronymo Bigarellae magistro provincialatus titulum 40 damus, litteris apostolicis felicis recordationis Clementis VII. innixi, cui tamen provinciae ultimum locum inter omnes provincias assignamus, ei

dantes omnes gratias, immunitates et privilegia, quibus gaudent caeterae provinciae nostri ordinis.

Restituimus in provincia Regni omnes poenas, quae fuerunt reservatae olim reverendissimo patri generali bonae memoriae magistro Seraphino Cavalli (1) et admodum rev. olim procuratori et vicario ordinis magistro Sixto Fabri (2).

Restituimus ad gratias ordinis in provincia Trinacriae p. f. Iacobum Martelli conventus Nazareni.

Restituimus in provincia Bethicae ad omnes et singulas gratias ordinis integraliter p. f. Franciscum Paulominum Paraga. 10

Restituimus in provincia Calabriae ad omnes gratias ordinis p. f. Thomam de Mayda.

Restituimus ad habitum et omnes gratias ordinis integraliter in provincia Mexicana fr. Christophorum Spinosam, quem remittimus ad provinciam Hispaniae, cui rev. provincialis eiusdem provinciae provideat 15 de conventu.

Translationes.

In provincia Franciae approbamus translationem filiationis p. f. Francisci Gorrazei (3) doctoris Parisiensis in conventu Viennensi. Item p. f. Odardi Godier in conventu Montis Bossonii a conventu Trecensi congregationis Gallicanae. 20

In provincia Romana transferimus p. f. Archangelum de Penna ad ipsam provinciam Romanam, a qua transferimus f. Hiacyntum Polonum ad provinciam Poloniae ad eius petitionem.

In provincia Regni approbamus affiliationem rev. p. f. Petri de Nuceria magistri et provincialis Regni in hoc capitulo generali ex conventu s. Petri Martiris ad conventum s. Dominici de Neapoli. Item filiationem p. f. Bartholomaei de Angelo (4) ex eodem ad eundem conventum. Item filiationem p. f. Andreae de Caserta a conventu s. Petri Martiris ad conventum s. Dominici. Transferimus a conventu Montis Dei ad conventum s. Dominici p. f. Hieronymum de Ponte Curvo (5), postquam prioratum, quem gerit in illo conventu, expleverit, et accedente maiori parte filiorum conventus. Transferimus eodem etiam modo p. f. Iordanem de Turre Herculea a conventu s. Petri Martiris ad conventum s. Dominici, ad quem conventum etiam transferimus eodem modo a praefato conventu s. Petri 35 Martiris p. f. Petrum Martirem priorem Puteolorum.

(1) De fr. Seraphino Cavalli cf. supra pag. 201.

(2) De fr. Sixto Fabri cf. l. c. pag. 196.

(3) De fr. Francisco Gorrazeo cf. l. c. pag. 68.

(4) De fr. Bartholomaeo de Angelo cf. SSOP. II, 269.

(5) De fr. Hieronymo de Pontecurvo cf. supra pag. 184.

In provincia Theutoniae transferimus p. f. Petrum Carpenturins a provincia Germaniae inferioris ad provinciam Theutoniae, et p. f. Ioannem Baptistam de Cosentia a provincia Calabriae ad superiorem Germaniae.

5 In provincia Aragoniae transferimus p. f. Iohannem Duram a conventu Valentiae ad collegium Oriolae, p. f. Gasparem Falco a conventu de Lucena ad conventum Aiore.

In provincia Bohemiae approbamus translationem filiationis p. f. Ludovici de Norito prioris Pragensis ex sua originali provincia Calabriae
10 ad provinciam Bohemiae, quem etiam licentiamus ad magisterium. Approbamus etiam filiationis translationem p. f. Petri Martiris de Exio a provincia utriusque Lombardiae ad provinciam Bohemiae, et p. f. Antonini de Taurino ex vicaria s. Petri Martiris ad provinciam Bohemiae.

In provincia Trinacriae transferimus p. f. Stephanum de Mottuca a
15 conventu Motucensi ad locum Flumariae de Muro. Item p. f. Blandanum Tabulum a conventu s. Mariae della Gruta ad conventum Annunciatae suburbii Melitae. Item p. f. Vincentium Melitensem ad locum Portus salvi civitatis novae Melitae. Approbamus etiam filiationem p. f. Iohannis Capelli magistri et p. f. Thomae de Bisbona (1) magistri et p. f. Francisci
20 Spuces (2), p. f. Vincentii de Bernardo, p. f. Benedicti a sex digitis et p. f. Ambrosii de Ligodia, p. f. Vincentii Vallonis, omnes ex suis originalibus conventibus ad conventum s. Dominici de Panormo. Item p. f. Egidii Baresii (1) magistri et p. f. Antonini de Randaccio a suis conventibus ad conventum s. Dominici de Messana, et p. f. Vincentii Agnonii
25 magistri, p. f. Hieronymi Leonetti, p. f. Gregorii Nespola (3) praedicatoris generalis a suis originalibus conventibus ad conventum s. Citae de Panormo, p. f. Thomae de sancto Angelo (1) a suo originali conventu ad conventum s. Hieronymi de Messana, p. f. Chrisostomi de sancto Angelo (4), p. f. Thomae de Caltanicettha praedicatoris generalis a suis conventibus ad conventum Neatinum, et f. Dionysium Hispanum a provincia
30 Hispaniae ad provinciam Trinacriae et conventum Cephaludensem. Transferimus etiam p. f. Franciscum de Rosa a provincia Regni ad provinciam Trinacriae et in filium conventus Neatini eiusdem provinciae.

In provincia Bethicae approbamus translationem filiationis p. f. Baldassaris de Ribera a provincia Hispaniae ad provinciam praedictam Bethicae, per iudices huius nostri diffinitorii bene inspectam et approbatam.
35

(1) De fr. Thoma de Bisbona, Egidio Baresio, Thoma de s. Angelo cf. supra pag. 107.

(2) De fr. Francisco Spuces cf. l. c. pag. 184.

(3) De fr. Gregorio Nespola cf. l. c. pag. 112.

(4) De fr. Chrysostomo de s. Angelo cf. l. c. pag. 185.

In provincia sancti Thomae transferimus p. f. Hieronymum de sancto Petro magistrum, p. f. Vincentium de Monopoli baccalaureum ad conventum sancti Rochi de Cirignuola, p. f. Antonium Riccii de Rutiliano ad locum s. Mariae de Rutiliano, p. f. Dominicum de Maioribus de Griptolis ad conventum Griptolarum, p. f. Jacobum de Neritono ad conventum Oritanum, p. f. Hieronymum de Martina ad locum Gioiae, p. f. Antoninum de Ostuno ad conventum s. Iohannis de Licio, et p. f. Gregorium de Griptolis ad conventum Griptolarum. 5

In provincia Calabriae transferimus p. f. Dionysium de Rossarno (1) magistrum a conventu Neocastri ad conventum Rossarni, p. f. Antonium de Trenta magistrum a conventu Roblani ad conventum Serrarum, p. f. Dominicum de Radicina a loco Ratiuriae ad conventum Surriani, p. f. Stephanum de Rossarno a conventu s. Georgii ad conventum Rossarni, p. f. Dominicum Riaccio a conventu Roblani ad conventum Pracanicae, p. f. Aurelium de Alto monte a conventu Altimontis ad conventum Cosentiae, p. f. Iohannem de Pirro a conventu Roblani ad conventum Philloccasii, p. f. Antonium de Bellocastro a conventu Cattanzarii ad conventum Neocastri. 10 15

Approbationes.

In universitate Parisiensi approbamus magisterium p. f. Iohannis Baryl (2) conventus Redonensis, p. f. Iohannis de Vernaz (2) conventus Polliniacensis, p. f. Michaelis Igicquet conventus Belvacensis, p. f. Petri Deodati (2) conventus Portae sanctae Mariae provinciae Tholosanae. 20

In lecturam sententiarum p. f. Iohannis Omenii (3) conventus Cheriensis, p. f. Iohannis Phly (3) conventus Ambianensis, p. f. Antonii Bertomier (3) Molinensis. Item baccalaureatum p. f. Iohannis de Soesson (3) conventus Compendiense, p. f. Iacobi Cavin (3) conventus Lingonense, p. f. Iacobi Pelissona conventus Argentomense, p. f. Iacobi Bonetti conventus Attrabatense, p. f. Gulielmi Iarnigon conventus Dinanense, p. f. Nicolai Botiscaum conventus Camutense, p. f. Petri Ragoth (3) conventus Lavallense, et p. f. Petri Antonii conventus Polliniacense. 25 30

In universitate Pictaviensi approbamus magisterium p. f. Francisci Paschasii conventus Belvacense, p. f. Iohannis Bonhome conventus Remense, p. f. Iacobi Pelletiez conventus Pruvinese, p. f. Iacobi Gillet conventus Polliniacense, p. f. Nicolai Flori conventus Aurelianense, 35

(1) De fr. Dionysio de Rossarno cf. supra pag. 190.

(2) De ffr. Ioanne Baryl, Ioanne de Vernaz (Vernois), Petro Deodato cf. l. c. pag. 141.

(3) De ffr. Ioanne Omenii, Ioanne Phly, Antonio Bertomier, Ioanne de Soesson, Iacobo Cavin, Petro Ragot cf. l. c. pag. 183.

p. f. Iohannis Sciarron conventus Remensis. Item baccalaureatum p. f. Nicolai Riccardii Catalonensis.

In universitate Bituricensi approbamus magisterium p. f. Germani Buthae et p. f. Sebastiani de Planxis.

5 In provincia utriusque Lombardiae approbamus magisteria admodum rev. p. f. Thomae Zobii Brixien. (1) commissarii generalis inquisitionis in Urbe, p. f. Iohannis Baptistae Clavennae de Mediolano inquisitoris generalis domini Veneti, p. f. Angeli Calepii Cyprii in hoc capitulo generali diffinitoris Graeciae, p. f. Iulii Doffi (2) inquisitoris generalis Mantuae,
 10 p. f. Iohannis Dominici de Vincentia huius capituli generalis provincialis Graeciae, p. f. Abundii de Como vicarii congregationis Ragusinae, p. f. Francisci de Forlivio, p. f. Iohannis Mariae de Salutiis inquisitoris Cremonensis, p. f. Angeli de Brayda provincialis Ungariae in hoc capitulo, p. f. Iohannis Gabrielis de Salutiis, p. f. Stephani Guaraldi de Cento (3)
 15 inquisitoris Comensis, p. f. Damiani de Cento inquisitoris Vicentini, p. f. Vincentii de Monte sancto (4) inquisitoris Faventiae, p. f. Iohannis Antonii de Floriano, p. f. Iulii de Cremona inquisitoris generalis Mediolani, p. f. Iacobi de sancto Angelo huius capituli provincialis utriusque Lombardiae, p. f. Alberti de Florentiola socii admodum reverendi patris
 20 commissarii, p. f. Nicolai de Ancona huius capituli provincialis Bohemiae, p. f. Ludovici Ugocini Ariminen. in hoc capitulo provincialis Terrae sanctae, p. f. Iohannis Bapt. Lancii de Regio (5) socii multum reverendi patris magistri sacri Palatii, olim procuratoris et vicarii ordinis, p. f. Angeli de Faventia inquisitoris generalis Ferrariae, p. f. Iohannis Baptistae
 25 de Bononia inquisitoris generalis Genuae, p. f. Iacobi de Lugo (6) inquisitoris Placentiae, p. f. Augustini Nicolutii de Faventia inquisitoris Veronae, p. f. Iohannis Mariae de Ancona.

In provincia Romana approbamus magisterium p. f. Vincentii Banchelli (7), p. f. Pauli de Cortonio regentis studii Perusini, p. f. Francisci
 30 Cottae Castillianen., p. f. Gregorii Gratiani de Sermoneta, necnon p. f. Petri Pauli Philippi de Castronovo, et quatenus opus est, magisterium ei ablatum restituimus, salvis semper legibus et iuribus suae provinciae.

Item baccalaureatum p. f. Hieronymi de Pirretto (7).

(1) De fr. Thoma Zobio cf. SSOP. II, 295.

(2) De fr. Iulio Doffo cf. supra pag. 319.

(3) De fr. Stephano Guaraldo de Cento cf. l. c. pag. 330.

(4) De fr. Vincentio de Monte sancto cf. l. c. pag. 371.

(5) De fr. Ioanne Baptista Lancio de Regio cf. l. c. pag. 322.

(6) De fr. Iacobo de Lugo cf. supra pag. 97.

(7) De fr. Vincentio Banchello et Hieronymo de Pirretto cf. l. c. pag. 143.

In provincia Regni approbamus magisterium p. f. Hieronymi Zancaglioni de Aversa.

In provincia Theutoniae approbamus magisterium p. f. Wilhelmi Genepaei (1) prioris Coloniensis in universitate Coloniae promotum. Approbamus etiam regentiam p. f. Guilhelmi de Quercu (2) in studio Coloniensi. Item baccalaureatum rev. p. f. Nicolai Riversheitt Bononiae promoti praesentis capituli generalis diffinitoris, p. f. Arnoldi Berengarii (3), p. f. Iohannis Buckelmirndt, p. f. Matthiae Noncsiani.

Item acceptamus et approbamus in praedicatores generales p. f. Iohannem Cossler, p. f. Stephanum Groeff priorem Treverensem, p. f. Nicolaum Welchenrod priorem Mergentheimensem, p. f. Henricum Wagnorum priorem Rottvilensem, p. f. Hieronymum Gulger priorem Gamundianum, p. f. Matthaem Deribler priorem Augustanum, p. f. Matthiam de Ilsburg, p. f. Conradum Zittardum (4) praedicatorem Viennensem.

In provincia Aragoniae approbamus magisterium p. f. Iohannis Martinez (5), fr. Hieronymi Alcamita, et rev. p. f. Francisci Aliman huius capituli generalis diffinitoris.

In provincia Provinciae approbamus magisterium et doctoratum rev. p. f. Iacobi de sancto Valerio in hoc capitulo generali provincialis, p. f. Dominici Galli (6), p. f. Martini de Lesmos (7), p. f. Honorati Robelli (8) ac p. f. Honorati Martini. Approbamus etiam baccalaureatum p. f. Thomae Cavadocii, p. f. Angeli Fafur (8), p. f. Umberti Barilli, p. f. Rolandi Stephani. Approbamus etiam in eadem provincia filiationes p. f. Dominici de Grangea (9) et p. f. Pauli Boetii in conventu Tarrasconensi.

In provincia Dalmatiae acceptamus magisterium rev. p. f. Pauli de Iadra in praesenti capitulo provincialis, et baccalaureatum p. f. Eustachii de Faro (10), p. f. Placidi de Iadra (11), p. f. Iacobi de Sibinicco huius capituli diffinitoris et p. f. Simonis de Iadra.

In provincia Trinacriae approbamus magisterium p. f. Alberti Pipi

(1) De fr. Guilelmo Genepaeo cf. supra pag. 106.

(2) De fr. Guilelmo de Quercu cf. l. c. pag. 181.

(3) Videtur esse idem ac Arnoldus Berigensis, de quo l. c. pag. 146.

(4) De fr. Conrado Zittardo cf. SSOP. II, 360.

(5) De fr. Ioanne Martinez cf. supra pag. 185.

(6) De fr. Dominico Gallo cf. l. c. pag. 180.

(7) De fr. Martino de Lesmos cf. l. c. pag. 205.

(8) De fr. Honorato Robelli et fr. Angelo Fafur cf. l. c. pag. 185.

(9) De fr. Dominico de Grangea cf. MOPH. IX, 329, 330.

(10) De fr. Eustachio de Faro cf. supra pag. 104.

(11) De fr. Placido de Iadra cf. l. c. pag. 145.

de Noto (1), p. f. Hieronymi Carra de Panormo (2), non tamen in praeiudicio generato suorum locorum. Item p. f. Francisci Agnogni, p. f. Vincentii Magis (3), p. f. Iohannis Capelli de Noto, p. f. Iohannis Petri Cortesii (4), p. f. Pauli Mago (5), p. f. Octaviani de Myrto (6), p. f. Dominici de Siracensis, p. f. Octaviani Corso (7), p. f. Eustacchii Fontanae et p. f. Thomae Pitthari de Messana.

In provincia Portugalliae approbamus magisterium p. f. Simonis de Luce (8) et baccalaureatum p. f. Stephani de Assumptione, p. f. Gasparis de Salvatore. Approbamus etiam in praedicatores generales p. f. Laurentium de Mello (9), p. f. Emanuellem de sancto Marcello, p. f. Sebastianum Varellam, p. f. Petrum Carvalho, p. f. Dominicum de Coymbra, p. f. Lupum de Sousa, p. f. Bernardinum de Almeyda, p. f. Hieronymum Borges, p. f. Iohannem Bezzeram, p. f. Iohannem de Cruce, p. f. Franciscum de Carvalho iuniorem, p. f. Dominicum de Abraha, p. f. Gasparem de Lorema et p. f. Cosmam de Costa.

Et in congregatione Indiarum eiusdem provinciae p. f. Vincentium de Guadalupe.

In prov. Bethicae approbamus magisteria p. f. Petri de Gusman (10), p. f. Bartholomaei de Miranda (11), p. f. Vincentii de Guerra (12), p. f. Alvari de Malgeso, et praesentaturam p. f. Alphonsi Pescadoris.

In provincia s. Thomae approbamus magisterium p. f. Thomae de Castellaneta (13), p. f. Augustini de Ferrandina (13), p. f. Hieronymi de Tarento (14), p. f. Iohannis Vincentii de Castellaneta, p. f. Francisci de Martina (15), p. f. Vincentii de Rupis, p. f. Camilli de Monopoli (16), p. f. Iohannis Baptistae de Medunio (17), p. f. Antonini de Tarento (16),

(1) De fr. Alberto Pipi de Noto cf. supra pag. 107.

(2) De fr. Hieronymo Carra de Panormo cf. l. c. pag. 140.

(3) De fr. Vincentio Magis cf. l. c. pag. 184.

(4) De fr. Ioanne Petro Cortesio cf. l. c. pag. 181.

(5) Videtur esse idem ac Paulus Manghus, de quo l. c. pag. 107.

(6) De fr. Octaviano de Myrto cf. l. c. pag. 140.

(7) De fr. Octaviano Corso cf. l. c. pag. 142.

(8) De fr. Simone de Luce cf. l. c. pag. 181.

(9) De fr. Laurentio de Mello cf. l. c. pag. 74.

(10) De fr. Petro de Gusman cf. l. c. pag. 181.

(11) De fr. Bartholomaeo de Miranda cf. SSOP. II, 321.

(12) De fr. Vincentio de Guerra cf. supra pag. 140.

(13) De fr. Thoma de Castellaneta et fr. Augustino de Ferrandina cf. l. c. p. 185.

(14) De fr. Hieronymo de Tarento cf. l. c. pag. 146.

(15) De fr. Francisco de Martina cf. l. c. pag. 110.

(16) De fr. Camillo de Monopoli et fr. Antonino de Tarento cf. l. c. pag. 142.

(17) De fr. Ioanne Bapt. de Medunio cf. l. c. pag. 143.

p. f. Thomae de Monopoli (1) et p. f. Ambrosii de Potentia. Item baccalaureatum p. f. Augustini de Licio (2) et p. f. Vincentii de Monopoli. Item approbamus in praedicatorem generalem p. f. Iohannem Dominicum de Castellaneta (3).

In provincia Calabriae approbamus magisterium p. f. Antonini de Trentis (4), p. f. Vincentii de Trentis, p. f. Pauli de Radicena (5), p. f. Dominici de Agrotterea (6), p. f. Ioseph de Cosentia (5), p. f. Thomae de Medollaria, p. f. Dominici de Roblano (7), p. f. Vincentii de Altomonte, p. f. Silvestri de Altomonte et p. f. Augustini de Cutis (8). Item approbamus baccalaureatum p. f. Dominici de Hieraccio. 5
10

In provincia s. Iacobi de Mexico approbamus magisteria p. f. Damiani de Pravia, p. f. Andreae de Ovilla, et praesentaturam p. f. Iohannis Ramirez (9). Item approbamus in praedicatores generales in eadem provincia p. f. Claudium de Villalovos pro conventu Civitatis Angelorum et p. f. Martinum de Zarate pro conventu Mexicano et p. f. Thomam de sancto Iohanne pro conventu Antequerensi sine praeiudicio suorum locorum. 15

In provincia Linguae Occitanae approbamus magisteria p. f. Ugonis Carlini (10) et p. f. Iohannis Baravuit in universitate Caturcensi. Item magisterium p. f. Iacobi de Palude (11), p. f. Matthei Bartholomei (12), p. f. Iohannis Maineri (12) in universitate Tholosana. Item baccalaureatum p. f. Iohannis Torneri (12) et p. f. Francisci Casalis (12) in eadem universitate. 20

In provincia sancti Dominici noviter erecta approbamus magisteria p. f. Gulielmi Ronconi de Civitato, p. f. Valerii Moschetti de Padua (13), p. f. Michaelis Angeli Donati de Padua, p. f. Iohannis Petri de Este (14), p. f. Hieronymi de Tarvisio (14), p. f. Bonifacii de Immola et p. f. Constantinum de Padua in praedicatorem generalem. 25

(1) De fr. Thoma de Monopoli cf. supra pag. 143.

(2) De fr. Augustino de Licio cf. l. c. pag. 111.

(3) De fr. Ioanne Dominico de Castellaneta cf. l. c. pag. 144.

(4) De fr. Antonino de Trentis cf. l. c. pag. 182.

(5) De fr. Paulo de Radicena et fr. Iosepho de Cosentia cf. l. c. pag. 144.

(6) De fr. Dominico de Agrotterea cf. l. c. pag. 100.

(7) De fr. Dominico de Roblano cf. l. c. pag. 185.

(8) De fr. Augustino de Cutis (Cuti) cf. l. c. pag. 146.

(9) De fr. Ioanne Ramirez cf. SSOP. II, 368.

(10) De fr. Hugone Carlini cf. supra pag. 182.

(11) De fr. Iacobo de Palude cf. l. c. pag. 190.

(12) De ffr. Matthaeo Bartholomaeo, Ioanne Mainero, Ioanne Tornero, Francisco Casale cf. l. c. pag. 186.

(13) De fr. Valerio Moschetto (Moschetta) de Padua cf. SSOP. II, 305.

(14) De fr. Ioanne Petro de Este et fr. Hieronymo de Tarvisio cf. supra p. 142.

In vicaria s. Petri Martyris approbamus magisterium p. f. Hieronymi Romani (1), et translationem filiationis eius ex vicaria Romana ad conventum Baldassaræ vicariæ s. Petri Martyris.

In vicaria Romana approbamus in prædicatores generales p. f. Benedictum Casellam de Reate, p. f. Iacobum de Mevania, et magisterium p. f. Stephani Ballistarii de Senis (2), p. f. Gregorii Lombardelli de Senis (3) et p. f. Simonis de Senis (4). Item baccalaureatum p. f. Thomae de Terracina, et p. f. Alberti de Reate (5).

Provisiones studiorum.

10 In studio Parisiensi provideat reverendissimus magister ordinis.

In provincia utriusque Lombardiæ in studio Bononiensi damus in regentem p. f. Benedictum de Monte Regali (6) magistrum, p. f. Iohannem Baptistam Clavennam de Mediolano magistrum, pro alio vero triennio p. f. Iacobum de Lugo (7) magistrum, in baccalaureum pro præsentis et
15 futuro anno p. f. Iohannem Baptistam de Genua, pro aliis vero duobus sequentibus annis p. f. Gabrielem de Venetiis magistrum, de magistro vero studentium provideat admodum rev. provincialis.

In provincia Romana damus in regentem in studio Perusino pro præsentis anno 1580, 1581 p. f. Paulum Cortonensem magistrum, pro
20 anno vero 1582 p. f. Vincentium Setharium (8) magistrum, in baccalaureum eiusdem pro anno 1580 et 1581 p. f. Antoninum Mattoncinum de Florentia lectorem, pro anno 1582 p. f. Laurentium de Fivizzano.

In provincia Regni damus in regentem usque ad sequens capitulum generale p. f. Aurelium de Balneolo (9) magistrum, in baccalaureum vero
25 p. f. Iohannem Paulum de Neapoli.

In provincia Poloniae provideat reverendus provincialis eiusdem provinciae.

In provincia Aragoniæ damus in regentem conventus Valentini p. f. Iohannem Vidalem (10) magistrum et priorem conventus, in primum
30 lectorem sacrae theologiae p. f. Vincentium Iustinianum Antistium (11), in secundum lectorem p. f. Hieronymum Almenara, in lectorem artium

(1) De fr. Hieronymo de Roma cf. supra pag. 111.

(2) De fr. Stephano Ballistario de Senis cf. l. c. pag. 109.

(3) De fr. Gregorio Lombardello de Senis cf. SSOP. II, 384.

(4) De fr. Simone de Senis cf. supra pag. 143.

(5) De fr. Alberto de Reate cf. l. c. pag. 142.

(6) De fr. Benedicto de Monteregali cf. l. c. pag. 106.

(7) De fr. Iacobo de Lugo cf. l. c. pag. 213.

(8) Videtur esse idem ac V. Sethi, de quo l. c. pag. 143.

(9) De fr. Aurelio de Balneolo cf. l. c. pag. 111.

(10) De fr. Ioanne Vidal cf. l. c.

(11) De fr. Vincentio Iustiniano Antist cf. SSOP. II, 325.

p. f. Franciscum Pallau, in magistrum studentium p. f. Hieronymum Mas, volentes, ut quamprimum aliqua lectio vacaverit, succedere debeat p. f. Hieronymus Baptista.

In conventu vero Barchinonensi damus in regentem p. f. Hieronymum Pons praesentatum, in primum lectorem sacrae theologiae p. f. Paulum Ginoves, in secundum p. f. Salvatorem Pons, in magistrum studentium p. f. Antonium Staper, in lectorem artium p. f. Petrum Iohannem Guasc (1).

In conventu Caesaraugustano damus in regentem et lectorem sacrae theologiae primum p. f. Hieronymum Savierre per triennium, in secundum p. f. Iohannem Perez praesentatum, in magistrum studentium p. f. Michaellem Laschos, in lectorem artium p. f. Augustinum Garsiam.

In conventu Callataiubii damus in regentem p. f. Iohannem Granadam (2) magistrum, in lectorem sacrae theologiae p. f. Didacum Rois, in lectorem artium p. f. Iohannem Martinez (2), in magistrum studentium p. f. Petrum Scyalez.

In conventu Corporis Christi de Lucena damus in regentem p. f. Ludovicum Mas (3), in secundum lectorem p. f. Matthiam Iordan, et in lectorem artium p. f. Iohannem Vidal lectorem.

In conventu Illerdensi damus in lectorem primum p. f. Vincentium Mattheum, in secundum p. f. Vincentium Bruno, in lectorem artium p. f. Mattheum Pusyades.

In conventu Maioricarum damus in lectorem theologiae p. f. Sebastianum Cases noves, et in lectorem artium p. f. Laurentium Malferir.

In provincia Trinacriae damus in regentem studii Panormitani p. f. Egidium Baresium (4) magistrum usque ad futurum capitulum generale, in baccalaureum autem p. f. Iohannem Petrum Garziam de Panormo usque ad capitulum generale etiam futurum, in magistrum vero studentium p. f. Ioseph Battilanum Marsalyensem pro primo et secundo anno, pro tertio p. f. Iacobum de Tauromenia.

In universitate autem Messanensi noviter erecta provideat reverendissimus pater generalis vel rev. pater provincialis de commissione et auctoritate eiusdem reverendissimi patris, prout iudicaverit expedire in hoc studiorum exordio.

In provincia sancti Thomae damus in regentem pro primo anno p. f. Angelum de Rubis (5) magistrum, pro duobus vero sequentibus annis

(1) De fr. Petro Ioanne Guasc cf. SSOP. II, 385.

(2) De fr. Ioanne Granada et fr. Ioanne Martinez cf. l. c. pag. 185.

(3) De fr. Ludovico Mas cf. l. c. pag. 68.

(4) De fr. Egidio Baresio cf. l. c. pag. 107.

(5) De fr. Angelo de Rubis cf. l. c. pag. 143.

p. f. Thomam de Castellaneta (1) magistrum, in baccalaureum vero pro primo anno p. f. Alexandrum de Gallipoli (2), pro secundo anno p. f. Antonium de Martina, pro secundo p. f. Alphonsum de Griptolis, pro tertio provideat reverendissimus.

5 In provincia Calabriae in studio Cosentino damus in regentem p. f. Nicolaum de Bissiniano baccalaureum, in baccalaureum pro primo et secundo anno p. f. Dominicum de Hieraccio pro gradu et forma magisterii, pro tertio anno p. f. Paulum de sancto Andrea (3), pro magistro studentium pro primo anno p. f. Andream de Petrapaula, pro secundo
10 p. f. Dominicum de Amigdalera, pro tertio p. f. Iohannem de Alto-
monte.

In provincia Linguae Occitanae in studio Tholosano damus in re-
gentem p. f. Iacobum de Palude (4) magistrum in hoc capitulo generali
diffinitorem, in baccalaureum pro forma et gradu magisterii p. f. Franci-
15 scum Casalis (5) et p. f. Iohannem Torneri (5) conventus Altvillararis. Ad
lecturam vero sententiarum ordinarie pro anno 1581 p. f. Antonium Bodet
conventus Albye, pro anno 1582 p. f. Gulielmum Vigorosum conventus
Carcassonensis et pro eodem anno extraordinarie p. f. Arnaldum Iacobi
et p. f. Raimundum des Vahus.

20 In studio Avenionensi damus in regentem p. f. Stephanum de La-
haye (6) magistrum et ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magi-
sterii p. f. Mattheum Donzelli (7) conventus Carpentoratensis, et p. f. Lu-
dovicum Levosteur conventus Argentomensis congregationis Gallicanae,
p. f. Petrum Tibaudi conventus Massiliensis pro anno 1582.

25 In provincia s. Dominici noviter instituta in studio Patavino damus
in regentem pro tribus annis a praesenti usque ad 1582 p. f. Alphonsum
Soto de Florentia (8) magistrum, in baccalaureum pro praesenti anno p. f.
Iohannem de Padua, in biblicum p. f. Paulum de Venetiis (9), in magistrum
studii p. f. Hippolytum de Venetiis, pro secundo anno 1581 in bacca-
30 laureum p. f. Petrum Martirem de Tamisio, in magistrum studii p. f. Li-
vium de Padua, in biblicum p. f. Hippolytum de Venetiis. Admittimus
etiam ad legendum sententias his duobus annis 1580, 1581 p. f. Tho-

(1) De fr. Thoma de Castellaneta cf. supra pag. 215.

(2) De fr. Alexandro de Gallipoli cf. l. c. pag. 184.

(3) De fr. Paulo de s. Andrea cf. l. c. pag. 146.

(4) De fr. Iacobo de Palude cf. l. c. pag. 216.

(5) De fr. Francisco Casale et fr. Ioanne Tornero cf. l. c.

(6) De fr. Stephano de Lahaye cf. l. c. pag. 108.

(7) De fr. Matthaeo Donzelli cf. l. c. pag. 186.

(8) De fr. Alphonso Soto de Florentia cf. l. c. pag. 109.

(9) De fr. Paulo de Venetiis cf. l. c. pag. 143.

mam de Pontecurvo baccalaureum pro provincia Regni, pro tertio anno 1582 in baccalaureos p. f. Hippolytum et p. f. Paulum de Venetiis, in biblicum p. f. Livium de Padua, in magistrum studii p. f. Marcum Antonium Seraphinum (1) a patre regente Bononiensi examinandum et pro hoc munere approbandum. Alias damus p. f. Sixtum de Venetiis. 5

In studio Theatino congregationis Apprutinae damus in regentem pro primo anno p. f. Paulinum de Luca magistrum, in baccalaureum p. f. Vincentium Fridericum, cuius approbamus baccalaureatum, in magistrum studii p. f. Leonardum de Perusio lectorem ex provincia Romana, pro secundo vero et tertio anno damus in regentem p. f. Vincen- 10 tium Fridericum, quem etiam nunc licentiamus ad magisterium, pro baccalaureatu p. f. Iohannem Baptistam Pantanum, quem etiam nunc licentiamus ad dictum gradum suscipiendum; de magistro studii providebit reverendissimus.

Licentiae promovendorum. 15

In provincia Hispaniae licentiamus ad praesentaturam pro legendis sententiis usque ad magisterium exclusive p. f. Martinum Guottierrez ex conventu Valle Oletano, p. f. Iohannem de sancto Petro praedicatorum generalem et priorem Compostellanum et vicarium nationis, p. f. Didacum de Martones ex conventu Burgensi, et p. f. Franciscum de Avila (2) 20 lectorem sacrae theologiae in collegio Valle Oletano, p. f. Didacum de Contreras ex conventu Segobiensi.

In provincia Regni licentiamus ad magisterium p. f. Thomam de Aversa (3) baccalaureum, p. f. Hieronymum Riccium de Neapoli baccalaureum, p. f. Paulum de Iuliano baccalaureum, p. f. Ioannem Baptistam 25 de Campania lectorem sacrae theologiae, ad baccalaureatum licentiamus p. f. Thomam Strotium lectorem, p. f. Andream de Caserta lectorem, p. f. Seraphinum de Neapoli lectorem, p. f. Thomam de Pontecurvo lectorem.

In provincia Theutoniae licentiamus ad magisterium p. f. Nicolaum 30 Riversheitt baccalaureum pro quacunque universitate, p. f. Arnoldum Beringarium baccalaureum; ad baccalaureatum vero p. f. Ruthgerum Feiichet studii Coloniensis.

In provincia Aragoniae licentiamus ad magisterium p. f. Antonium Linares (4) et p. f. Franciscum Lloriz (4), ad praesentaturam p. f. Cosmam 35 Dominghes, p. f. Iulianum Abraham, p. f. Raphaelem Risos, p. f. Paulum

(1) De fr. Marco Antonio Seraphino cf. SSOP. II, 406.

(2) De fr. Francisco de Avila cf. l. c. pag. 353.

(3) De fr. Thoma de Aversa cf. l. c. pag. 142.

(4) De fr. Antonio Linares et fr. Francisco Lloris cf. l. c. pag. 185.

Ginoves, p. f. Vincentium Mathrium, p. f. Salvatorem Pons, p. f. Michaellem Ribelles, p. f. Bartholomeum Micho (1), p. f. Iohannem Vincentium (2) et p. f. Ioseph Luchiam, qui secundum tempus statutum per breve apostolicum in provincia Aragoniae legerunt.

5 Licentiamus etiam in eadem provincia ad magisterium p. f. Antonium Font (3), p. f. Lucretium Guethae, p. f. Vincentium Iustinianum Antist, p. f. Ludovicum Stellam, p. f. Laurentium Ferrer et p. f. Hieronymum Xavierre (4) praesentatos, ita ut expleto tempore lectoratus quatuor annorum post praesentaturam in magistros damus..

10 In provincia Provinciae licentiamus ad magisterium in universitate Aquensi p. f. Umbertum Barilli, p. f. Rolandum Stephani (5) et p. f. Antonium Niellis. Item ad baccalaureatum licentiamus p. f. Paulum Berengarii, p. f. Iacobum Tornerii (6) et p. f. Bartholomeum Signoretti (7).

15 In provincia Dalmatiae licentiamus ad magisterium pp. ff. Eustachium de Faro (8), f. Placidum de Iadra (9), f. Iacobum de Sibinicco huius capituli diffinitoris, f. Simonem de Iadra, ad baccalaureatum f. Marcum Benaldum de Lesina.

In provincia Trinacriae licentiamus ad magisterium pp. ff. Iohannem Baptistam de Guillelmo Messanensem (10), f. Petrum Carentium Treppanensem, f. Hieronymum de Veria (11), f. Chrisostomum (12) et f. Hieronymum de s. Angelo (13), f. Petrum Martinum Cephaludensem, f. Iacobum Ciottam Treppanensem (14), f. Marcum Agrigentinum, f. Vincentium Sarnum Tauromenicensem, f. Angelum de Ragusa, f. Thomam de Costantia et f. Paulum de Leontino. Ad baccalaureatum autem licentiamus f. Iohannem Michaellem de Cathania, f. Eusebium Riccium Messanensem, f. Franciscum Spuches (15), f. Iacobum de Tauromenia, f. Thomam Praeconum Castriniensem, f. Bernardinum Tallaveram Melitensem,

(1) De fr. Bartholomaeo Micho cf. supra pag. 179.

(2) De fr. Ioanne Vincentio cf. SSOP. II, 315.

(3) De fr. Antonio Font cf. supra pag. 143.

(4) De fr. Hieronymo Xavierre cf. SSOP. II, 334 et supra pag. 218.

(5) De fr. Rolando Stephani cf. supra pag. 214.

(6) De fr. Iacobo Tornerio cf. l. c. pag. 142.

(7) De fr. Bartholomaeo Signoretti cf. l. c. pag. 190.

(8) De fr. Eustachio de Faro cf. l. c. pag. 214.

(9) De fr. Placido de Iadra cf. l. c.

(10) De fr. Ioanne Baptista de Guillelmo cf. l. c. pag. 104.

(11) De fr. Hieronymo de Veria cf. l. c. pag. 145.

(12) De fr. Chrysostomo de s. Angelo cf. l. c. pag. 211.

(13) De fr. Hieronymo de s. Angelo cf. l. c. pag. 184.

(14) De fr. Iacobo Ciotta Trepanen. cf. l. c. pag. 110.

(15) De fr. Francisco Spuches cf. l. c. pag. 211.

f. Iohannem Petrum Garsyam, f. Ioseph Butilanum, f. Hyppolitum de Veria (1), f. Olimpium de Cathania, f. Damianum de Melita (2), f. Vincentium de Marino Saccensem, f. Tiburtium Impro, f. Valerianum de Panormo, f. Hieronymum Iohennium, f. Dominicum lo Vecchio, f. Vincentium de Cimina, f. Paulum Gallo et f. Vincentium Maglia. 5

In provincia s. Thomae licentiamus ad magisterium p. f. Michaellem de Batulo, f. Vincentium de Trano (3), f. Iacobum de Brundusio, ad baccalaureatum f. Antonium de Martina, f. Alphonsum de Griptolis, f. Vincentium de Neritono, f. Vincentium de Vigiliis, f. Gregorium de Ferrandina, f. Andream de Andria, f. Thomam de Monopoli, et f. Con- 10
stantinum de Potentia baccalaureos.

In provincia Calabriae licentiamus ad magisterium pp. ff. Nicolaum de Bissiniano, f. Dominicum de Castilliono, f. Dominicum de Riollo, f. Vincentium de Agropterea baccalaureos; ad baccalaureatum f. Vincen- 15
tium de Blanco.

In provincia s. Dominici noviter erecta licentiamus ad magisterium pp. ff. Angelum de Venetiis (4), f. Silvium de Tamisio, f. Cherubinum de Cypro, f. Gabrielem de Padua, f. Petrum Martirem de Este (4) bac- 20
calaureos.

Assignationes studiorum. 20

In provincia Regni assignamus in studentes formales in studio sancti Dominici de Neapoli f. Marcum de Optato, f. Dominicum de Layno, f. Antoninum de Optato, f. Vincentium de Sarno secundum, f. Albertum Lationem de Neapoli, f. Aloysium de Aquino, f. Antonium de Somma, f. Antonium de Optato, f. Erasmum de Pontecorvo, f. Thomam de Ca- 25
stromaris, f. Vincentium de Neapoli, f. Thomam de Optato et f. Iohan-
nem Thomam de Ariano.

In studio Bononiensi pro eadem provincia f. Matthiam de Optato.

In studio Patavino pro eadem provincia f. Pium de Neapoli.

In studio Salmanticensi pro eadem provincia f. Thomam de Ca- 30
merota.

In studio Panhormitano pro eadem provincia f. Leonardum de Neapoli.

In studio Perusino pro eadem provincia f. Mattheum de Neapoli.

In studio Andrensi pro eadem provincia f. Gregorium de Candela. 35

In provincia Provinciae assignamus in studentes pro rata suae pro-

(1) De fr. Hippolyto de Veria cf. supra pag. 112.

(2) De fr. Damiano de Melita cf. l. c. pag. 77.

(3) De fr. Vincentio de Trano cf. l. c. pag. 183.

(4) De fr. Angelo de Venetiis et fr. Petro Martyre de Este cf. l. c. pag. 142.

vinciae in studio Barchinonensi, seu ubi reverendo provinciali illius provinciae visum fuerit, f. Antonium Mostol et f. Antonium Girandi.

In studio s. Pauli Vallisoleti, seu ubi rev. provinciali Hispaniae visum fuerit, assignamus in studentes pro rata suae provinciae f. Rainaldum Merte et f. Mattheum Maurum et f. Honoratum Lyons et f. Iohannem Arraudum.

In provincia Bethicae in studio Hispalensi, seu ubi rev. provinciali illius provinciae visum fuerit, assignamus pro rata suae provinciae f. Iohannem Brunum, f. Petrum Fornerii et f. Ioseph Bertrandi.

10 In studio Bononiensi assignamus pro eadem provincia p. f. Claudium Brizzerium, f. Iohannem Arnaudum et f. Franciscum Audefredum.

In provincia Trinacriae in studio Panhormitano confirmamus assignationem factam per admodum rev. vicarium ordinis in personam f. Vincentii de Roccasecca et, quatenus opus est, illum de novo in eodem
15 studio pro rata suae provinciae Regni assignamus.

In provincia Germaniae inferioris assignamus in studio Bononiensi pro rata suae provinciae f. Iob Pauli ex conventu Gandavensi et f. Iohannem Bossunt ex conventu Bruxellensi.

In provincia Calabriae assignamus in studentes formales in studio
20 Neapolitano pro rata provinciae et primo loco vacante p. f. Augustinum de Cosentia et p. f. Marcum de Cosentia.

In provincia Linguae Occitanae assignamus in studentem pro rata suae provinciae in studio Salmanticensi f. Iohannem Perini conventus Carpentoratensis.

25 In provincia s. Dominici noviter erecta approbamus assignationem f. Danielis de Tarvisio factam olim a multum rev. vicario ordinis in studio Bononiensi, et post completum studii f. Marci Antonii de Venetiis pro rata eiusdem provinciae assignamus f. Iohannem Baptistam de Padua in studio praefato Bononiensi; in conventu etiam sancti Dominici de Senis pro rata
30 dictae provinciae assignamus in studentem artium f. Gelasium de Utino.

Pro congregatione Ragusina assignamus pro primo loco vacante in studio Bononiensi f. Innocentium de Ragusio.

Approbantes privilegium huius congregationis, quod possint mittere patres illius congregationis unum ex suis patribus ad quaelibet studia
35 generalia.

Sententias iudicum approbamus.

Recepti ad gratias ordinis.

Recipimus et toto animo admittimus ad omnia et singula nostri ordinis spiritualia beneficia et suffragia et ad gratias et indulgentias talibus a sancta sede concessas et ad omnium horum communionem et
40 participationem :

Christianissimum Francorum regem Henricum tertium.

Serenissimum Bavariae ducem Gulielmum Palatinum.

Serenissimum archiducem Ferdinandum.

Serenissimum magn. Etruriae ducem Franciscum Medicen.

Serenissimum ducem Mantuae et Montisferrati Gulielmum Gonzagam, una cum serenissimis eius coniuge Eleonora Austriaca, Vincentio principe ac filia, valde ordini nostro affectos et benefactores.

Illustrissimum et excellentissimum principem Bisiniani.

Illustrissimum et excellentissimum ducem Montis alti.

Illustrissimum et excellentissimum ducem de Nuceria cum uxore, filiis et tota eius familia.

Illustrissimum et excellentissimum Marcum Antonium Columnam proregem Siciliae cum uxore, nuru, filiis et nepotibus.

Illustrissimum et excellentissimum principem Petrapraetiae proregem Regni Neapolitani cum coniuge.

Illustrissimum et excellentissimum ducem de Monte Leone et excellentissimam D. Hieronymam Columnam eius uxorem cum prole.

Illustrissimum et excellentissimum dominum de Gondi unum ex quatuor marescalchis Regni Franciae.

Illustrissimum et excellentissimum ducem Iuliacensem.

Illustrissimum et excellentissimum ducem de Cardona cum uxore et filiis.

Illustrissimos et excellentissimos principes Castri Veterani et Buttriae nostri ordinis benefactores.

Illustrissimum et excellentissimum Iohannem de Ivarra ducem Bovinensem et filios eius.

Illustrissimum et excellentissimum principem Conchae.

Illustrissimam marchionissam Laynae.

Illustrissimum Petrum Ludovicum Borgiam magistrum Montesii cum eius uxore Eleonora Manuel.

Perillustrem Alphonsum Borgiam cum Eleonora Horonna eius coniuge.

Illustrem comitem Cameratae.

Illustrem comitem Briatici.

Illustrissimum et reverendissimum d. archiep. Moguntinum.

Illustrissimum et reverendissimum Petrum de Gondi, episcopum Parisiensem.

Illustrissimum et reverendissimum archiepiscopum Messanensem nostri ordinis affectissimum.

Illustrissimum et reverendissimum episcopum Dertosensem.

Illustrem dominum de Montaudri archidiaconum Matisconensem.

Illustrem Stephanum de Pardessus, priorem sancti Benigni civitatis

Divionensis, generosos et illustres Octavianum et Philippum Fuggeros cum tota eorundem familia.

Illustrem Fabritium Valguorneram.

Suffragia pro vivis.

5 Pro sanctissimo domino nostro papa Gregorio XIII. quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo et serenissimo imperatore quil. sac. unam missam.

Pro christianissimo rege Francorum quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico rege Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam.

10 Pro serenissimo rege Poloniae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Morono, ordinis nostri protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Alexandrino quilibet sacerdos unam missam.

15 Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Iustiniano nostri ordinis viceprotectore quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis et reverendissimis dominis cardinalibus s. Inquisitionis quilibet sacerdos unam missam.

20 Pro serenissima regina Franciae Isabella Austriaca in regno Bohemiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo dominio Veneto quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo archiduce Carolo eiusque serenissima coniuge quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo duce Sabaudiae et eius prole quil. sac. unam missam.

25 Pro serenissimo duce Ferrariae et eius serenissima coniuge quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo duce Mantuae et Montisferrati quil. sac. unam missam.

Pro illustrissimo et excellentissimo duce Urbini quil. sac. unam missam.

Pro serenissimo principe Vincentio eius filio quil. sac. unam missam.

30 Pro regno Portugalliae, ut Deus concedat ei pacem et quietem, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et excellentissimo duce Parmae et eius prole quilibet sacerdos unam missam.

35 Pro excellentissima republica Genuensi et eius statu, ut a peste Deus eam eripiat liberetque quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo duce de Medina cum matre, uxore et filiis quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustri et generoso gubernatore civitatis catholicae Gravelincensis domino della Motte quilibet sacerdos unam missam.

40 Pro omnibus aliis principibus christianis, qui sub obedientia sanctae sedis apostolicae vivunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro alma Urbe, nobilibus et civibus eius quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris, iis maxime, qui praesenti capitulo eleemosinas contulerunt, et pro receptis ad beneficia ordinis per reverendissimum patrem generalem quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione nostri ordinis proque eius capite reverendissimo generali et sociis quilibet sacerdos unam missam. 5

Ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semel letaniae imponuntur et laicis viginti pater noster et ave Maria.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima sanctae et aeternae memoriae Pii V. quilibet sacerdos unam missam. 10

Pro anima illustrissimi domini Matthaei de Ursinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima illustrissimae dominae Isabellae Gonzagae marchionissae Pischariae quilibet sacerdos unam missam. 15

Pro anima reverendissimi p. f. Seraphini Cavalli (1) olim generalis magistri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam. 20

Pro animabus eorum, qui dum viverent, per litteras magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atque aliorum benefactorum quilibet sacerdos unam missam.

Clerici pro quolibet horum septem psalmos poenitentiales, laici triginta pater noster et totidem ave Maria. 25

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod sacerdotem nostri ordinis, alias ad confessionum audientiam expositum, patrem idoneum et probum sibi in confessarium semel tantum eligere et ab eodem de praeteritis usque ad praesentium notitiam casibus, peccatis, et censuris absolvi possint, a quibus sua reverendissima paternitas absolvere potest. 30

Mandamus acta capituli generalis huius impressa et ordinis sigillo munita per reverendos diffinitores ad suas provincias deferri debere, et per reverendos provinciales in suis provinciis, ut publicentur et observentur, curare et omnem operam dare. 35

Capitulum sequens, quod erit provincialium, assignamus Parisiis in conventu s. Iacobi congregationis Gallicanae, hinc ad triennium pro anno MDLXXXIII.

Fratres nostri ab haereticis interfecti.

(1) De fr. Seraphino Cavalli cf. supra pag. 210.

In provincia Theutoniae ab haereticis fuit interfectus miserrime p. f. Iacobus Tonger, confessor monialium in Rentingen anno 1578, qui animam suam ponens pro sororibus sibi concreditis, dum in fide et religione constantissime perseveraret ab ipsis haereticis militaribus primo multis ac diversis poenis afflictus, deinde bombardae solutione vitam finivit.

In provincia Provinciae p. f. Antonius Dulcius, sacerdos conventus Sedennae prope urbem Bussi fuit sclopetto et gladio confossus 1576, et frater Claudius Giomilloni conventus Cisteriaci diaconus.

10 In provincia Germaniae inferioris p. f. Martinus Faber conventus Valencenensis apud Malbodium Hannoniae civitatem multis vulneribus confossus est et in confessione fidei perseverans spiritum reddidit.

In provincia Linguae Occitanae p. f. Sebastianus Meuneti sacerdos et p. f. Raimundus Tiravilla sacerdos, ambo conventus Revelli, primo 15 gladio sunt percussi et postmodum in puteum cum multis fidelibus demersi 1577.

Pater frater Raimundus de Canneria sacerdos conventus Rivorum percussus iuxta muros villae Revelli sclopettis fuit occisus 1577.

20 P. f. Iohannes Coderici conventus Altvillarum ab haereticis in itinere fuit occisus.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
ET BEATISSIMAE SEMPER VIRGINIS MARIAE MATRIS EIUS
ET BEATI DOMINICI PATRIS NOSTRI
ET SANCTORUM AC SANCTARUM DEI.

25 *Haec sunt ordinationes factae a reverendissimo magistro generali totius ordinis praedicatorum fr. Paulo Constabili Ferrariensi Romae in conventu sanctae Mariae super Minervam anno MDLXXX. suprema auctoritate officii ac etiam apostolica auctoritate pro bono regimine suae congregationis Indiarum Orientalium.*

30 In deo filio sibi dilectis rev. patri vicario generali, conventuum ac locorum praesidentibus caeterisque omnibus et singulis fratribus nostrae congregationis orientalis provinciae Portugalliae ordinis praedicatorum f. Paulus Constabilis Ferrariensis sacrae theologiae professor ac totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus salutem et sacrosancti Iesu Christi domini nostri evangelii cum fervore inter gentes promulgationem.

35 Sicut maximo cum cordis nostri gaudio laetitiaque inenarrabili a reve-

rendo admodum olim provinciali vestro magistro f. Antonio de Sousa (1), nunc ordinis procuratore ac vicario nostro generali, et a reverendo patre praesentato f. Gaspare a Salvatore (2) procuratore vestro gloriosos labores vestros in nova illa apud Indos ecclesia perpessos ac praeclara facinora, in praedicatione et propagatione sacrosancti evangelii et conversione gentium cum fructuum ingenti copia narrantibus audivimus et exultavimus gratias agentes Deo, ita libenter et lubenter desiderii vestris ac piis petitionibus per praefatos reverendos patres nomine vestro expositis paterna, qua illos et vos omnes prosequimur charitate et benivolentia, annuimus et morem gessimus. Quapropter de maturo discretorum patrum ac dominorum cardinalium consilio et assensu infrascriptas ordinationes a vobis inviolabiliter observandas et concessionem, ea qua decet modestia, acceptandas facere et vobis concedere decrevimus, quibus omnibus et singulis tam ordinationibus quam concessionibus adiecimus apostolicae auctoritatis robur nobis vivae vocis oraculo a sanctissimo domino nostro Gregorio papa XIII. concessae.

Ordinationes.

In primis igitur ordinamus et ordinando nostri auctoritate officii et apostolica mandamus, ut quandocumque vicarium generalem congregationis Indiarum Orientalium mori contigerit, vel de summi pontificis licentia aut nostra Portugalliam versus navigare, vel ab inimicis captivari seu quovis alio simili casu impediri, ita ut dicta congregatio vicario et capite destituta iudicetur, succedat prior Goensis cum omni auctoritate et gratiis vicariis praefatae congregationis concessis, et ipso facto ab officio prioratus sit absolutus et ad maiorem cautelam a vicario D. Barbara vel, si ipse defuerit, a superiore eiusdem conventus Goensis absolvatur. At si dictus conventus priorem non habuerit, vocales eiusdem conventus statim eligant vicarium congregationis eo modo et ordine, quo priores eliguntur. Qui eo ipso ut electus fuerit, habeat administrationem sicut alii vicarii generales, quousque per provincialem Portugalliae provisum fuerit. Deinde vocales dicti conventus de more procedent ad electionem sui prioris.

Item ne dicta nostra Indiarum Orientalium congregatio non sine gravi periculo absque pastoris et moderatoris praesentia diu remaneat, ordinamus et volumus eius vicarium generalem quomodocumque legitime institutum in suo officio perdurare et perseverare, etiam mortuo vel amoto provinciali Portugalliae seu quovis alio superiori, a quo institutus fuerat, quousque per similem potestatem aliter provisum fuerit, decla-

(1) De fr. Antonio de Sousa cf. supra pag. 189.

(2) De fr. Gaspare a Salvatore cf. l. c. pag. 215.

rantes, quod licet per acta capituli provincialis vel generalis vel quascun-
 que patentes litteras cuiuscunque superioris nostri ordinis dictus vi-
 carius generalis absolvatur, et alius de novo instituat, antiquus nihi-
 lominus vicarius in suo officio perdurabit, quousque noviter institutus
 5 sit praesens in Indiana regione infra limites civitatis Cochim usque ad
 arcem Diu inclusive, nisi absolvatur sententialiter pro culpis; tunc enim
 publicata sententia, quae a reverendo provinciali Portugalliae dirigatur
 priori vel praesidenti conventus Goensis, censeatur absolutus et succe-
 dat, ut dictum est supra, in vicariatu prior Goensis, quousque alius
 10 vicarius electus vel eligendus sit praesens infra dictos terminos.

Ordinamus, quod vicarius sive prior de Malaca sit ex antiquioribus
 virtute, litteris et zelo praeditus et sit vicarius dispersionis et habeat iu-
 risdictionem et auctoritatem super omnes religiosos nostri ordinis ad illam
 regionem Malachensem navigantes vel in ea commorantes sive in insulis de
 15 Solor aut alibi, et illos mittere possit ad praedicandum gentibus, ex uno ad
 alium locum seu regionem mutare et destinare, revocare et etiam in Indiam
 mittere ratione scandali aut maioris boni, prout sibi melius visum fuerit,
 atque absolvere praesidentes et vicarios dictarum partium et novos creare,
 de quibus tamen rationem reddet vicario generali, quam citius poterit.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub
 20 formali praecepto reverendo vicario generali praedictarum Indiarum Ori-
 entalium, qui nunc est vel pro tempore fuerit, ut mittat de triennio in
 triennium ad minus aliquem dignum et zelatorem ordinis patrem cum
 omni necessaria auctoritate et potestate ad visitandum domum de Ma-
 25 lacha et fratres, qui sunt in insulis de Solor et quoscunque alios in illis
 partibus commorantes. Et si distincta fuerit via, ut esse poterit successu
 temporis, duos mittat, quorum principale intentum erit cum sociis tra-
 ctare de faciliiori modo conversionis gentium et de errorum reformatione,
 si quos habuerint, et scripto mandare fideliter et diligenter cum testi-
 30 monio fratrum et aliorum fidelium ibidem commorantium, recepto, si
 fieri potest per manus alicuius publici notarii, quicquid fructus vel bonae
 spei invenerint, maxime numerum noviter ad fidem conversorum, et
 omnia fideliter et quam primum ad reverendissimum magistrum ordinis,
 qui pro tempore erit, mittere. Curabit etiam praedictus vicarius sub eo-
 35 dem praecepto ad domum et fratres, qui sunt in Moncambique et per
 illam sylvam Aethiopissam visitatores idoneos supradicto modo mittere.

Eidem generali Indiarum Orientalium vicario mandamus, ut duos
 religiosos quotannis ad insulas de Solor ad minus mittat et laboret pro
 necessaria provisione ipsorum. Qui postquam ibi commorati fuerint per
 40 quatuor annos, libere possint in Malacham seu in Indiam de licentia vi-
 carii de Malacha vel visitatoris, si voluerint, redire.

Cum quilibet pastor teneatur pecoris sui, si potest per seipsum vultum cognoscere, dicto vicario itidem, ut laboret, districte iniungimus, personaliter sui officii tempore saltem semel visitare domum de Malacha; cui facultatem facimus substituendi aliquem idoneum, quem voluerit, qui sub nomine visitoris in omnibus vices eius in India gerat, dum absens et occupatus fuerit in praefata visitatione. 5

Curabit etiam antedictus reverendus vicarius generalis adiuvare pro posse reverendissimum episcopum Caldeum da Serra in reformatione christianitatis apostoli s. Thomae et ad hoc mittere religiosos zelantes, exemplares et idoneos. 10

Quoniam merentur, qui privilegiis et gratiis superiorum abutuntur, privari, iccirco praesenti statuto cassamus et abolemus omnes licentias a nobis seu praedecessoribus nostris vel a quocumque nostro inferiori sub quacumque forma gratiosa seu obligatoria fratribus dictae congregationis concessas discedendi ab illis partibus in suam provinciam Portugalliae vel ad quemcumque alium locum eundi, cassatasque et nullas esse ex nunc pro tunc decernimus et declaramus, sive ostensae sint praelato sive non, si data ad iudicium boni viri prima opportunitate dictas licentias et facultates executioni non mandaverint, nisi de consensu generalis vicarii congregationis aliquo iusto respectu seu pro aliqua urgente et necessaria causa ad tempus ab executione supersedeant, quia tunc volumus praefatas licentias in suo robore permanere usque ad aliam opportunitatem discedendi; qua habita, si non discesserint, currat revocatio et declaratio ut supra, nisi iterum aliquid simile eveniat. 15 20

Concessiones. 25

Confirmamus et, quatenus opus sit, de novo concedimus vicario generali congregationis Indiarum Orientalium, ut primum locum in congregatione habeat super omnes fratres, priores et graduatos, «fidelium» dicat, litteras ad beneficia ipsius congregationis concedere possit et cum officium suum compleverit, si pro culpis in poenam sententialiter absolutus non fuerit, locum primum super omnes religiosos eiusdem congregationis, dummodo non sint actu priores, suppriori, magistri et baccalaurei, habeat, nisi sit ipse etiam graduatus, quia tunc secundum antiquitatis suae gradum locum habebit. Declarantes, quod priores Goae, qui iuxta suprascriptum ordinem successerint in vicariatus generalis officium, quamvis omnibus gratiis, quibus ceteri generales vicarii potiuntur, gavisuri sint, non propterea litteras ad beneficia congregationis concedere posse vel locum habere post vicariatus officium, si non fuerint a superioribus confirmati in tali officio, nisi quem pro gradu vel antiquitate professionis sibi competit. 30 35 40

Quia in huius nostrae praefate congregationis prima institutione et

fundatione, ut accepimus, aliqui recepti sunt ad professionem, forte non servatis de iure servandis secundum tenorem nostrarum constitutionum, et ob id laborant maximis scrupulis, timentes forte aliqua essentialia defecisse, utpote annum integrum probationis sive aetatem legitimam, vel quod conventus, in quo habitum receperunt seu ad professionem fuerunt admissi et recepti, non erat tunc conventus, sed domus, et similia, ad tollendos huiusmodi scrupulos, ut dicti religiosi tranquillo et quieto animo vivere possint et in laetitia deo et ordini inservire de cetero, declaramus praesenti decreto nostri officii suprema auctoritate atque etiam apostolica, praedictos fratres, non obstantibus his sive quibuscunque aliis scrupulis seu erroribus, quorum causa eorum professiones in dubium vertantur, vere et absolute professos esse saltem tacite, postquam perseverarunt per tot annos in ordine, et iccirco vocem activam et passivam ac locum suae professionis habere et omnibus gratiis et privilegiis sicut alii gaudere, ac si tunc sine ullo scrupulo ad professionem recepti fuissent; poterunt tamen, si adhuc contenti et quieti non remanserint, pro eorum maiori satisfactione professionem in manus vicarii generalis vel alicuius prioris de eiusdem vicarii licentia facere. Et tunc si tales scrupulosi hac gratia noluerint frui et misericordia, sed adhuc se quaestionibus immiscuerint, iudicentur eorum causae secundum decreta s. concilii Tridentini.

Concedimus, ordinatione illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis Iustiniani (1), quondam ordinis generalis magistri circa eos, qui originem trahunt a sanguine Iudaeorum vel Maurorum non obstante, ut si in Indiana congregatione nostra inventi fuerint aliqui, qui solito examine praemisso recepti fuerunt vel pro tempore fuerint ad professionem admissi et postea tales inveniantur originem trahere ex parte matris solum et nullo modo ex parte patris a Iudaeis vel Mauris, ut professio illorum rata haberi possit.

Conventibus Goae, Chaul et Cochim de cetero concedimus, ut de licentia vicarii generalis recipere novitios ad habitum possint et ad professionem, si tamen habent commoditatem debitam eos educandi, dummodo non recipiantur filii Lusitanorum et Indiarum mulierum, qui dicuntur mestici, nisi sint secundum seriem nostrarum constitutionum idonei et sufficientes ad litteras et habeant omnia vota pro tunc in capitulo existentium.

Ad maiorem ornatum et decorem dictae nostrae congregationis, ad dei gloriam et religionis nostrae maiorem profectum eidem concedimus,

(1) De fr. Vincentio Iustiniano cf. supra pag. 138.

ut loca et domus octo fratres habentes, quorum sex ad minus vocales sint, possint eligere priorem et esse conventus.

Quo vinea nostra parvula congregationis Indiarum antedictae in dies magis crescat et augeatur, si labores in ea laborantium dignis prosequantur honoribus et praemiis, concedimus conventui Goaensi gratias et privilegia universitatis, ita ut, qui in eo légerint tempus in constitutionibus nostris taxatum ac ordinationibus capitulorum generalium et actus scholasticos fecerint, si iudicati fuerint sufficientes, habiles sint ad quemcunque gradum scholasticum et a congregatione inter alia rev. provinciali Portugalliae fideliter exponantur uniuscuiusque merita, et humiliter secundum qualitatem personarum et merita respective petantur gradus.

Concedimus itidem, ut in praelibata Indiarum congregatione possint, ordinatione de numero duodenario magistrorum non obstante in provincia Portugalliae, creari duo magistri pro dicta congregatione, etiam si dictus numerus duodenarius in praefata provincia sit completus, qui tamen in dicta provincia non habebunt locum, nisi a provincia acceptentur in eodem numero duodenario.

Ut negotia eiusdem congregationis et ea omnia, quae ad vitam regularem spectant melius et fortius disponantur et ordinentur, rev. vicario generali concedimus, ut possit, immo mandamus, ut de biennio in biennium, nisi casu vel causa legitima de consilio patrum aliquando anticipare seu dilatare conveniat, ad minus convocare teneatur duodecim fratres scilicet priores, magistros in theologia, praesentatos, praedicatores generales et socios, etiam si pro tempore sint plures conventus, horum trium conventuum Goae, Chaul et Cochim solum, qui secundum nostras constitutiones eligantur, et non alii ad libitum, nisi defectu istorum aliquis vel aliqui ex senioribus admittantur, ut dictus numerus compleatur, et si pro tempore plures fuerint in dicta congregatione vocem alias de iure in capitulis provincialibus habentes, admittantur omnes, quamvis dictum duodenarium numerum excedant. Quibus congregatis, etiam si provincialis capituli forma non sit servanda, cum nec provincia sit nec capitulum provinciale, verumtamen isto modo procedant: infra dies octo solvatur congregatio, in quibus tractabunt supradicti patres et disponent negotia et ea, quae ad publicum et privatum bonum et profectum congregationis spectant scilicet a feria VI. usque ad aliam feriam VI. inclusive, et in prima feria sexta, celebrata solemniter missa spiritus sancti, fiat oratio exhortatoria, et sequenti dominica sustententur publice conclusiones, ut sic et populus Indianus et qui ibi habitum acceperunt aliquem odorem sentiant virtutum et eorum, quae a patribus congregationis in sua provincia fiunt et glorificent patrem nostrum, qui in coelis est, et magis de die in diem ordinem nostrum maiori amore et observantia

prosequantur. Et antequam congregatio solvatur, poterunt secundum temporis opportunitatem et necessitatem facere illi patres aliquas ordinationes, conducentes reformationi religiosorum et conversioni gentium, cum praeceptis etiam et censuris si opus fuerit, ut melius eis visum fuerit et expediens, quae suum effectum sortiantur a prima promulgatione et in suo robore permaneant quousque approbatae seu reprobatae fuerint a rev. provinciali Portugalliae.

Quoniam in illis remotissimis partibus quotidie succedunt casus, de quibus, si remedium a reverendissimis generalibus expectaretur, non esset sine animarum magno periculo, ea propter concedimus dictae congregationi duodenariae, quod possit dispensare in praeceptis capituli provincialis; et si forte sit periculum in mora, si tempus congregationis expectetur, possit ipse vicarius de consilio patrum conventus, ubi pro tunc fuerit, dispensare in eisdem et postea congregationi rationem reddere.

Quia etiam in illis remotissimis partibus casus succedere possunt, de quibus, si a reverendissimis generalibus expectarent remedium, non posset fieri sine ingenti animarum periculo et iactura, ob id dictae congregationi duodenariae concedimus, quod si pro bono conscientiae alicuius religiosi consulendus esset reverendissimus generalis, ut remedium adhiberet casui vel culpae iam praeteritae, tunc duntaxat possit vicarius generalis in dicta congregatione duodenaria, ut succurrat ovi perditae supplere et providere.

Ut nebulones et refractarii caeterique ordinis destructores, qui, postposito Dei timore, verecundia ac hominum reverentia culpas quotidie cum maximo ordinis dedecore et secularium scandalo, praecipue neophitorum, admittere in partibus Indiarum Orientalium non timent et digne satisfacere recusant, dignis in aliorum exemplum afficiantur poenis, concedimus dicto vicario generali, ut in dicta congregatione duodenaria procedere possit contra tales delinquentes cum tota dicta congregatione duodenaria, et eos dignis secundum tenorem nostrarum constitutionum afficere poenis usque, si fuerint incorrigibiles, ad privationem habitus et expulsionem ab ordine, si omnes in tali casu, nemine discrepante, consenserint et ita iudicaverint, secus autem non, et si talem sententiam contra aliquem unanimi concordia protulerint, illam fideliter mittant rev. provinciali Portugalliae.

Ut maiorum etiam errata debita animadversione, si eos errare contigerit, corrigantur, praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali prioribus Goae, Chaul et Cochim, et si aliquis vel aliqui illorum defuerint uni vel duobus ex antiquioribus in ordine de ipso corpore congregationis, quod tres simul tamquam scrutatores sabbatho sequenti finita congregatione secreto inquirent inter se

primo, deinde per alios socios ipsius congregationis solum, de vita et moribus ac honestate vicarii generalis. Eisdem sociis sub eodem praecepto formali mandantes, ut charitative et secundum normam evangelicam de suo vicario denuntient, et uniuscuiusque dictum scribatur ab uno dictorum trium et ab ipsis tribus et denuntiante firmetur. Demum tota inquisitio sic firmata et sigillata cum omni possibili secreto et per personas dignas et fideles rev. provinciali Portugalliae per tres vias mittatur, et tres dicti scrutatores adiungant in calce totius inquisitionis testimoniales litteras. Et si viderint expedire et opus esse, particularizabunt causas aggravantes seu alleviantes ea, quae in communi depositione deposita sunt. Quibus scrutatoribus et caeteris dictae congregationis patribus sub eodem formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sententiae una pro trina canonica monitione praemissa praecipimus, ut nullus per se vel per alium verbo vel scripto, directe aut indirecte, audeat alicui extra corpus dictae congregationis maxime ipsi vicario generali aliquid eorum, quae in dicta inquisitione deposita fuerint, revelare.

Volumus insuper et mandamus rev. provinciali Portugalliae, ut suprascriptam inquisitionem solus examinet et nulli, nisi necessitas compellat, communicet et praefatum vicarium nisi de consilio discretorum patrum ab officio non absolvat, et si ad absolutionem eius exigentibus culpis deveniendum erit, per sententiam formalem illum absolvat et illam ad priorem seu praesidentem Goae mittat, et per litteras publicas seu privatas secundum culparum genus ipsum corrigat et peracto officio impune abire omnino non permittat. At si tales fuerint eiusdem vicarii culpaе, ut satisfactionem in ipsa India indigeant, vicarius, qui successerit, executioni mandabit sententiam a reverendo provinciali Portugalliae de consilio patrum latam; si vero dictus vicarius in ipsa inquisitione sine quaerela inventus fuerit, duplici honore, ut qui bene praefuit, dignus erit et sic poterit commendari, quantum fas est, a reverendo provinciali ac in officio vicarii, si id congregationi expedire iudicatum fuerit, confirmari, ut virtus laudata crescat atque alios ad amorem virtutis accendat.

Volumus demum et ordinamus, quod nullae ordinationes durent ultra tempus taxatum et dispositum in nostris constitutionibus praeter has nostras, quae revocari seu mutari aut modificari unquam possint nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale, et hoc, si a tota duodenaria congregatione nullo discrepante approbatum fuerit, et ab ipso vicario petatur, expositis causis et approbatis a reverendo provinciali Portugalliae, quibuscunque contrariis non obstantibus.

Datum Romae die 11 Octobris 1580.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum nihil magis religiosorum statum perturbet quam favorum et suffragiorum saecularium aucupatio et conquisitio, quibus superiorum
5 aequa mens, qua pro meritis suorum unicuique subditorum tribui debet, pervertatur, nos malum hoc ab ordine fratrum praedicatorum, cuius prosperum regimen et incrementum ad ecclesiae sanctae utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali sollicitudine propellere sum-
mopere cupientes, dilectis filiis magistro generali ac provincialibus et re-
10 liquis eiusdem ordinis praelatis, nunc et pro tempore existentibus, per apostolica scripta et in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcunque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra supradictum ordinem consti-
tutarum, etiam cardinalatus honore, ac quacunq[ue] saeculari dignitate et
15 excellentia, etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, cuivis dicti ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere audeant seu praesumant, quinimmo quoscunque eiusdem ordinis fratres et religiosos, qui contra decreta suarum constitutionum hac via et iis mediis per mendicatos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad
20 talia et similia et etiam maiora in eodem ordine consequenda apostolica auctoritate tenore praesentium inhabilitamus, ac inhabiles perpetuo fore et esse, neque per quoscunque nisi per sedem apostolicam rehabilitari aut cum ipsis desuper dispensari posse, sicque per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac
25 S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quicquid contra praemissa aliquibus concessum fuerit, aut super his a quoquam contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus, non obstantibus constitutionibus et or-
30 dinationibus apostolicis ac dicti ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, eorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes,
35 ad earundem praesentium effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius publici notarii subscriptis et sigillo dicti magistri generalis obsignatis eadem ubique fides adhibea-

tur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die primo iunii MDLXXX pontificatus nostri anno nono.

CAES. GLORIERIUS.

5

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
IN FESTO SANCTISSIMAE PENTHECOSTES
ANNO DOMINI ·M^o·D^o·LXXXIII^o· DIE VIGESIMA OCTAVA MAII.

10

Sub reverendissimo patre fr. Sixto Fabri Lucensi (1) sacrae theologiae professore, in eodem capitulo summo patrum consensu in generalem magistrum totius ordinis praedicatorum electo, diffinientibus communiter reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus infrascriptis videlicet:

- fr. Ioanne de las Cuevas (2) praesentato provinciali Hispaniae, 15
fr. Stephano Sicheo (3) magistro provinciali Franciae,
fr. Aurelio Odasio de Martinengo lectore prov. utriusque Lombardiae,
fr. Taddeo Bartolo (4) provinciali Romano,
fr. Dominico de Vita praedicatore generali provinciali Regni,
fr. Benedicto de Corata provinciali Ungariae, 20
fr. Paulo Isaresio de Mirandula magistro provinciali Terrae sanctae,
fr. Ioanne Loazes (5) magistro provinciali Aragoniae,
fr. Ludovico de Normo magistro provinciali Bohemiae,
fr. Nicolao de Iadra (6) inquisitore Iadrensi lectore provinciali Dalmatiae,
fr. Bartolo Mili provinciali Trinacriae, 25
fr. Ioanne Antonio de Floriano (7) magistro provinciali s. Thomae,
fr. Thoma de Amandolaria magistro provinciali Calabriae,
fr. Camillo Spera magistro provinciali s. Dominici.
fr. Paris Arduino (8) magistro et priore Burdegalensi diffinitore provin-
ciae Tholosanae, 30

(1) De fr. Sixto Fabri cf. supra pag. 210.

(2) De fr. Ioanne de las Cuevas cf. l. c. pag. 184.

(3) De fr. Stephano Sicheo cf. l. c. pag. 189.

(4) De fr. Thaddaeo Bartolo cf. MASETTI l. c. pag. 71.

(5) De fr. Ioanne Loazes cf. supra pag. 106.

(6) De fr. Nicolao de Iadra cf. l. c. pag. 110.

(7) De fr. Ioanne Antonio de Floriano cf. l. c. pag. 213.

(8) De fr. P. Arduino cf. l. c. pag. 180.

- fr. Ioanne del Vernois (1) magistro diffinitore Franciae,
 fr. Hieronymo de Corrigio lectore et priore Boschensi diffinitore utrius-
 que Lombardiae,
 fr. Petro Martire Saracenio de Collescipionis (2) diffinitore Romano,
 5 fr. Iulio de Iadra diffinitore Unghariae,
 fr. Melchiore Varezio baccalaureo diffinitore Poloniae,
 fr. Ioanne de la Cueva praedicatore generali diffinitore Aragoniae,
 fr. Dominico Vincler praedicatore generali diffinitore Bohemiae,
 fr. Ioanne de Mata magistro diffinitore provinciae Provinciae,
 10 fr. Simone Isoritio de Iadra (3) magistro diffinitore Dalmatiae,
 fr. Decio Palumbo (4) magistro diffinitore Trinacriae,
 fr. Gundisalvo de Silva priore conventus de Bello diffinitore Portugalliae,
 fr. Vincentio Hernandez (5) magistro diffinitore Bethicae,
 fr. Dominico Zeghers (6) magistro diffinitore Germaniae inferioris,
 15 fr. Vincentio Cito de Taranto (7) magistro diffinitore s. Thomae,
 fr. Francisco Catapano de Riolo (8) magistro diffinitore Calabriae,
 fr. Christophoro de Spiritu sancto praesentato diffinitore s. Ioannis Ba-
 ptistae del Peru,
 fr. Alphonso Soto (9) magistro diffinitore s. Dominici.

20 Frater Sixtus Fabri Lucensis sacrae theologiae professor,
 totius ordinis praedicatorum humilis generalis magister et servus
 universis et singulis eiusdem ordinis professoribus salutem.

Quousque tandem, patres carissimi, degenerabimus a maioribus nos-
 tris, et derelicto fonte aquae vivae e cisternis dissipatis, quas ipsi nobi-
 25 fodimus, hauriemus? Nitidissimus fons nobis fuit exoriens religio nostra,
 cum in ea charitas, humilitas, obedientia, patientia, contemptus sui,
 omnis denique floreret virtutum et laudandarum artium chorus. Exulabat
 tunc ab ordine nostro omnis improbitas, omne flagitium, omnis animi
 perturbatio. Sacrarum scripturarum tractatio perpetua et acerrimum stu-
 30 dium earum disciplinarum, quae ad illas verius et facilius intelligendas

(1) De fr. Ioanne de Vernois cf. supra pag. 212.

(2) De fr. Petro Martyre Saracenio de Collescipionis cf. MASETTI l. c.

(3) De fr. Simone Isoritio de Iadra cf. l. c. pag. 214, 221.

(4) De fr. Decio Palumbo cf. l. c. pag. 107.

(5) De fr. Vincentio Hernandez cf. l. c. pag. 146.

(6) De fr. Dominico Zeghers cf. l. c. pag. 181.

(7) De fr. Vincentio Cito de Taranto cf. l. c. pag. 77.

(8) De fr. Francisco Catapano de Riolo cf. l. c. pag. 189.

(9) De fr. Alphonso Soto cf. l. c. pag. 219.

pertinent, una nostrorum ingenii occupatio erat. Accedebat integritas vitae, sanctitas morum, incredibilis constantia in agro domini perpur-gando et in pravis opinionibus radicitus extirpandis. Undique nostrorum adversus haereticos dimicationes, undique victoriae, undique populorum ad catholicam fidem conversiones, undique miracula, quae deus per illos 5 edebat, audiebantur. Felicia tempora, felices agri, quia a sancto Domi-nico, patre et institutore ordinis nostri, salutaribus aquis irrigati tantam fragum copiam afferebant, tanta se arborum perpetuo vernantium et odo-rem suavitatis toto orbe spargentium multitudine vestiebant. Tunc vere mundo mortui Christo vivebamus. 10

At nunc e cisternis dissipatis haurientes, ita enim vocare possumus iactantiam, impatientiam nimiam, cuiusque de se opinionem, mundo vi-vimus, Christo mortui sumus, in omni actione affectu potius quam ra-tione regimur, inconsulto quisque sui amore obcaecatus quaerit, quae sua sunt, quae ad publicum pertinent, negligit. Quomodo igitur in nobi 15 pax, sinceritas, rerum divinarum et humanarum intelligentia esse possit, facile est coniecere. Viguerunt olim haec omnia in nobis, nunc miseri in alia omnia prolapsi sumus. Heu nos miseros et, ut apostoli verbo utar, insensatos! Quis nos seduxit? Quis fascinavit? Quo mentis errore affecti, neglectis illis purissimis fontibus has dissipatas cisternas fodimus, ut pro 20 saluberrimis aquis fecem ac sordes biberemus?

Agite, patres fratresque carissimi, redite ad illos fontes et replebi-mini claritate. Quid vobis commune cum mundo, cum carne, cum vi-tiis, cum concupiscentiis saeculi, cum superbia vitae? Redite, quaeso, ad fontes, et sicut desiderat cervus ad fontes aquaram, ita desideret anima 25 vestra ad deum vivum. Quo redacti sitis, experimini, nolite ita obdu-ratis animis esse, ut ne experti quidem resipiscatis. Moveat vos et metus et amor Dei ac vestrae salutis. Metus quidem, quia eo iam progressi videmur, ut nobis quoque dictum sit: iam securis ad radicem arboris posita est, alios sibi operarios reperit Deus, quos mittat in vineam suam. 30 Non amplius ita sentiunt de nobis homines, ut prius, cum a nobis ea commoda non percipiant, ad quae missi atque instituti sumus. Timea-mus, ne illa in nos horrenda sententia proferatur: et ego eiciam vos, ut non amplius serviatis mihi, nec ego vobis pater ero, neque vos filii. Amor autem eas nobis subdat faces, eos stimulos admoneat, ut ita co- 35 gitemus. Filii sumus, patrem non amabimus? Renovare iuventutem no-stram et ad spem diuturnioris vitae redire possumus et negligemus? In-stituta illa, quae maioribus nostris honori, saluti, gloriae fuerunt, oblit-terari et evanescere et capitis nostri coronam cadere patiemur? Virtutes illas heroicas, quibus illa ordinis nostri columina floruerunt, non perse- 40 quemur? Sanctissimi Dominici, patris nostri, et tot aliorum sanctorum

vestigiis impressam et signatam viam deseremus? Mortem vitae, dedecus gloriae, tenebras claritati anteponeamus? Illi fortissime omnia pro Christi gloria et egerunt et perpessi sunt, nos cum ignominia tam multa professione nostra indignissima et agemus et perferemus?

5 Eia, obsecro vos, redite praevaricatores ad cor, repetite veteres illos fontes, bibite aquas cum gaudio de fontibus salvatoris, estote sancti, ut progenitores vestri sancti fuere. Deum amate, qui prior dilexit vos; proximos et fratres vestros diligite; constitutiones ac leges vestras observate; estote humiles et obediens, ut sitis filii patris vestri, qui in coelis
10 est, et illius, qui stat coram summo iudice pro suo coetu preces assiduas fundens. Ita fiet, ut et maculae, si quae susceptae sunt, deleantur, et prisca illa Dominicanae familiae dignitas et pulchritudo renovetur, et nos, neglectis cisternis dissipatis, ad vivos fontes dulcissimas aquas bibamus.

Valete.

15 In nomine domini nostri Iesu Christi et beatae Mariae semper virginis et beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum et sanctorum dei.

Haec sunt acta, quae in eodem capitulo pro conservanda religione, Deo auctore, proponuntur.

20 Inchoationes.

Inchoamus hanc, quod facinorosi et homicidae non recipiantur ad habitum, nisi maximam suorum errorum poenitentiam ostenderint aut ferventissimo spiritu ducti ad religionem venerint, idque non absque licentia reverendissimi generalis.

25 Inchoamus etiam, quod in hymno passionis cum pervenerint fratres ad versiculum illum « O Crux ave » etc. omnes genua devote flectant.

Item ut in ministrando sacrosanctae eucharistiae sacramentum ordinis nostri fratres uniformiter se habeant:

Inchoamus, ut cum datur sacra communio secularibus, post dictam
30 confessionem generalem sacerdos manibus tenens eucharistiam dicat semel « Credis hunc esse verum Christum Deum et hominem », respondente fidei « Credo », adiungat tundendo pectus ter cum eo qui communicari debet « Domine non sum dignus, ut intres » etc. Quo dicto subiungat « Corpus Domini nostri » etc.

35 Confirmationes.

Confirmamus ea omnia, quae in capitulo praecedenti ordinata fuerunt, quod in evangelio Epiphaniae cum perventum fuerit ad illud « et procidentes adoraverunt eum » omnes fratres in choro genua flectant. Quod similiter est faciendum in cantico « Te Deum » etc. ad illum versiculum « Te ergo » etc., et in hymno corporis Christi cum dicitur
40

« Tantum ergo » etc. In symbolo quoque, quod in missa publice recitatur, cum dicitur « Qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur », omnes fratres in choro discooperto capite devotius inclinent, corporis gestu significantes interiorem animi fidem de eius divinitate.

Confirmamus etiam ordinationem factam in capitulo generali de anno 1580, ne quis extra conventum et provinciam suam sine litteris dimissoriis suorum praelatorum discurrat, et qui huiusmodi fuerint, carcerali custodiae mancipentur et puniti ad suos conventus vel provincias remittantur, praecipientes omnibus conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, ne tales fugitivos retinere audeant.

Declarationes.

Declaramus, inchoationes non obligare, antequam ordinentur vel confirmentur, et in festivitatum inchoationibus non intermittatur officium beatae virginis in festis duplicibus et supra.

Declaramus, provinciales non habere authoritatem ordinandi festa, ut celebrentur aliter quam sit ordinatum in ordinario, nisi solemnizentur a civitate, vel talis consuetudo sit in conventu.

Declaramus constitutionem illam dist. 2. cap. 4. num. 3. ibi in anno autem priorum provincialium, quod eius mens est, quod in anno provincialium si celebrandum sit capitulum generale in proximo festo Pentecostes, ubi eligi debeat generalis, et contigerit mori generalem post capitulum provinciale, nullo pacto debeant celebrari capitula provincialia ad constituendos novos vocales, cum diffinitoribus capituli provincialis praecedentis fuerit iam ius quaesitum nec clausula illa interposita: vel quando ex alia quacunq̄ue causa diffinitor et socius etc. usque tunc: duo diffinitores, huic rei facessit negotium, cum tota sit reiicienda in annum diffinitorum nulloque modo prorsus pertineat ad annum provincialium.

Item declaramus, verbum paulo infra in eadem constitutione, ubi agitur de duobus diffinitoribus mittendis ad capitulum generale pro electione generalis, quod habet locum in aliis duobus diffinitoribus, adeo ut si deficiet primus aut senio, aut infirmitate, aut alio impedimento substituitur secundus, secundo tertius, tertio quartus. Quod si omnes defecerint recurrendum est ad capitulum immediate praecedens, sicque retrocedendo quousque suis provincia possit gaudere suffragiis.

Declaramus, quod reverendus pater commissarius in Urbe locum habebit, nedum post provincialem Romanum, sed post omnes provinciales et vicarios congregationum et vicariarum.

Declaramus, quod sexennialitas provincialatus patris provincialis Franciae sibi concessa in capitulo generali 1580 incepit a promulgatione talis prorogationis facta in capitulo apud Senonas celebrato.

Declaramus, dictum patrem provincialem finita sexennialitate posse

etiam perseverare in dicto officio, si placuerit eis, ad quos ius eligendi pertinet.

Denuntiationes.

Denuntiamus omnibus fratribus nostri ordinis in hoc generali capitulo fuisse canonice ac legitime electum in totius nostri ordinis generalem magistrum reverendissimum p. fr. Sixtum Fabri Lucensem (1) ex magisterio sacri palatii assumptum, eundemque sanctissimo domino nostro papae solemniter processione oblatum et ab eo hilari vultu exceptum et acceptatum fuisse.

Denuntiamus reverendissimum magistrum ordinis instituisse procuratorem ordinis admodum rev. patrem fr. Ioannem de las Cuevas (1), praesentatum et provincialem Hispaniae.

Denuntiamus eundem reverendissimum generalem in socium suum assumpsisse et provincialem Terrae sanctae instituisse rev. p. fr. Ioannem Baptistam Lancium Regiensem (2) magistrum utriusque Lombardiae.

Ordinationes.

Ordinamus, quod sanctimonialia tum etiam quae dicuntur beatae, quae votum in electione habere solent, non eo potiantur nisi post quartum annum a professione, ut de religiosis viris constitutiones decrevere, et hoc praesertim in nostris provinciis Hispaniae, Portugalliae, Bethicae et sancti Thomae; in caeteris vero provinciis curabunt patres provinciales, ut ab omnibus sanctimonialibus idipsum, quanto facilius poterit, observetur.

Ordinamus, quod festivitates nostrae non immutentur neque amplius in sanctorum festis fiant mutationes, sed servetur ordinarium iuxta decreta et constituta in capitulo generali Salmanticensi et ultimam impressionem breviarii, quae fiet auctoritate reverendissimi patris nostri.

Ordinamus, quod alias confirmatum fuerat in capitulo immediate praecedenti, ut, si quis propriae vocis renuntiatione medietatem eligentium excesserit in quacumque electione tam canonica quam alia, irrita censeatur electio; et hoc habet quatuor capitula; quantum ad electionem canonicam adiacentes, quod totum hoc ordinatum cadit super electione ipsa et non super electo, ita quod non possit denuo eligi.

Ordinamus iuxta ordinationem capituli generalis praecedentis, quod nullus deinceps promoveatur ad magisterium sacrae theologiae sive baccalaureatus, nisi petitionem suae provinciae habeat; qua etiam obtenta, non nisi praemisso riguroso examine per quinque examinatores et per vota secreta ad huiusmodi gradus admittatur. Quod quidem inviolabi-

(1) De fr. Sixto Fabri et fr. Ioanne de las Cuevas cf. supra pag. 236.

(2) De fr. Ioanne Bapt. Lancio de Regio cf. l. c. pag. 213.

liter servabitur ubique in nostro ordine et specialiter in conventu nostro Parisiensi, et si secus quacumque ratione fiat, pro non facto habeatur, atque petentes nomine provinciae falso quemcumque gradum, cum provincia non petat, inhabiles fiant, ut nunquam possint ad huiusmodi gradum assumi.

5

Ordinamus de communi totius ordinis consensu et prohibemus, quod nullus procuret ordinis divisionem, atque sub poena excommunicationis latae sententiae atque aliis poenis gravioris culpae, a quibus non possit absolvi nisi a reverendissimo magistro ordinis duntaxat. Mandamus quoque sub eadem poena, quod nullus procuret institutionem vicarii generalis Indiarum. Quam ordinationem valere volumus, quasi haberet tria capitula.

10

Ordinamus, quod fratres, qui permanent extra conventum quacumque occasione, praetextu et quomodocumque praeterquam pro officio sanctae Inquisitionis non censeantur assignati in conventibus ad vocem habendam in electionibus, quacumque ratione in illis assignentur, sed omnino exclusi intelligantur, ut dictum est, quoad electiones faciendas.

15

Ordinamus, ut, qui semel fuerint reperti furtum fecisse de bonis conventus, priventur officio et inhabiles reddantur ad quamcumque administrationem rerum temporalium.

20

Ordinamus, ut inviolabiliter servetur sacra constitutio nostra de institutione vicarii ordinis in morte reverendissimi generalis, et capitulum ibidem celebretur, ubi assignatum fuerat; quorum oppositum nullus audeat procurare aut loqui per se vel per alium, mediate vel immediate sub poena excommunicationis latae sententiae.

25

Ordinamus in provincia Lombardiae, quod nullo pacto recipiantur in monasteriis sororum plures quam duae sorores ex eodem patre vel matre.

Ordinamus in eadem provincia, quod in posterum non mittantur ad eam nisi quadraginta fratres ex alienis provinciis, exceptis tamen studentibus studii Bononiensis, et mittantur a diffinitorio cum literis testimonialibus bonae vitae, morum et aetatis. Ab illis vero provinciis, in quibus non fiunt capitula intermedia, fiant litterae testimoniales a patre provinciali et a quatuor patribus ab illo eligendis, si tamen superstites non fuerint, ii qui diffinitores fuerunt in praecedenti capitulo.

30

Ordinamus, quod alias ordinationibus capitulorum generalium cautum est in omnibus provinciis, quod confessarii monialium non maneant ultra biennium, in Lombardia autem non restituantur ante sexennium in eodem monasterio.

35

Ordinamus, quod in provincia Aragoniae nullus exponatur ad praesentatae gradum ante trigesimum annum, ad magisterium autem ante trigesimum sextum.

40

Ordinamus in provincia sancti Dominici, quod baccalaurei sint biennales et non ponantur extraordinarii iuxta ordinationes alias factas.

Ordinamus, ut laudabiles provinciarum consuetudines antiquae conserventur, quod in provincia Hispaniae ad petitionem eiusdem non possint exponi neque admitti nisi duodecim duntaxat magistri, praesentatorum vero numerum ob studentium et studiorum copiam extendimus ad triginta praecise, ita quod nulla ratione liceat plures ad gradus magisterii tam inclusive quam exclusive exponere aut admittere, sed si id quomodolibet attentatum fuerit, totum sit irritum et inane, et hoc nos ipsi annullamus revocantes, quicquid in contrarium huius quacumque ratione antehac fuerit concessum aut ordinatum. In electionibus autem volumus omnibus veterem provinciae morem servari, non obstante quacumque alia concessione, quam praesentium tenore revocamus et revocatum decernimus.

Ordinamus et inviolabiliter volumus observari, ut duo regentes de provincia Franciae et duo de congregatione in studio nostro Parisiensi semper assumi debeant, districte praecipientes patri vicario congregationis et priori conventus sub poena excommunicationis latae sententiae, a quo non poterunt absolvi nisi a reverendissimo magistro ordinis, et sub poena absolutionis a sui vicariatus et prioratus officiis, ne praefatos regentes de provincia Franciae a sui muneris executione quovis pacto praepedire habeant.

Cum graduatorum numerus nullum habeat modum in provinciis nostris, et ut ambitioni quorundam occurramus et bono communi consulamus, ordinamus et ordinando districte praecipimus, ut observetur numerus ab unaquaque provincia determinatus et praefixus iuxta provinciarum latitudinem, ita ut numquam excedatur, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane; numerus autem erit ut infra:

In provincia Hispaniae magistri erunt 12, praesentati 30, praedicatores generales quot sunt conventus.

In provincia Tholosana et Franciae, etsi nullus sit numerus, nullus tamen promovebitur a magistro ordinis, nisi quae de more consueto sunt observentur, quod dicimus etiam de provinciis utriusque Lombardiae et Romanae.

In provincia Regni erunt magistri 12, baccalaurei 10, praedicatores generales 15.

In provincia Poloniae magistri 8, baccalaurei 9, praedicatores quot conventus.

In Aragonia magistri 20, praesentati 30, praedicatores iuxta numerum conventuum.

In provincia Provinciae magistri 6, baccalaurei 5, praedicatores generales 3.

In provincia Dalmatiae magistri 6, baccalaurei 4, praedicatores generales 3.

In Trinacria magistri 25, baccalaurei 12, praedicatores generales 8.

In provincia Portugalliae magistri 15, praesentati 10, praedicatores quot sunt conventus. 5

In Betica magistri 15, praesentati 30, praedicatores generales quot conventus.

In Germania inferiori magistri 12, praesentati 12, et praedicatores generales 12.

In provincia sancti Thomae magistri 25, baccalaurei 12, praedica- 10
tores generales 6.

In Calabria magistri 20, baccalaurei 6, et praedicatores generales 6.

In provincia Peru magistri 6, baccalaurei 6, praedicatores generales 4.

In provincia sancti Dominici magistri 16, baccalaurei 6, praedica- 15
tores generales 10.

In vicaria Romana magistri 5, baccalaurei 4, et praedicatores generales 4.

In aliis autem provinciis, quae sunt desolatae, non potuit praefigi numerus. In aliis vero non nominatis neque desolatis mandamus sub 20
praecepto formali earundem praesidentibus, ut quamprimum praefigant numerum et ad magistrum ordinis mittere curent. Decernentes, quod in posterum huiusmodi numeri sunt servandi, non quod necessum sit graduatos ad talem numerum ascendere, sed quod illum nullo modo excedant. 25

Ordinamus sub eadem censura et poenis, ne magistri sive de congregatione sive de provincia Franciae fuerint, qui ad publica munia exercenda ad aulas regum et principum vocati sunt, assumi possint ad munus regentis in dicto studio nostro Parisiensi.

Ordinamus, ne prior conventus Parisiensis absque consensu magistrorum ac baccalaureorum dicti conventus possit provisiones victus facere seu quaevis alia publica negotia tractare et praesertim de locatione domorum ad eundem conventum spectantium solus disponere, irritos et nullos omnino decernentes contractus illarum domorum factos citra consensum magistrorum et baccalaureorum dicti conventus. 35

Ordinamus, quod vicissitudo baccalaureorum in conventu Parisiensi inviolabiliter servetur inter eos, qui sunt de provincia ac eos, qui sunt de congregatione, atque extraneos, ut si in una licentia praesentatus fuerit de congregatione, in subsequenti praesentetur de provincia, in altera de extraneis. 40

Ordinamus in dicto conventu ad petitionem provinciae Franciae,

quod quando nullus extraneus fuerit idoneus ad promotionem cursus theologici, alternis vicibus loco ipsorum extraneorum potiantur, qui sunt de provincia et qui de congregatione, quod si contrarium fiat, irritum erit et nullius valoris.

5 Ordinamus et sub praecepto mandamus vicario congregationis Gallicanae necnon et universis religiosis illi subiectis sub poena excommunicationis latae sententiae et absolutionis a suo vicariatu, ne in posterum sibi usurpare audeat vel illi dare nomen provincialis.

10 Ordinamus sub praecepto formali, ut qui in conventu Parisiensi legerit gramaticam per tres annos continuos, admittatur ad cursum theologicum.

15 Ordinamus in toto ordine, quod lectores et baccalaurei nullo pacto possint esse praedicatores generales, et qui modo tales existunt volumus, ut dicto munere scilicet praedicationis generalis sint privati, sicuti de facto privamus, volentes, ut lectoratus et baccalaureatus gradu sint contenti.

20 Ordinamus in provincia Unghariae, quod apostatae, qui senio confecti fuerint, non recipiantur denuo ad habitum, vel recepti perpetuo sint privati omni voce et ad omnes dignitates et officia inhabiles reliquo tempore vitae defleant peccata sua.

25 Ordinamus in provincia Dalmatiae, quod nullus possit promoveri ad gradum baccalaureatus, qui per septem annos non fecerit cursum lecture in provincia, nec ad magisterium, nisi prius per quadriennium sententias legerit pro gradu et forma, et hoc quidem ad petitionem ipsius provinciae.

Ordinamus postremo, quod ordinationes hucusque factae a tempore impressionis novarum constitutionum, unum in corpus cum suis titulis redigantur et quoad fieri poterit illis impressis ad omnes et singulas provincias transmittantur.

30 Commissiones.

35 Committimus omnibus reverendis patribus provincialibus, ut alicui erudito et praestanti viro ex sua provincia iniungant, ut quae in suis provinciis aliquando contigerunt et contingunt, scribat, maxime martirum et fidem praedicantium, ut huiusmodi omnibus a patre generali receptis universalem quandam memoriam rerum omnium ordinis componere faciat.

Committimus patri reverendissimo, ut velit omnium provinciarum desolatarum habere rationem, et si earundem filios in aliis repererit, ad eas revocet et redire compellat.

40 Committimus omnibus provincialibus, ut statim cum ad suas provincias pervenerint, videant, si in eis sint fratres aliarum provinciarum sine licentia; quod si aliquos invenerint, statim ad illas remittant.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut una cum patre provinciali et diffinitore utriusque Lombardiae catalogum novum faciat praedicatorum, deleto antiquo toto, et habeatur ratio solum celebrium et optime meritorum; et qui ab eo exclusi fuerint, non sint nec habeantur pro praedicatoribus neque titulo neque dispensationibus fruantur. 5

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut supplicationem proferat sanctissimo domino papae, quod per breve alicui committat in partibus Aragoniae, quod formetur processus authenticus de vita et sanctitate patris Ludovici Beltran, ut possit canonizari.

Committimus omnibus priorissis nostri ordinis et districte mandamus, ne audeant in suis monasteriis recipere ad habitum sororem aliquam alterius monasterii sive ordinis; quod si aliquae receptae fuerint, nolumus, quod possint profiteri, et priorissae absolvantur in poenam a suis officiis. Addentes sub eadem poena et sub praecepto formali, quod ipsae priorissae huiusmodi sorores non recipiant in monasteriis ad perpetuo ibi commorandum. 15

Admonitiones.

Admonemus patres provinciales et quoscunque praelatos ordinis, ne faciant aut proferant excommunicationes sine gravissima causa, sed uti est gravissima poena, pro gravissimis etiam adhibeatur vulneribus. 20

Admonemus eosdem patres provinciales, ut per singulos annos bis saltem de statu suarum provinciarum admoneant reverendissimum patrem generalem exacte et adamussim, ut certior fiat de cunctis ille, cui est cura de omnibus.

Admonemus patres provinciales provinciarum Indiae Occidentalis, ut, quando procuratores aliquos Hispaniam seu Romam mittere contigerit, filios suarum provinciarum cum facultate mittant diffinitoris et electoris ex electione capituli provincialis, ut, si quando eis contigerit in illis se reperiri partibus et generalem ordinis obire, pro illis provinciis electionibus possint interesse. 25 30

Admonemus reverendissimum magistrum ordinis, ne in provincia Theutoniae faciat assignationes cum clausula, quod nullus inferior ipso possit eas annullare.

Admonemus admodum reverendum procuratorem ordinis, ut quando emanaverint bullae ad nostrum ordinem pertinentes vel ad rectam gubernationem, ad provinciales omnium provinciarum mittere velit seu admonere de eo, quod factum est. 35

Revocationes.

Revocamus omnes licentias fratribus nostris concessas etiam a reverendissimis magistris ordinis de absolvendo a casibus reservatis in nostro ordine praelatis ordinariis ac de retinendis redditibus et pecuniis 40

expendendis, et generaliter omnes licentias, quae vitae regulari repugnant.

Revocamus omnes concessioniones et licentias factas a quocunque etiam magistro ordinis de cameris habendis, et hoc maxime in conventu Parisiensi et sanctorum Ioannis et Pauli de Venetiis, et omnes assignationes perpetuas et cum clausula quod nullus inferior etc.

In provincia Tholosana revocamus ad conventum Burdegalensem fr. Bonzomium de s. Petro, fr. Heliam Crucchierium, qui moratur Aragoniae, ad conventum sancti Emiliani, volentes omnino, quod revertantur et auxilium praestent suis conventibus et provinciae, et mandamus priori provinciali Aragoniae sub praecepto formali, quod dictum fr. Heliam omnino redire compellat.

Revocamus omnes studentes huius provinciae a studio Parisiensi, postquam absolverint sua studia post tres annos philosophiae et theologiae, nisi actu legant.

In provincia Aragoniae revocamus fr. Balthassarem de Ochoa a collegio Oriolensi ad suum conventum Lucentinum.

In provincia Provinciae revocamus fr. Vincentium Tibaldum ad suum conventum originalem ac provinciam in eisdem eum affiliantes.

In provincia Dalmatiae a provincia utriusque Lombardiae revocamus fr. Andream de Craina, eum affiliantes in suo originali conventu.

Revocamus ad provinciam Romanam fr. Vincentium Capachionum et fr. Albertum de Fulgineo, et committimus patri provinciali Bohemiae, ut nostra autoritate eos redire compellat adhibitis, si opus fuerit, poenis et censuris.

Restitutiones.

In provincia utriusque Lombardiae de scitu sanctissimi domini nostri papae restituimus vocem activam et passivam fratribus, qui quomocunque ex alienis provinciis assignati fuerint pro studentibus in gimnasio Bononiensi, in pristinum eos revocantes et ad terminos constitutionum, prout servatur in aliis studiis generalibus, annullantes quamcunque ordinationem alias factam in contrarium.

Restituimus in provincia Romana ad gratias ordinis fr. Thomam Macinium Florentinum.

In provincia Calabriae restituimus ad gratias ordinis fr. Petrum de Spetiano parvo, et acceptamus ad ordinem et ad omnes gratias, quatenus opus esset, fr. Vincentium Roseminum de Amandolaria, qui alias nonnullis honestis de causis cum licentia summi pontificis dimisit habitum.

In provincia sancti Dominici restituimus ad gratias ordinis fr. Liberalem de Tarvisio et fr. Marinum de Venetiis.

In provincia Trinacriae restituimus vocem passivam fr. Antonino Sisilli de Milatio.

Concessiones.

Concedimus congregationi Aprutinae, quod possit assumere tres patres ex provincia Romana. 5

Concedimus provinciae Tholosanae pro eius pace ac tranquillitate, et ut evitentur pericula bellorum et haereticorum, ne habeantur capitula intermedia, quodque diffinitor electus in capitulo provinciali sit diffinitor generalis capituli sequentis. Eidem concedimus, quod iuxta constitutionem duos fratres possit mittere ad studium Salmanticense et totidem ad Bononiense, et sine excusatione moderatores studii eos acceptare debeant.

Concedimus provinciae Poloniae ad eius petitionem, ut fratres sui promoveri possint ad gradus scholasticos in universitate Cracoviensi, de scitu tamen reverendissimi magistri ordinis.

Concedimus provinciae Regni, ut in studio sancti Dominici de Neapoli numerus studentium provinciae ascendat usque ad tertium decimum inclusive.

Concedimus provinciae Theutoniae ob calamitates et miseras, quibus opprimitur, quod studentes duo acceptentur in conventu Bononiensi, etiam si non fuerint assignati per capitulum provinciale, dummodo tamen habeant literas testimoniales aut a reverendissimo generali aut a suo provinciali. 20

Concedimus provinciae Provinciae, quod modernus rev. provincialis possit perseverare in officio provincialatus usque ad dominicam « Deus qui errantibus » anni 1586. 25

Concedimus provinciae Aragoniae ad eius petitionem, ut prorogetur per aliud triennium officium prioratus s. Onophrii in personam patris fr. Ioannis Martini Mugnosci, si fuerit electus a vocalibus.

Concedimus titulum prioratus loco beatissimae Virginis del Rosario in oppido Caspi. 30

Concedimus provinciae Bohemiae, quod reverendissimus magister ordinis possit prorogare officium provincialatus usque ad sexennium in personam patris fr. Ludovici de Normo magistri moderni provincialis et successive in personam aliorum, qui illi succedent.

Concedimus in provincia sancti Thomae titulum prioratus locis Aquaevivae, Bovini et Vasariae. 35

In provincia Calabriae concedimus titulum eundem locis Montis Leonis, Stili, s. Donati et Celici.

Acceptationes.

In provincia Hispaniae acceptamus studium et collegium sancti Petri Martyris Toletanum et in universitatem erigimus iuxta acta capituli ge- 40

neralis Salmanticensis cum gratiis et privilegiis universitatum ad cursum agendum et recipiendum gradus usque ad magisterium inclusive.

Acceptamus monasterium sanctimonialium sanctissimi Rosarii de Capelletto Agnense in provincia Tholosana cum gratiis et privilegiis solitis, et earum curam committimus patri provinciali, dummodo vivant secundum nostras constitutiones et habeant, unde alantur.

Acceptamus et approbamus aggregationem conventus Leodiensis ad provinciam Franciae a provincia Germaniae inferioris.

In provincia Aragoniae acceptamus conventum sancti Laurentii in regno Cathaloniae, conventum sanctae Mariae de Rosario in oppido de Cividadilla, in insula Ibusae conventum sancti Vincentii.

In provincia sancti Thomae acceptamus domum sancti spiritus in Castromuri.

In provincia Calabriae acceptamus locum Castrivillaris.

Acceptamus et confirmamus institutionem et nominationem congregationis sanctae Catherinae de Senis in Aprutio et acceptationem locorum sancti Severi et sancti Vincentii de Neapoli cum omnibus gratiis, privilegiis et ordinationibus iuxta concessionem et literas reverendissimorum patrum bonae memoriae fr. Seraphini Cavalli et fr. Pauli Constabilis magistrorum ordinis.

Acceptamus provinciam Nesciovanensem Armenorum sub communi cura ordinis ac magistri generalis.

Translationes.

In provincia Franciae transferimus fr. Iacobum Bonnet baccalaureum Parisiensem a conventu Attrebatensi provinciae inferioris Germaniae ad conventum sancti Quintini, in quem illum incorporamus, fr. Mattheum Redaiis conventus Altvillaris provinciae Auxitanae ad conventum Nivernensem. Item dicto conventui reincorporamus fr. Guglielmum Bobin, a quo per beneficium fuerat separatus.

In provincia Tholosana approbamus translationem seu affiliationem fr. Antonii Planis in conventu Burdegallensi, sicut professionem in dicto conventu fr. Ioannis Maillardi et fr. Gerardi Godalli in conventu Agennensi.

In provincia utriusque Lombardiae transferimus affiliationem fr. Dominici de Tabia a conventu Tabiensi ad locum Wade, fr. Petri de Quintiano a conventu Papias ad locum Braidae, fr. Dominici conversi de Gusaco a conventu Baselensi ad conventum Bergomensem.

Approbamus affiliationem reverendi patris fr. Lactantii de Urceis, mag. commissarii in Urbe in conventu Cremonensi, mag. fr. Angeli Calepii de Cipro (1) in conventu sanctae Catherinae de Formello de Neapoli,

(1) De fr. Angelo Calepyo cf. supra pag. 213.

fr. Thimothaei de Bergamo in conventu Bergomensi, fr. Claudii de Valentia in conventu Ariminensi, fr. Constantii de Fossato in conventu Brixienti secundo, fr. Aurelii de Urceis in conventu Veneto.

In provincia Romana transferimus fr. Modestum Biliotum a conventu Perusino ad conventum sanctae Mariae Novellae, fr. Petrum de Taranto a suo conventu originali ad conventum Perusinum, et fratrem Placidum de Sigestro a loco Petrae sanctae ad conventum Lucensem.

In provincia Regni affiliamus et transferimus a suis conventibus originalibus fr. Hieronymum de Pontecurvo (1), fr. Aurelium de Balneolo (2), mag. fr. Seraphinum de Nuceria ad conventum s. Dominici de Neapoli, a conventu s. Mariae Annuntiatae de Avellino ad conventum Aversanum fr. Laurentium de Fontanarosa, a conventu Balneoli ad conventum s. Thomae de Neapoli fr. Gregorium de Balneolo, accedente assensu maioris partis filiorum conventus Avellini et Aversani.

Eodem modo transferimus fr. Paulum de Rocca Sicca ad conventum Caietanum.

Approbamus affiliationem fr. Mariani de Neapoli in conventu s. Dominici de Neapoli et fr. Vincentii de Airola in conventu s. Petri Martyris.

In provincia Ungariae transferimus ad conventum Frisacensem fr. Iulium de Iadra diffinitorem huius capituli a suo originali Iadrensi.

In provincia Poloniae transferimus fr. Melchiorem Varzensem a conventu Belzensi ad conventum Vlnensem, ad quem transferimus fr. Maurum conversum a conventu Sandomiriensi.

In provincia Aragoniae approbamus affiliationem videlicet fr. Didaci Ruis (3) a conventu Barchinonensi ad conventum Calataiubii, fr. Ioannis Capraros a conventu de Lombai ad conventum de Gottor, fr. Iacobi Morales a conventu de Lugent ad conventum Lombai, fr. Ludovici Tarros a conventu Illerdensi ad conventum Perpignanensem, fr. Damiani Dies a conventu Illerdensi ad conventum Sedis Urgellis, fr. Antonii Mazona a conventu Pudiceritani ad conventum Minoricae, fr. Petri Simon a conventu Illerdensi ad conventum Minoricae, fr. Petri Bruscall a conventu Pudiceritani ad conventum Vicensem, fr. Ioannis Beti a conventu sancti Matthei ad conventum sancti Francisci civitatis Dertusensis, fr. Nicolai Conca a conventu Castricaleris ad conventum de Lombai.

In provincia Bohemiae transferimus fr. Antonium de Mazareno et fr. Vincentium de Stephanis a provincia Trinacriae, fr. Vincentium de sancto Severino et fr. Hieronymum de Finali a provincia utriusque Lom-

(1) De fr. Hieronymo de Pontecurvo cf. supra pag. 210.

(2) De fr. Aurelio de Balneolo cf. l. c. pag. 217.

(3) De fr. Didaco Ruis (Rois) cf. l. c. pag. 218.

bardiae, fr. Benedictum de Bruna a provincia Hispaniae, concedentes eis, ut possint affiliari in aliquo conventu dictae provinciae.

In provincia Trinacriae transferimus a provincia Calabriae fr. Dominicum de Taberna, concedentes ei, ut possit affiliari in conventu s. Hieronymi de Messana, fr. Lucam de Bisbona a conventu Rafadalis ad conventum Villae Franchae, et fr. Blandanum Tabonum (1) a conventu sanctae Martae a Cripta Melitae ad conventum sanctae Mariae Portus Salvi civitatis Vallettae, a conventu sancti Dominici de Panormo fr. Vincentium Vallonum ad suum conventum Cameratae de consensu filiorum utriusque
10 conventus.

In provincia Bethicae approbamus affiliationem fratrum Ioannis de Mansilla praedicatoris generalis et Alphonsi Forsonii in conventu s. Dominici de Porta coeli.

In provincia sancti Thomae transferimus fr. Donatum de Licio a
15 loco Novolarum ad conventum Liciensem, fr. Marinum de Vigiliis a conventu Vigiliarum ad conventum Tranensem, fr. Hieronymum de Bitetto a conventu Barensi ad conventum Botuntinum, fr. Dominicum de Penna a congregatione Aprutina ad conventum Bovinensem, fr. Petrum de Casalnovi a conventu suo originali ad conventum sancti Petri in Galatina.

20 Approbamus affiliationem reverendi patris fr. Vincentii de Rubo magistri in conventu Andriensi, fr. Pauli de Bitetto in conventu Bitontino, fr. Antonini de Hostuno in conventu sancti Ioannis Baptistae de Licio, fr. Dominici de Conversano in conventu sanctae Mariae Magdalenae de Manfredonia.

25 In provincia Calabriae transferimus fr. Gregorium de Rosarno a conventu Cibaliensi et fr. Vincentium de Rosarno a conventu Briatici ad conventum Rosarni, fr. Scipionem de Serris a conventu Montisalti ad conventum Serrarum, fr. Hieronymum de Pracanica a conventu sancti Georgii ad conventum Pracanicae, fr. Michaellem de Gimiliano a con-
30 ventu Cosentino ad conventum Gimiliani, fr. Matthaem de Acri a conventu Caccurri ad conventum Acri.

In provincia sancti Dominici transferimus fr. Vincentium de Cipro a provincia Terrae sanctae et ad conventum sancti Ioannis Portigruari et fr. Baptistam de Cherio a vicaria sancti Petri Martyris, concedentes
35 ei, ut possit affiliari in conventu sancti Augustini de Padua, accedente assensu maioris partis filiorum conventus.

Approbamus affiliationem fr. Stephani de Cacurio a provincia sancti Thomae ad conventum Estensem et fr. Thomae conversi a conventu Estensi in conventu Patavino.

(1) De fr. Blandano Tavono (Tabulo) cf. supra pag. 211.

In congregatione Gallicana transferimus fratres Ludovicum Blanchard a conventu Lavallensi et Nicolaum Aubert a conventu Rothomagensi ad conventum Turonensem, in quem eos incorporamus et affiliamus.

In congregatione Aprutina transferimus fr. Antoninum de Aquila et fr. Dominicum de Fileto, fr. Ioannem de Ferandina a suis conventibus et provinciis ad conventum Aquilanum, fr. Silvium de Tripalda et fr. Archangelum Mediolanensem conversum ad locum s. Vincentii de Neapoli.

Approbationes.

In universitate Parisiensi approbamus magisteria fratrum Nicolai Roger Catalanensis, Blasii Fougher (1) Carnotensis, Ludovici Roze (1) Compendienseis, Augustini Comba (1) Rivolii, Antonii Bertonner (2) Molinensis.

Item lecturam sententiarum fratrum Ioannis Malardon, Augustini Ledue, Petri Hauzeau, Petri Trubet, Olivarii Beranger, Ectoris Lestran- ger, Guidonis Saule, Iacobi Cavin (2), Radulfi Marcham, Ioannis Patis, Ioannis Parel, Ioannis Fabri, Petri Caillier, Andreae Lecoq.

Item lecturam biblicam Roberti Vatepin, Francisci Boiisot, Petri Duequeau.

Item nominationes ad legendum sententias videlicet fr. Gerardi Revelli pro extraneis in anno 1583, fr. Nicolai Ango pro congregatione in anno 1584, fr. Francisci Bonsot pro provincia Franciae pro eodem anno, fr. Seraphini Banchi (3) pro extraneis 1585, Ioannis Menigant (4) pro provincia Franciae pro 1583, Claudii du Boiis pro congregatione, Iacobi Tribulet pro provincia Franciae pro eodem anno, Stephani de Mayre pro extraneis, Thomae Canthebien pro provincia Franciae pro anno 1584.

In provincia Hispaniae approbamus praesentaturam pro legendis sententiis usque ad magisterium exclusive fr. Francisci de Pereda (5), fr. Andreae de Pedrosa praedicatoris generalis, fr. Antonii Navarro (6) praedicatoris generalis, fr. Ferdinandi de Miranda, fr. Didaci de Yanques (7) regentis collegii sancti Gregorii Vallisoletti, fr. Didaci de s. Thoma prioris Zamorensis, fr. Andreae de Casso, fr. Felicis de Piazza lectoris sancti Petri Martyris Toletani, fr. Illefonsi de Somonte, fr. Iohannis Vincentii cathedram in schola Salmantina regentis.

(1) De ffr. Blasio Fougher, Ludovico Roze, Augustino Comba cf. supra p. 182.

(2) De fr. Antonio Bertonner (Bertomier) et fr. Iacobo Cavin cf. l. c. pag. 212.

(3) De fr. Seraphino Banchi cf. SSOP. II, 429.

(4) De fr. Ioanne Menigant cf. l. c. pag. 440.

(5) De fr. Francisco de Pereda cf. l. c. pag. 381.

(6) De fr. Antonio Navarro cf. l. c. pag. 307.

(7) De fr. Didaco Yanques cf. l. c. pag. 360.

In provincia Tholosana approbamus magisteria fratrum Paris Ardoini promoti de anno 1578, in hoc capitulo difflinitoris, Petri de Capite Villae et Andreae Christiani.

In provincia utriusque Lombardiae magisteria fratrum Azzaroli de Lugo, Pauli de Savona, Dominici Bazardi de Triviano, Egidii Marchesini (1) theologi publici in universitate Patavina, Pauli Isaesii Mirandulani in praesenti capitulo provincialis Terrae sanctae, Hieronymi Capugnani, bonae memoriae reverendissimi patris Constabilis socii, Baptistae de Genua, Lactantii Urcei commissarii generalis in Urbe, Dominici a Pace Ulisiponensis (2).

In provincia Romana magisterium fr. Timothei Bottonii (3) inquisitoris Genuensis, baccalaureatum fr. Vincentii Castrucci, Seraphini Ratii (4) et Iohannis Crisostomi de Balneolo.

In provincia Regni magisteria fratrum Ioannis Baptistae de sancto Severino, Thomae de Aversa, Pauli de Iuliano, Iohannis Baptistae de Campania, et baccalaureatum fr. Dionysii de Castromaris, et si opus esset illum instituimus.

In provincia Poloniae magisterium fr. Felicis Siradiensis, et baccalaureatum fr. Bartholomaei Praemisiliensis (5), cui datur facultas legendi sententias in studio Cracoviensi pro gradu et forma magisterii.

In provincia Aragoniae approbamus magisteria fratrum Francisci Loris, Ludovici Stellae, Dominici Paschalis, Antonini Linares, Lupertii Huete (6), Vincentii Iustiniani Antistii, Antonini Pons, Laurentii Ferrer, Hieronymi Xavierre, Iohannis Peres, Antonii Font.

Praesentatq̄ras fratrum Bartholomei Micco, Cosmae Dominghes, Ludovici Martin (7), Iohannis Vincentii, Iuliani Abraham, Ioseph Luquian (8), Pauli Genoves, Raphaelis Risos, Salvatoris Pons, Vincentii Matthei, Hieronymi Almenara, Thomae Truscillo (9), Iohannis Sagastisaval (10), Martini Ferrero.

In provincia Provinciae magisterium fr. Dominici Galli conventus Niciae.

(1) De fr. Egidio Marchesino cf. SSOP. II, 198.

(2) De fr. Dominico a Pace cf. l. c. pag. 258.

(3) De fr. Timotheo Bottonio cf. l. c. pag. 304.

(4) De fr. Seraphino Ratio (Razzi) cf. supra pag. 143.

(5) De fr. Bartholomaeo Praemisilien. cf. SSOP. II, 327.

(6) De fr. Lupertio Huete cf. l. c. pag. 328.

(7) De fr. Ludovico Martin cf. l. c. pag. 336.

(8) De fr. Iosepho Luquian cf. l. c. pag. 433 et supra pag. 221.

(9) De fr. Thoma Truscillo (Tragilio) cf. SSOP. II, 320.

(10) De fr. Ioanne Sagastisaval cf. l. c. pag. 321.

In provincia Dalmatiae magisteria fratrum Simonis Isoritii Iadrensis diffinitoris in praesenti capitulo, Iacobi Italo de Sibenico, Placidi de Iadra, Eustachii Lucii de Lesina.

In provincia Trinacriae magisteria fratrum Egidii Baresii, Pauli la Perla, Vincentii Sarno, Angeli Tuminelli, Thomae de Castania, Iohannis Baptistae Guglielmi, Chrisostomi de sancto Angelo.

In provincia Portugalliae magisteria admodum rev. patris Antonii de Sousa, qui fuit procurator ordinis et vicarius generalis et modo sponte renuntiavit officio.

In provincia Bethicae approbamus lecturas eorum, qui cum obtinuerint cathedras in scholis secularium et cum legerint per quatuor annos, promovebuntur ad magisterium et erunt extra numerum taxatum, dum tamen capitulo generali praesententur. Et modo acceptamus magisteria eorum, qui legerunt per quatuor annos videlicet: fratrum Vincentii Hernandez, praesentis capituli diffinitoris et regentis Ossunensis, Iohannis de Vilches regentis Bastetani, Christofori del Salto regentis Hispalensis.

In provincia Germaniae inferioris magisterium fr. Antonii Ruiis Kensveldii Gandavensis de fide catholica bene meriti in praesenti capitulo licentiatum et insigniis decoratum.

In provincia sancti Thomae magisteria fratrum Michaelis de Barulo, Vincentii de Trano et Iacobi de Brundusio.

In provincia Calabriae magisterium fr. Dominici de Hieraccio.

In provincia sancti Dominici magisteria fratrum Cherubini de Cypro, Petri Martyris Estensis, Gabrielis de Padua, Livii de Tarvisio, Angeli de Venetiis.

In vicaria sancti Petri Martyris magisteria fratrum Dominici Buelli (1) inquisitoris Novariensis, Stephani Dosenae theologi publici Taurini, Sebastiani Cattanei (2) theologi illustrissimi domini archiepiscopi Salizburgensis; approbamus praesentaturam fr. Christophori de spiritu sancto, diffinitoris in hoc capitulo pro provincia s. Iohannis Baptistae del Peru.

Institutiones.

In provincia Regni instituimus lectores fr. Antoninum de Optato, fr. Gregorium de Iuliano, fr. Thomam de Castromaris, fr. Dominicum de Laino, volentes tamen, ut prius examinentur et approbentur iuxta breve summi pontificis.

In provincia Franciae instituimus praedicatores generales fratres Abel Verdfus conventus Bruvinensis et priorem Belne, Petrum Regis conventus Senonensis.

(1) De fr. Dominico Buelli cf. SSOP. II, 275.

(2) De fr. Sebastiano Cattaneo cf. l. c. pag. 369.

In provincia Poloniae instituimus baccalaureos fratres Melchiorem Varezum, difflinitorum in praesenti capitulo, et Chrisostomum Romanovium.

In provincia Bohemiae instituimus praedicatorum generalem fr. Dominicum Vinclerum difflinitorum in praesenti capitulo.

In provincia Provinciae instituimus praedicatorum generalem fr. Benedictum Necum conventus Niciae.

In provincia sancti Thomae instituimus praedicatorum generalem fr. Vincentium de Atella.

In provincia Calabriae instituimus praedicatorum generales fr. Sebastianum de Calara et fr. Aurelium de Altomonte.

In provincia s. Dominiçi instituimus lectorem conventus Utinensis fr. Petrum Antonium Ducis de Utino, et fr. Trivisanum de Tarvisio in lectorem catechismi seu sacrae scripturae in conventu Tarvisino.

Licentia promovendorum.

In provincia Tholosana licentiamus ad magisterium fr. Renatum Fabrum, Maturinum Beucherium, Gerardum Godallum.

In provincia Ungariae licentiamus ad baccalaureatum fr. Vincentium Sotier de Antverpia, dum tamen provideatur sibi, quod possit exercere actus scholasticos.

In provincia Aragoniae licentiamus ad magisterium fr. Christophorum Scriva, ad baccalaureatum fr. Franciscum Chinto, fr. Michaellem Ferrer, fr. Thomam Fortunon, fr. Andream Vincentium, fr. Michaellem Loscos, fr. Vincentium Bruno, fr. Didacum Ruis, fr. Sebastianum Casesnoves, fr. Ioannem Ferdinandum (1), fr. Ioannem Boras, fr. Petrum Lopes Chiales, fr. Petrum Blaschum (2), fr. Hieronymum Baptistam, fr. Ioannem Peres, fr. Petrum Aspeitia, fr. Andream Balacher (3), fr. Raphaellem Castello, fr. Hieronymum Halcozer.

In provincia Dalmatiae licentiamus ad magisterium fr. Nicolaum de Iadra inquisitorum Iadrensem et in praesenti capitulo provincialem.

In provincia Provinciae licentiamus ad gradum magisterii fr. Iacobum Tornerium conventus Grassae, Umbertum Borigli conventus Aquensis, Vincentium Tebaldum conventus Niceae, ad baccalaureatum fratres Hieronymum Romanacensem, Gaspardum Doneaud, Claudium Laugerii, Lucam Alemandi, Iohannem Fortias, postquam responderint publice in capitulis vel in universitate famosa.

In provincia Portugalliae licentiamus ad magisterium fratrem Iohan-

(1) De fr. Ioanne Ferdinando cf. SSOP. II, 440.

(2) De fr. Petro Blascho cf. l. c. pag. 391.

(3) De fr. Andrea Balacher cf. l. c. pag. 452.

nem de Valladares electorem in praesenti capitulo et ad baccalaureatum pro congregatione solum Indiarum fr. Nicolaum de sancto Thoma et fr. Marcum Coila.

In provincia Germaniae inferioris licentiamus ad baccalaureatum fratres Antonium Gambir (1), Iacobum Chele, Antonium Pichard. 5

In provincia Oscitana licentiamus ad baccalaureatum fr. Honoratum de Boyx conventus Avenionensis.

Omnes promoti sive licentiati in hoc capitulo teneant locum suum respective secundum ordinem professionis, et nullus audeat suscipere gradus huiusmodi, nisi prius examinatus iuxta ordinationem alias factam sufficiens repertus fuerit. 10

Acceptamus et approbamus iudicum sententias in hoc capitulo nostro generali suumque volumus sortiri effectum.

Reverendorum patrum diffinitorum auctoritatem per totam diem lunae durare volumus. 15

Committimus reverendissimo magistro ordinis nostram auctoritatem in praemissis et circa praemissa omnia et singula declarandi, interpretandi, addendi, minuendi, dispensandi et omnia et singula faciendi, quae capitulum generale et nos facere possumus, prout opportunum ei visum fuerit.

Provisiones studiorum. 20

In universitate Parisiensi continuamus in regentis munere patrem fr. mag. Nicolaum de Monte et fr. Iohannem Monelastre pro congregatione Gallicana, pro parte vero provinciae Franciae instituimus regentes in eadem universitate patres magistros fr. Eraclium Praevost et fr. Blasium Fouchir, et absolvimus a suo regentis officio patres magistros fr. Petrum de Dumo et fr. Nicolaum Royer causis nobis notis. 25

In provincia utriusque Lombardiae in studio Bononiensi damus in regentem pro annis 1583, 1584 et 1585 patrem magistrum fr. Euseum Capys inquisitorem, quod munus si ob officium inquisitionis exercere non valebit, damus patrem magistrum fr. Baptistam de Genua. In baccalaureum pro annis 1583, 1584 patrem magistrum fr. Paulum de Saona, pro annis 1585, 1586 patrem magistrum fr. Iohannem Antonium de Floriano. In magistrum studii pro primo anno patrem magistrum fr. Iohannem Mariam de Salutiis, pro secundo fr. Seraphinum de Porrecta, pro tertio provideat reverendus provincialis iuxta morem provinciae. 35

In provincia Regni in studio sancti Dominici de Neapoli confirmamus in regentem per aliud triennium patrem magistrum Hieronymum de Pontecurvo. In baccalaureum damus fr. Vincentium de Airola et in magistrum studii fr. Iohannem Baptistam de Aversa.

(1) De fr. Antonio Gambir cf. SSOP. II, 296.

In provincia Aragoniae in conventu Barchinonensi damus in lectorem primum theologiae fr. Paulum Genoves, in secundum fr. Salvatorem Pondez praesentatum, de lectore artium et magistro studentium provideat rev. provincialis.

5 In conventu Valentino damus in lectorem primum theologiae fr. Hieronymum Almenazza praesentatum, in secundum fr. Hieronymum Baptistam de Lanuza (1) praesentatum, in lectorem artium fr. Iohannem Barzelonam, in magistrum studentium fr. Didacum Mas.

In conventu Caesaraugustano in lectorem primum theologiae damus
10 fr. Michaellem Loscos praesentatum, in secundum fr. Hieronymum Labadia praesentatum, in magistrum studentium fr. Petrum Lopes, de lectore artium provideat reverendus provincialis.

In conventu Illerdensi damus in lectorem primum theologiae fr. Michaellem Ferer priorem conventus, in secundum fr. Michaellem Fontanet,
15 de lectore artium et magistro studentium provideat rev. provincialis.

In conventu Calataiubii damus in lectorem primum theologiae fr. Petrum Azpeytia, in secundum fr. Didacum Zoviz, in magistrum studentium fr. Augustinum Garzia, de lectore artium provideat rev. provincialis.

In conventu s. Onuphrii in lectorem primum sacrae theologiae damus
20 fr. Martinum praesentatum, in secundum fr. Franciscum Tinto praesentatum, in lectorem artium fr. Petrum Pla, in magistrum studentium fr. Martinum de Lacarzere.

In conventu Lucentino provideat reverendus provincialis.

In provincia Trinacriae in studio Panormitano damus in regentem
25 pro primo anno patrem magistrum fr. Scipionem Rosam, pro secundo et tertio patrem magistrum fr. Nicolaum Sigerium de Drepano, in baccalaureum pro primo anno fr. Dominicum Lovecchio, pro secundo et tertio fr. Decium de Panormo, in magistrum studentium pro primo anno
30 fr. Hyppolitum Vitalis, pro secundo fr. Antonium Corrales, pro tertio fr. Iosephum de Terminis.

In studio Messanensi de regente et baccalaureo provideat rev. pater provincialis, in magistrum studentium pro primo anno fr. Vincentium de Bonsignorio, pro secundo fr. Ioannem Antonium de Cathania, pro tertio fr. Ioannem Baptistam de sancto Angelo.

35 In provincia Germaniae inferioris in studio Lovaniensi damus in regentem fr. Nicolaum Nellium et fr. Stephanum Ionam licentiatum in magistrum studii, quando reviviscere coeperit studium.

In regentem studii Duacensis fr. Iohannem Turpinum et in magistrum studii fr. Iohannem Leonard.

(1) De fr. Hieronymo Baptista de Lanuza cf. SSOP. II, 438.

In provincia sancti Thomae in studio Andriensi damus in regentem pro primo anno fr. Hieronymum de Taranto, pro secundo fr. Iohannem Baptistam de Medunio, pro tertio fr. Franciscum de Martina magistrus. In baccalaureum pro primo anno fr. Vincentium Neritonensem, pro secundo fr. Vincentium de Monopoli, pro tertio fr. Vincentium de Vigiliis. In magistrum studii damus pro primo anno fr. Vincentium de Monopoli, pro secundo fr. Antoninum de Licio, pro tertio fr. Andream de Andria.

In provincia Calabriae in studio Cosentino confirmamus in regentem pro primo anno fr. Dominicum de Hieracio magistrum, in baccalaureum fr. Andream de Petrapaula, in magistrum studii fr. Augustinum de Rosarno, pro secundo fr. Philippum de Tabernis.

In provincia sancti Dominici in studio Patavino damus in regentem pro tribus annis 1583, 1584, 1585 fr. Livium de Tarvisio magistrum, in baccalaureos fr. Hyppolitum et fr. Paulum de Venetiis, pro primo anno, pro secundo et tertio fr. Livium de Padua, in magistrum studii pro primo anno fr. Sixtum de Venetiis, pro secundo fr. Thomam de Utino, pro tertio fr. Thomam de Tarvisio.

In congregatione sanctae Catherinae Senensis in studio Theatino pro tribus annis damus in regentem patrem fr. Vincentium Seth magistrum, in baccalaureum fr. Leonardum de Perusio, in magistrum studii fr. Iohannem de Florentia.

Assignationes.

In provincia Regni assignamus studentes formales fr. Thomam de Pola, fr. Simplicianum de Siciliano, fr. Alphonsum de Aversa, fr. Ambrosium de Caieta, fr. Marcum de Castromaris, fr. Stephanum de Monte Peluso, fr. Dominicum de Caserta, fr. Augustinum de Iuliano, fr. Iordanum de Turre Esculis, fr. Ioannem Baptistam et fr. Gregorium de Pontecurvo, fr. Andream de Theano, fr. Thomam de Neapoli, qui recipiantur ad libitum rev. patris provincialis, cum locus vacaverit.

In studio Bononiensi pro eadem provincia fr. Michaellem Chiavès pro primo loco vacante, et fr. Matthiam de Optato pro secundo triennio, annullantes omnes alias assignationes factas quibuscunque fratribus huius provinciae pro tali studio, et vacante loco dicti fr. Matthiae assignamus fr. Thomam de Balneolo.

In studio Panormitano fr. Hyppolitum de Iuliano et fr. Salvatorem de Aversa.

In studio Adriensi fr. Ioannem Thomam de Ariano et fr. Stephanum de Neapoli.

In studio Cosentino fr. Erasmus de Magdalono et fr. Hyppolitum de Neapoli.

In studio Patavino fr. Ambrosium de Aversa et fr. Antonium de Summa, revocantes causas nobis notis assignationem eis factam et annullantes eorundem receptionem in conventu et studio s. Dominici de Neapoli.

5 Ex provincia Provinciae in conventu Bononiensi assignamus studentem fr. Vincentium Emerici conventus Aquensis.

Et in provincia utriusque Lombardia assignamus fr. Reginaldum Merle, fr. Gaspardum Langerium et fr. Antonium Guiscardum eiusdem conventus, ut possint suo tempore in dicto studio pro studentibus assignari.

Ex provincia Dalmatiae assignamus in studentes in studio Bononiensi fr. Vincentium Merosium de Iadra et fr. Simonem de Lesina.

Ex provincia Trinacriae assignamus in studentes in studio Bononiensi fr. Raymundum de Messana, fr. Petrum Canizzanum de Treppano, fr. Petrum Martirem de Castania pro provincia Bohemiae.

In studio sancti Dominici de Neapoli fr. Franciscum de Cacabo pro primo loco.

In studio Patavino fr. Salvatorem de Marsalla.

In provincia sancti Thomae assignamus studentem fr. Ioannem Baptistam de Tarento, fr. Antonium de Lisarano et fr. Dominicum de Licio.

In studio Bononiensi assignamus studentes pro primo loco vacante fr. Andream de Neritono et pro secundo fr. Ioannem de Medunio, et pro rata provinciae Unghariae fr. Antoninum de Andria.

In studio sancti Dominici de Neapoli pro primo loco fr. Hieronymum de Barulo et pro secundo fr. Thomam de Neritono et pro rata provinciae Unghariae fr. Thomam de Andria et fr. Leonardum de Corato.

In studio Panormitano assignamus in studentem fr. Sixtum de Misapia.

In studio Cosentino assignamus studentem fr. Alexandrum de Neritono.

30 In studio Patavino assignamus pro studentibus pro primo loco fr. Gabrielem de Monopoli et pro secundo fr. Bartholomeum de Barulo.

Ex provincia Calabriae assignamus studentes in studio Bononiensi fratres Stephanum de Rosarno et Vincentium de Tabernis.

In studio Neapolitano assignamus pro secundo triennio fr. Augustinum de Cosentia et fr. Marcum de Cosentia.

In studio Panormitano assignamus in studentes fr. Ioannem Marianum de Maliis et fr. Thomam de Longobuco.

In studio Messanensi assignamus in studentem fr. Thomam de Pracanica.

40 In provincia sancti Dominici assignamus studentem formalem in studio Bononiensi fr. Damianum de Venetiis.

In studio Panormitano fr. Laurum de Venetiis.

In studio Patavino reassignamus fr. Octavianum de Venetiis.

In studio sancti Pauli Hispalensis in provincia Bethicae fr. Ciprianum a Flumine Patavum.

Ex vicaria Romana assignamus studentem in studio Bononiensi fr. Gabrielem de Floriano. 5

In studio Neapolitano fr. Ioannem Baptistam de Amatrice.

In studio Perusino fr. Thomam de Arimino.

Ex vicaria sancti Petri Martyris assignamus studentem in studio Patavino pro primo loco fr. Basilium de Novaria. 10

In studio sancti Dominici de Neapoli fr. Amadeum de Taurino.

Recepti ad beneficia ordinis.

Recipimus et toto animo admittimus ad omnia beneficia spiritualia ordinis:

Christianissimum regem Galliae. 15

Catholicum regem Hispaniarum.

Serenissimum regem Poloniae.

Illustrissimum et reverendissimum cardinalem Carafam ordinis viceprotectorem.

Illustrissimum et reverendissimum dominum cardinalem Dezam. 20

Illustrissimum et reverendissimum d. principem imperii archiep. Salisburgensem.

Illustrissimum et reverendissimum d. archiep. Granatensem.

Illustrissimum et reverendissimum dominum episcopum Saguntinum.

Illustrissimum et reverendissimum dominum archiepiscopum Valentinum et patriarcham Antiochenum. 25

Illustrissimum et reverendissimum d. archiep. Cesaraugustanum.

Illustrissimum et reverendissimum d. archiep. Tarraconensem.

Illustrissimum et reverendissimum d. Fantinum archiep. Cosentinum.

Illustrissimum et reverendissimum d. Aurelium Zibramontem episcopum Albae. 30

Excellentissimum dominum oratorem catholicae maiestatis in Urbe.

Illustrissimum et reverendissimum dominum Ludovicum Blanchettum sanctissimi domini nostri papae cubiculariorum primum.

Admodum illustrem et reverendum dominum Paulum Ghisellum. 35

Illustrissimos dominos Paulum Emilius marchionem et Fredericum de Caesis.

Illustrissimum dominum Ioannem Baptistam Lentergium serenissimi ducis Ferrariensis secretarium.

Dominum Bernardum de Olgiatis cum domina uxore. 40

Illustrissimam dominam Claudiam de Die comitissam de Varaz.

Venerabilem Ludovicam de Monceaux abbatissam s. Pauli prope Bellovacum.

Dominam de Lisse quae aedificavit monasterium in diocesi Agennensi, cui in domino multa debemus ob eius singularem benevolentiam.

5 Dominum Ioannem Baptistam Comparotum.

Illustrissimas dominas Portiam Cesiam de Ursinis, Laviniam, Franciscam et Olimpiam de Ursinis.

Suffragia pro vivis.

10 Pro sanctissimo domino nostro Gregorio XIII. quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro aliis principibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Alexandrino, ordinis nostri protectore, quilibet sacerdos unam missam.

15 Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Carafa viceprotectore quilibet sacerdos unam missam.

Pro alma Urbe, civibus et nobiles eius quil. sac. unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris et pro receptis ad beneficia ordinis quilibet sacerdos unam missam.

20 Pro statu nostri ordinis et pro eius capite patre reverendissimo et eius sociis quilibet sacerdos unam missam.

Ubi imponitur sacerdotibus una missa, clericis semper litaniae et laicis ac conversis decies pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

25 Pro anima illustrissimi domini cardinalis de Ursinis, qui perpetuam eleemosinam capitulo generali reliquit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima illustrissimi domini cardinalis Iustiniani, olim ordinis nostri generalis, quilibet sacerdos unam missam.

30 Pro anima illustrissimi et reverendissimi domini Iohannis Loazes patriarchae Antiocheni, qui collegium Oriolae extruxit, dotavit et ornavit maxima liberalitate, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima patris fr. Pauli Constabilis, olim magistri ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

35 Pro animabus fratrum ac sororum nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus eorum, qui recepti fuerunt ad gratias ordinis, atque aliorum benefactorum quilibet sacerdos unam missam.

Ubi imponitur una missa, clerici dicant officium mortuorum, conversi et laici tertiam partem Rosarii.

40 Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus diffinitoribus huius capituli, quod unusquisque eorum possit recipere ad ordinem et gratias

eius unum ex illis, qui usque ad hanc diem fuerunt apostatae aut damnati ad poenas gravioris culpae, in sua provincia tantum, non tamen suspectum de fide.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus fratribus et sororibus ordinis, quod sacerdotem nostri ordinis ad confessionum 5 audientiam expositum sibi in confessorem pro una vice tantum eligere et ab eodem de praeteritis usque ad praesentium notitiam casibus, peccatis et censuris omnibus absolvi possunt, a quibus ipse reverendissimus absolvere potest.

Mandamus acta capituli huius per reverendos diffinitores sigillata et 10 subscripta ad suas provincias deferri, diligentia vero provincialium publicari. Quod ut ipsi provinciales exequantur, eis mandamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum primum, assignamus in conventu regio sancti Dominici de Neapoli anno MDLXXXVI. in festo sanctissimae Pentecostes. 15

Fratres qui gloriose obierunt.

In provincia Tholosana anno 1582 capta fuit civitas sancti Emilianii ab haereticis, qui invaserunt conventum nostrum, in quo invenerunt p. f. Petrum de Rivis (1) mag. et priorem et captivum fecerunt una 20 cum patre altero sacerdote; qui capti et ligati positi fuerunt in carcerem, crudeliter tractati minis, contumeliis et tormentis per duos menses, tandem pater Petrus veneno et afflictionibus attritus, redemptus summa ducentorum aureorum in conventu Burdegalensi migravit in coelum.

In Germania inferiori magna pars conventuum solo aequata conspicuntur et in partibus Hollandiae, Zeelandiae, Frigiae et Geldriae fratres nostri tormentis ac poenis, persecutionibus et afflictionibus innumeris ac multis mortis generibus excarnificati sunt, et pro fide catholica mortui horum nomina leguntur in libro vitae. 25

In conventu Valentino provinciae Aragoniae die nona octobris 1582 30 p. f. Ludovicus Beltran (2) vitam duxit angelicam summa austeritate, humilitate, patientia et aliis virtutibus clarus, tandem plenus operibus bonis et spiritu prophetico, multis miraculis in vita factis, evolavit ad coelum magno populorum applausu et concursu et modo in coelis gaudens ostendit eum invocantibus, quanti sit meriti apud Deum, cui servierat. 35

In conventu sanctae Mariae Novellae de Florentia provinciae Romanae diem extremum clausit et hanc mortalem cum sempiterna et im-

(1) De fr. Petro de Rivis cf. supra pag. 180.

(2) De fr. Ludovico Beltran (Bertrando) cf. SSOP. II, 263.

mortali vita commutavit rev. p. f. Alexander Capoccius Florentinus (1), vir integerrimae vitae angelicaeque conversationis, qui ita vixit, ut maximam opinionem sanctitatis apud omnes de se reliquerit.

5 *Istae sunt ordinationes pro monialibus factae in capitulo generali Romae celebrato anno domini 1583, quas praecipit reverendissimus generalis p. fr. Sixtus Fabri Lucensis magist. ord. praedicatorum ab omnibus observari sub poenis in ipsis contentis.*

Ad monasteria monialium nullus accedat, neque a superioribus accedendi concedatur licentia nisi in casibus praelati iudicio necessariis, 10 exceptis iis qui in ipso monasterio habuerint consanguineam in primo aut secundo gradu inclusive, quibus conceditur, ut de licentia suorum praelatorum possint aliquando, sed raro ad ea monasteria accedere et cum ipsis tantum consanguineis loqui. Qui autem absque licentia accesserit aut locutus fuerit, excommunicatione latae sententiae, quam ipso 15 facto incurrat, subiaceat et nihilominus qui in hoc ita deliquerit, ut populo scandalum sit, iuxta decretum concilii Trid. sess. 25, c. 14, instante illius loci episcopo a suo superiori puniatur. Praelatis autem et confessoribus ipsarum monialium licebit in casibus necessariis pro ratione officii cum monialibus loqui; quod si in hoc excesserint praelati, in poenam 20 absolvantur, confessores vero poena gravioris culpae puniantur.

Nemo ab ullis omnino monialibus literas, nuntios aut schedulas, etiam apertas, per se aut interpositas personas accipiat aut eisdem mittat, etiam praetextu cuiusvis facultatis aut licentiae sibi tributae, quas omnes 25 revocamus, exceptis iis qui in superiori ordinatione excepti sunt; contrarium autem facientes puniantur poenis in superiori ordinatione respective constitutis. Quod si necessitas aut utilitas monasterii tulerit, ut ab aliis literae aliquae ultro citroque mittantur, non alteri quam praelato aut confessori sive abbatissae aut priorissae tradantur. Munuscula vero a monialibus nullus omnino accipiat aut eisdem mittat, et contrafa- 30 cientes gravissime puniantur. Per hoc autem non prohibetur eleemosinas mittere pro communitate aut infirmis.

Non liceat alicui fratri indumenta, pannos aut alia quaecumque monialibus tradere conficienda, sarcienda aut abluenda sub poena amissionis ipsarum rerum aliisque poenis arbitrio superioris imponendis, quas etiam 35 incurrant moniales eiusmodi res, ut circa eas laborent, accipientes. Si tamen aliquid erit, in quo moniales operari debeant, illud de licentia superioris, priorissae, aut abbatissae tradatur, moniali consignandum, cui sibi videbitur.

(1) De fr. Alexandro Capoccio cf. SSOP. II, 261.

Deinceps omnes amicitias et familiaritates omnium fratrum nostrorum cum monialibus tam nostri quam alterius ordinis et e contra sororum cum fratribus nostri aut alterius ordinis sive etiam cum quibuscumque secularibus prohibemus et sublatas prorsus esse volumus; quod si quas in posterum aliquem contraxisse contigerit aut contractas prosequi literis aut muneribus aut id genus similibus rebus ausus fuerit, ad decennium poena gravioris culpae puniri volumus absque ulla excusatione atque exilio perpetuo ab eodem loco; religiosas vero ad quoscunque gradus, honores et officia quaecunque inhabiles esse decernimus, et renuentes se corrigere et ab huiusmodi abstinere omni voce et velo privamus; conversas autem tales amicitias contrahentes aut contractas retinentes nudo capite et sine scapulario incedere mandamus, nolentes posse unquam restitui absque nostra auctoritate.

Intra septa monasterii nullus superior neque visitatores ingrediantur praeterquam durante visitatione seu alias in casibus necessariis iuxta decretum concilii Tridentini et bullas summi pontificis, et tunc assumptis duobus sociis maturae aetatis et conventus illius loci gravioribus. Confessores etiam non nisi in casibus necessariis et ad eorum officium spectantibus ingrediantur; omnino autem intelligant omnes extra hos casus prohibitum esse a concilio Tridentino et constitutionibus pontificiis; quae constitutiones in aliquo loco in omnibus monasteriis habeantur, ut omnibus innotescant. Quandocumque autem supradictos ingredi necessarium fuerit, non morentur in aliquo loco, ubi a sociis videri non possint.

In exequiis monialium tempore quo earum corpora sepulturae mandantur, ingrediantur ad sepeliendum solum qui necessarii fuerint, sed vestibus sacris induti et non aliter. Neque permittantur secularium aliquorum corpora intra clausuram monasteriorum sepeliri.

Nullus etiam confessor dormiat aut pernoctet in hospicio monasteriorum monialium, nisi illud ita separatum sit, ut colloqui aut conversari inde cum monialibus nullo modo possit.

Confessores monialium eisdem missam celebrent et pro capellanis deserviant, neque alii admittantur, nisi ubi fuerint aliquae capellaniae aut parochiae constitutae, confessoresve prae senio pro capellanis deservire non possunt, aut etiam si secundum monasterii consuetudinem plures missae celebrari solent; tunc enim alii ascisci poterunt nostri ordinis regulares aut clerici seculares, quibus etiam non licebit cum monialibus loqui sub poenis in prima ordinatione constitutis.

Porro declaramus, omnes et quoscunque religiosos cuiuscumque rei causa aut celebrandi missam aut aliquid aliud agendi ad huiusmodi monasteria a suis superioribus missos sub eisdem poenis quibus in prima ordinatione prohibitos esse cum eisdem monialibus loqui. Ita ordinamus

praecipimus et declaramus. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Non obstantibus in contrarium quibuscunque. In quorum fidem etc.

Sixti Fabri Lucensis litterae de reformatione studiorum.

Romae 3 oct. 1585.

Nos frater Sixtus Fabri Lucensis

sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum
humilis generalis magister et servus.

Quoniam religionem hanc s. Dominici multiplici doctrinarum et studiorum genere semper enituisse cognovimus, nobis, patres optimi, qui residui sumus, opera danda, ne hoc insigne lumen praeclarum et singulare his nostris temporibus in nostris extingatur manibus, doctoribus exemplisque ex omni parte in omni scientiarum genere non caremus. Habemus in theologia principem doctorem angelicum sanctum Thomam cum numerosa discipulorum suorum acie, qui ex tam limpido fonte biberunt eundem pariter in philosophicis logicalibusque disciplinis cum plerisque aliis, qui eandem doctrinam secuti Aristotelis libros exposuerunt. In lingua sancta Xanctem Pagninum (1), in canonica doctrina compilatorem Raimundum (2) et s. Antoninum (3), et in aliis non desunt, qui suis florere temporibus. Neque enim noster modo est animus, ut omnes commemoremus, neminem enim latent; sed tantum, ut ita generatim nominemus et ad istorum exempla provocemus, ut eorum vestigia sequamur. Quamobrem ad reformationem studiorum, dignissimorum patrum habito consilio, haec quae infra inviolabiliter observanda decrevisse volumus.

Primo quod in conventibus, ubi lectores et lectiones assignari possunt, ad instructionem et eruditionem incipientium et progressus facientium nullo habito respectu assignentur. Quibus assignatis, permittatur illis nempe lectoribus et discipulis quam coeperint seu logicae seu philosophiae disciplinam absque ulla facta mutatione ad finem usque perducere; quod si aliter forsitan fieri eorum mores exegerint, carcere in eodem conventu puniantur, sola camera et choro locisque necessariis sublevati; vel si inepti fuerint, omni studiorum commodo privati, nigro scapulario induantur. Ad philosophiae autem lecturam non admittantur, nisi qui logicae, nec ad theologiae, nisi qui philosophiae cursum expleverint.

(1) De fr. Sancte Pagnino cf. SSOP. II, 114, 824.

(2) De s. Raymundo de Peñaforti cf. l. c. I, 106.

(3) De s. Antonino de Florentia cf. l. c. I, 817.

Logicae cursum duobus annis perficiant, primo anno in expositione summularum Petri Hispani laborent, secundo vero anno in declaratione logicae Aristotelis.

Philosophiae cursum triennio explorare teneantur, ita ut primo anno totam phisicam, secundo libros de anima usque ad septimum methaphisicae exclusive, tertio reliquos methaphisicae libros absolvant; qui vero contrafecerint nec praedicta servaverint nec modum in legendo tenuerint, ita in visitationibus reperti gradu lectoratus ipso facto privati declarentur.

Toto anni tempore legatur, exceptis vacationibus, quae habentur a medietate iulii usque ad festum sanctae Crucis, similiter diebus festis solemniter a populo celebratis, adhuc a septuagesima usque ad quinquagesimam inclusive, et a dominica immediate ante Adventum usque ad ipsum Adventum, et die iovis quolibet, nisi infra hebdomadam festum occurrerit.

Lectores actuales eorumque discipuli nullo alio impediuntur officio neque prioratus neque praedicationis neque electionis in socios priorum ad capitulum; quod si secus factum fuerit, ab illa lectura amoveantur, et totum irritum sit et nullius roboris.

Ubi sacrae theologiae lectio habetur, omnino mandamus una cum speculativa aliam partem moralem legi, a duobus quidem lectoribus, sed iisdem discipulis, ita ut mane alter ante horam officii divini, alter vero post officium legat; cum quibus etiam discipulis similiter collationes et conclusiones habeant eo ordine, ut alternatim et conclusiones disputentur et repetitiones fiant lectionum. Speculativam autem dicimus esse primae partis et tertiae partis. Moralis vero primae secundae et secundae secundae. Quilibet autem ex his lectoribus teneatur totum cursum quatuor annis absolvere, ita quod speculativus primo anno a principio primae partis legat usque ad tractatum de Trinitate exclusive, altero usque ad finem primae partis, quaestiones videlicet non necessarias et inutiles omittendo, tertio similiter a principio tertiae partis usque ad tractatum de sacramentis, quarto usque ad finem tertiae partis.

Moralis autem primo anno legat a principio primae secundae usque ad tractatum de habitibus inclusive, reliquum vero primae secundae secundo anno; tertio a principio secundae secundae usque ad tractatum de charitate, quarto vero usque ad finem; haec omnia si non servaverint lectores, in poenam a suis officiis absolvantur nec restitui possint absque magistri ordinis auctoritate.

Lectores in legendo ita discipulorum captui se accomodent, ut prorsus ab ipsis discipulis lectiones scribantur, quibus discipulis idem mandamus sub poena sedendi in terra qualibet vice, qua non scripserint; quam poe-

nam volumus a lectoribus infligi, alioquin ipsi lectores eandem poenam incurrant.

Lectores praefati, nisi sint aliquo gradu insigniti puta magisterii provinciae et baccalaureatus, sese praecedant iuxta ordinem suae professionis. Quilibet autem praesit in suis collationibus et in disputationibus. In camera vero ignis alternatis vicibus dubitationes solvant. Habeant etiam conclusiones publicas semel in principio studiorum et semel in fine, ita ut tam moralia quam speculativa dogmata simul disputentur, et in huiusmodi publicis disputationibus uterque praedictorum lectorum respondentem adiuvabit, speculativus, dum speculativa, et alter, dum moralis conclusio impugnabitur.

Horae vero lectionum nullo modo impediuntur a prioribus nec quoad lectores nec quoad discipulos sub poena absolutionis ab officio prioratus. Novitii vero toto tempore novitiatus, quod erit quatuor annorum, in exercitatione linguarum versentur, et adhibeantur etiam magistri seculares quoadusque reperiantur in ordine, qui in huiusmodi linguis alios docere possint. Nec liceat eis in alteram scientiam incumbere, quam ut supra dictum est. Ideo eorum munus erit orationem tam in principio quam in fine studiorum et in festo angelici doctoris s. Thomae publice dicere.

Ita statuimus, ordinamus et ab omnibus, ubi studia vigent, inviolabiliter observari volumus et sub praecepto formali mandamus. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Non obstantibus in contrarium quibuscunque. In quorum fidem his nostro sigillo munitis manu propria subscripsimus.

Datum Romae die 3 octobris 1585.

Fr. Sixtus Fabri Lucensis, qui supra, manu propria; assumptionis nostrae anno tertio.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
IN FESTO SANCTISSIMAE PENTHECOSTES
ANNO DOMINI .M^o.D^o.LXXXIX^o. DIE VIGESIMA PRIMA MAII.

Sub reverendissimo patre fr. Hippolyto Maria Beccaria de Monte Regali (1) sacrae theologiae professore, in eodem capitulo summo patrum consensu in generalem magistrum totius ordinis praedicatorum electo, diffinitibus communiter reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus infrascriptis, videlicet :

(1) De fr. Hippolyto Maria Beccaria de Monte Regali cf. SSOP. II, 292.

- fr. Bartholomaeo Munnoz (1) praesentato provinciali Hispaniae,
fr. Vincentio de Monte Sancto (2) magistro prov. utriusque Lombardiae,
fr. Paulo Signorello Cortonensi (3) magistro provinciali Romano,
fr. Angelo Mirabino Faventino (4) magistro provinciali Regni,
fr. Conrado Zittardo (5) praedicatore generali provinciali Theutoniae, 5
fr. Marco Iustiniano de Chyo lectore provinciali Graeciae,
fr. Ioanne Baptista Lancio Regien. (6) magistro provinciali Terrae sanctae,
fr. Ioanne Loazes (7) magistro provinciali Aragoniae,
fr. Ioanne de Motta (8) magistro provinciali provinciae Provinciae,
fr. Ioanne Carnithaco de Faro praedic. gener. provinciali Dalmatiae, 10
fr. Decio Palumbo (9) magistro provinciali Trinacriae,
fr. Didaco Ramirez magistro provinciali Portugalliae,
fr. Bartholomaeo Cavallero (10) magistro provinciali Bethicae,
fr. Dominico Azeveto de Brundusio magistro provinciali sancti Thomae,
fr. Petro Pontio de Neocastro (11) magistro provinciali Calabriae, 15
fr. Alphonso Soto (12) magistro theologo Patavino provinciali provinciae
s. Dominici.
fr. Martino Guttierrez (13) praesentato diffinitore Hispaniae,
fr. Adeodato Gentili Genuensi magistro priore Genuen. 2. diffinitore utri-
usque Lombardiae, 20
fr. Antonino Brancuto Perusino priore s. Mariae super Quercum diffini-
tore Romano,
fr. Andrea de Caserta (14) baccalaureo diffinitore provinciae Regni,
fr. Ioacchimo Pizzono lectore diffinitore Ungariae,
fr. Hermano Hortensio praedicatore generali diffinitore Theutoniae, 25
fr. Severino Cracovien. magistro diffinitore Poloniae,
fr. Antonino Pons (15) magistro diffinitore Aragoniae,

(1) De fr. Bartholomaeo Munnoz cf. supra pag. 138.

(2) De fr. Vincentio de Monte sancto cf. l. c. pag. 213.

(3) De fr. Paulo Signorello cf. l. c. pag. 217.

(4) De fr. Angelo Mirabino cf. l. c. pag. 153.

(5) De fr. Conrado Zittardo cf. l. c. pag. 214.

(6) De fr. Ioanne Baptista Lancio cf. l. c. pag. 241.

(7) De fr. Ioanne Loazes cf. l. c. pag. 236.

(8) De fr. Ioanne de Motta cf. l. c. pag. 107.

(9) De fr. Decio Palumbo cf. l. c. pag. 237.

(10) De fr. Bartholomaeo Cavallero cf. l. c. pag. 146.

(11) De fr. Petro Pontio de Neocastro cf. l. c. pag. 182.

(12) De fr. Alphonso Soto cf. l. c. pag. 237.

(13) De fr. Martino Guttierrez cf. l. c. pag. 220.

(14) De fr. Andrea de Caserta cf. l. c. pag. 210, 220.

(15) De fr. Antonino Pons cf. l. c. pag. 253.

- fr. Dominico de Nicopoli lectore diffinitore Bohemiae,
 fr. Paulo Berengario (1) baccalaureo diffinitore provinciae Provinciae,
 fr. Innocentio Preso de Pago (2) praed. gener. diffinitore Dalmatiae,
 fr. Ioanne Capello de Noto (3) magistro diffinitore Trinacriae,
 5 fr. Bartholomeo de Miranda (3) magistro procuratore ord. diff. Bethicae,
 fr. Petro de Cruce (4) magistro diffinitore Germaniae inferioris,
 fr. Ioanne Baptista de Medunio (5) magistro diffinitore prov. s. Thomae,
 fr. Ioseph Datilo Cusentino (6) magistro diffinitore Calabriae,
 fr. Christophoro de Orthegea magistro diffinitore provinciae sancti Iacobi
 10 de Mexico,
 fr. Sebastiano Michaeli (7) magistro diffinitore provinciae Occitanae,
 fr. Angelo Andronico (8) magistro metaphysicae Patavino diffinitore provinciae s. Dominici.

Fr. Hippolytus Maria Beccaria de Monte Regali
 15 sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum
 humilis generalis magister et servus universis eiusdem ordinis
 professoribus salutem et reformationis spiritum salutarem.

Si in eo statu felicissimo, quo antiquitus optime constituta fuit sacra
 nostra Dominicana religio, nunc etiam persisteret, si, inquam, ferventis-
 20 simo illo spiritu, quo inchoata fuit, adhuc perseveraret, si eosdem spi-
 rituales faceret progressus, si eadem humilitas, eadem obedientia, eadem
 voluntaria paupertas, eadem ardentissima charitas vigeret, procul dubio,
 patres optimi, non esset necesse, novas in dies condere leges vel anti-
 quas iterato ob oculos ponere; verum quoniam proni sunt hominis sensus
 25 ad malum et caro semper vergit in culpam atque ex humana fragilitate
 contingit, ut ab illa primaeva institutione iugiter deficiamus, quoniam,
 inquam, quod cum lacrimis dicere cogimur, interdum abest virtus, ad-
 sunt et serpunt vitia, sacrae nostrae leges non servantur, praecepta ma-
 iorum oblivioni traduntur, infelicissimeque deflectimus a recta regularis
 30 observantiae via, hinc est, ut iuxta temporum qualitatem et dierum mali-
 tiam necesse sit, nova condere statuta variasque successive congerere

(1) De fr. Paulo Berengario cf. supra pag. 221.

(2) De fr. Innocentio Preso de Pago cf. l. c. pag. 208.

(3) De fr. Ioanne Capello et fr. Bartholomaeo de Miranda cf. l. c. pag. 215.

(4) De fr. Petro de Cruce cf. l. c. pag. 185.

(5) De fr. Ioanne Baptista de Medunio cf. l. c. pag. 215, 258.

(6) De fr. Iosepho Datilo Cusentino cf. l. c. pag. 216.

(7) De fr. Sebastiano Michaeli cf. l. c. pag. 182.

(8) De fr. Angelo Andronico cf. SSOP. II, 698.

ordinationes, ut sic vel novis legibus ligati temperemus a malo, declinemus a vitiis, incitemur ad bonum, provocemur ad virtutem, ne dicam, quasi cogamur et compellamur ad servandum et praestandum id, quod servare et praestare tenemur, contineamurque in observantia antiquarum legum nostrarum, dum earum fracta vincula per novas leges pene reficiuntur, reparantur ac restaurantur. 5

Accipite itaque, Dominicani professores, ordinationes et statuta huius generalis capituli pro communi totius ordinis nostri beneficio facta, et ea in corde vestro quasi firmamentum construite, ita ut nunquam a mente, nunquam a memoria recedant. Revertimini, quaeso, revertimini 10 praevaricatores ad cor, revertimini ad vosmetipsos, patres et fratres, reminiscentes professionis vestrae atque ad memoriam reducentes, cuius patris filii sitis, cuius capitis membra, et sub cuius ducis insigniis militetis. A nostro patre et duce beatissimo patriarcha Dominico, ne degeneremus, precor, sed ad illam primam vivendi rationem ab eodem sanctissimo patre et duce nostro institutam et nobis praescriptam omni studio omnique diligentia redire conemur. Quod si ullo unquam tempore id opportunum fuit, his praesertim infelicissimis temporibus non modo opportunum, sed summopere quidem necessarium est, quando totus mundus in maligno positus est, quando catholicae fidei impiissimi 20 hostes undique insurgunt, quando haeresum saevissima pestis ubique serpit, quando omnium oculi in nos quodammodo conversi auxilium a nobis in tempore tribulationis, alias ab hac eadem religione tam litteris quam exemplis abunde praestitum, expectare videntur. Heu, heu, patres, si sal evanuerit, in quo salietur? Si nos, per quos condiendi sunt quodammodo populi atque verbo, exemplo et doctrina instruendi, illuminandi et corripiendi, vani et defectuosi fuerimus, quid erit de aliis? Sic quaeso, sic quaeso, luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona et glorificent patrem nostrum, qui in coelis est. 25

Valete viscera mea et deum pro me orate. 30

Confirmationes.

1. Confirmamus id, quod in praecedenti capitulo inchoatum fuit, nempe quod in hymno passionis cum pervenerint fratres ad versiculum illum « O crux ave » etc., omnes genua devote flectant.

2. Confirmamus etiam id, quod in capitulo generali Romae 1580 inchoatum et in alio capitulo Romae 1583 pariter confirmatum fuit, nempe quod in evangelio Epiphaniae cum perventum fuerit ad illud « et procidentes adoraverunt eum » etc., omnes fratres in choro genua flectant. Quod similiter est faciendum in cantico « Te Deum » etc. ad illum versiculum « Te ergo » etc., et in hymno corporis Christi cum dicitur « Tantum ergo sacramentum » etc. In simbolo vero, quod in missa pu- 35 40

blice recitatur, cum dicitur « Qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur », omnes fratres in choro, discooperto capite, devotius inclinent, corporis gestu interiorem animi fidem significantes. Et hoc iam habet vim constitutionis.

5 3. Confirmamus pariter, id quod in aliis capitulis statutum fuit, ut in hymno « Gloria in excelsis Deo » etc., cum dicitur « Gratias agimus tibi » etc., fratres usque ad genua devote inclinent; quod etiam faciendum est, cum dicitur « Ave maris stella », ne minus devoti quam seculares videamur.

10 4. Confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo factam, quod fratres extra conventum quacumque occasione, praetextu et causa ordinarie commorantes nullatenus in conventibus, in quibus sunt assignati, activam vocem habeant in aliqua electione.

15 5. Confirmamus etiam ordinationem saepe ac saepius factam et confirmatam, quod si quis vi renuntiationis propriae vocis medietatem eligentium excesserit in quacumque electione tam canonica quam alia, electio ipsa nulla, irrita et invalida censeatur. Declarantes, quod si quis nec voci propriae renuntiare nec votum suum dare voluerit, sed neutraliter se habere dixerit, tanquam si voci suae renuntiasset censendus erit.
20 Qui vero contra huius ordinationis tenorem quempiam electum confirmaverit, poenis quae contra non legitime electos confirmantes statutae sunt, subiaceat, et confirmatio nihilominus nulla sit et invalida.

25 6. Confirmamus etiam ordinationem illam, quod nullus frater in aliquo conventu ex reformatis professus possit alibi recipi sive detineri sine speciali licentia reverendissimi patris generalis.

30 7. Confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo de communi totius ordinis consensu factam, quod nullus sub poenis in capitulo gravioris culpae contentis ac etiam sub poena excommunicationis latae sententiae, una pro trina canonica monitione praemissa, cuius absolutio reverendissimo magistro ordinis reservatur, directe vel indirecte divisionem ordinis aut institutionem vicarii generalis Indiarum quovis praetextu procurare audeat vel praesumat.

35 8. Confirmamus etiam ordinationem saepe ac saepius factam, necnon sub praecepto formali et sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa praecipimus, ne frater aliquis, cuiuscumque conditionis vel status existat, litteras criminosas, diffamatorias aut famosos libellos per se vel per alium absque proprii nominis subscriptione adversus quemcumque sive intra sive extra ordinem scribere praesumat. Praecipientes omnibus praelatis in virtute spiritus sancti et
40 sanctae obedientiae, ut, si quos huiusmodi ordinis destructores repererint, pro tanto flagitio gravissime puniant et excommunicatos declarent.

9. Confirmamus declarationem illam in capitulo Barchinonensi factam, quod vicarii locorum in domibus suis subditos suos praecedant locumque superiorem praeterquam super magistros habeant. Quod si priorem conventualem ad illorum domum advenire contingat, huiusmodi vicarios praecedat dicatque etiam praesente vicario « Fidelium » etc. 5

10. Confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo factam, quod tum moniales tum etiam sorores de poenitentia sancti Dominici, tertii habitus dictae, quae votum in electionibus habere solent, nullatenus eo potiantur nisi post quatuor annos a sua professione transactos, ut etiam de fratribus nostris in constitutionibus decretum est. 10

11. Confirmamus ordinationes a reverendissimo patre generali praeterito pro bono regimine provinciae nostrae sancti Iacobi de Mexico factas et datas Hispali die 25 iunii 1588, in contrarium non obstante ordinatione quacumque.

12. Confirmamus in provincia Aragoniae ordinationem a reverendissimo generali praeterito factam circa collegium Dertusense, quod toto tempore, quo fabrica ecclesiae dicti collegii perduraverit, conventiones suis collegialibus ibi degentibus de vestitu et calceatu sub praecepto et poenis in eius litteris contentis providere teneantur; quam, si opus est, innovamus et de novo idem statuimus et mandamus. 20

13. Confirmamus insuper in eadem provincia conventionem inter conventum de Ayora provinciae eiusdem et conventum de Chinchilla provinciae Bethicae circa eorum terminos factam et a reverendissimo generali praeterito approbatam, quod scilicet conventui de Ayora omnia oppida in litteris reverendissimi patris fr. Seraphini Brixiensis expressa conventus de Chinchilla cedat et solum ex iis oppidum de Xorquera pro se habeat, neque alteruter horum conventuum terminos praefixos transgredi audeat. 25

14. Confirmamus in provincia Poloniae studium generale in conventu Cracoviensi, prout praecedentibus iam tribus generalibus capitulis est declaratum, ac omnes constitutiones in provincialibus capitulis eiusdem provinciae circa provisionem ex omnibus conventibus pro studentibus et lectoribus in praefato conventu Cracoviensi degentibus factas, cum ex conventu eodem tanquam ex litterarum amphiteatro in totam provinciam fratres destinentur. 30 35

15. Confirmamus in provincia sancti Iacobi de Mexico, et quatenus opus est, de novo instituimus et acceptamus in studium generale et ordinis universitatem conventum s. Dominici de Mexico et collegium s. Ludovici civitatis Angelorum cum omnibus gratiis et privilegiis iuxta nostrarum constitutionum tenorem consuetis. 40

16. Confirmamus divisionem provinciae sancti Ioannis Baptistae del

Peru in tres provincias, quarum una dicatur et sit sancti Ioannis Baptistae eius nomen et antiquitatem per omnia retinens, secunda autem sit sanctae Catherinae Martyris del Quito, tertia vero s. Laurentii del Chile, quo pacto etiam nunc divisae reperiuntur, confirmamusque earundem
5 provincialiarum provinciales in praesentiarum existentes.

17. Confirmamus in provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru commissionem et auctoritatem in causa et causis patris fr. Francisci Moram cum omnimoda super eum potestate reverendo patri magistro fr. Salvatori de Ribera per reverendissimum quondam magistrum Sixtum datam, prout in litteris patentibus eiusdem patris generalis continetur.
10

18. Confirmamus id, quod a reverendissimo patre generali praeterito decretum et ordinatum fuit, ut provinciales provincialiarum Indiarum, licet statim post eorum electionem iuxta privilegia ipsis provinciis concessa munere suo fungantur, teneantur tamen saltem infra biennium mittere
15 ad reverendissimum patrem generalem decretum suae electionis pro sui et totius ordinis capitis debita recognitione, et hoc sub poena privationis officii ipso facto incurrenda et inhabilitatis in posterum.

19. Confirmamus et, si opus est, de novo erigimus in studium generale et ordinis universitatem in provincia nostra sancti Vincentii de Chiappa conventum s. Dominici de Guatemala cum omnibus gratiis et privilegiis.
20

20. Confirmamus in provincialem nostrae provinciae Ungariae reverendum patrem magistrum fr. Sebastianum Cattaneum (1), illustrissimi archiepiscopi Salisburgensis theologum, et quatenus opus esset, de novo creamus et instituimus cum solita auctoritate tum in spiritualibus tum
25 etiam in temporalibus usque ad capitulum generale proxime celebrandum.

21. Confirmamus et quatenus opus esset de novo creamus et instituimus in provincialem provinciae nostrae Graeciae rev. patrem fr. Marcum Iustinianum Chyensem lectorem cum solita auctoritate, gratiis et privilegiis tum in temporalibus tum etiam in spiritualibus.

22. Confirmamus in provincialem nostrae provinciae Bohemiae rev. patrem fr. Ludovicum de Normo (2) magistrum ad beneplacitum reverendissimi patris generalis, confirmantes pariter concessionem eidem provinciae in praecedenti capitulo factam, ut provincialis ipsius provinciae pro tempore possit prorogari per reverendissimum patrem generalem usque
30 ad sexennium.

23. Confirmamus in vicarium vicariae sancti Petri Martyris reverendum patrem magistrum fr. Alexandrum Longum de Monte Regali (3)

(1) De fr. Sebastiano Cattaneo cf. supra pag. 254.

(2) De fr. Ludovico de Normo cf. l. c. pag. 236, 248.

(3) De fr. Alexandro Longo de Monte Regali cf. l. c. pag. 112.

ab eadem vicaria nuper electum et, quatenus opus esset, defectus omnes, si qui in ipsa electione accidissent, supplemus.

24. Confirmamus et ratam habemus conventionem factam inter conventum s. Mariae Sanitatis de Neapoli nostrae provinciae Regni et regium secretarium sacri et regii concilii eiusdem civitatis Neapolitanae illustrem d. Annibalem Caesarem pro fundatione unius conventus nostri ordinis in districtu et territorio Neapolitano.

25. Confirmamus congregationem nostram Aprutinam sub nomine sanctae Catherinae de Senis necnon unionem conventuum Aquilani, Reatini et Tiburtini eidem congregationi, et quatenus opus sit, de novo ei unimus et incorporamus eosdem conventus cum omnibus eorum bonis et attinentiis.

26. Confirmamus etiam studium generale in conventu sancti Domini de Aquila cum omnibus privilegiis et gratiis quomodolibet ei concessis.

27. Confirmamus etiam et approbamus, id quod in duobus immediate praecedentibus generalibus capitulis statutum et ordinatum fuit, ut nullus ad magisterii sive ad baccalaureatus vel praesentaturae gradum promoveri possit, nisi suae provinciae petitionem habeat; qua etiam obtenta non nisi praemisso rigoroso examine per quinque examinatores per vota secreta ad huiusmodi gradum admitti valeat. Quod quidem inviolabiliter ubique in nostro ordine observari praecipimus, et si secus quacunque ratione factum fuerit, totum sit irritum et inane. Caeterum si provinciae nomine quemcunque gradum falso quis petierit, cum provincia non petat, inhabilis perpetuo sit ad huiusmodi gradum assumendum. Petitiones vero non solum a provinciali, sed etiam a diffinitoribus fieri debent. Et hoc habet tria capitula continua.

28. Confirmamus pariter ac ratam et firmam haberi volumus ordinationem praecedentis capituli, ut numerus graduatorum in unaquaque provincia praescriptus inviolabiliter observetur, ita ut supra ipsum numerum provinciae petere non debeant graduatos, et nunquam nisi reverendissimo patre generali aliqua urgenti de causa aliter disponente excedatur; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane. Numerus vero in qualibet provincia erit ut infra:

In provincia Hispaniae magistri erunt 16, praesentati 36, praedicatorum generales quot sunt conventus.

In provincia Tholosana et Franciae, etsi nullus sit numerus, nullus tamen promovebitur a magistro ordinis, nisi quae de more consueto sunt observentur; quod dicimus etiam de provinciis utriusque Lombardiae et Romanae.

In provincia Regni erunt magistri 12, baccalaurei 10.

In provincia Poloniae magistri 8, baccalaurei 9, praedicatores quot conventus.

In provincia Aragoniae ad eius petitionem extendimus numerum magistrorum ad numerum 25, praesentati vero erunt 30, praedicatores generales iuxta numerum conventuum.

In provincia Provinciae ad eius petitionem extendimus numerum magistrorum ad numerum denarium, baccalaureorum vero ad numerum octonarium.

In provincia Dalmatiae magistri 6, baccalaurei 4, praedicatores generales 3.

In provincia Trinacriae magistri 25, baccalaurei 12.

In provincia Portugalliae magistri 15, praesentati 10, praedicatores generales quot conventus.

In provincia Bethicae magistri 15, praesentati 30, praedicatores generales quot conventus.

In provincia Germaniae inferioris magistri 12, praesentati duodecim et praedicatores generales duodecim.

In provincia sancti Thomae magistri 25, baccalaurei 12, praedicatores generales 6.

In provincia Calabriae magistri 20, baccalaurei 6, praedicatores generales sex.

In provincia s. Iacobi de Mexico magistri 4, praesentati 6, praedicatores generales 4.

In provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru magistri sex, baccalaurei sex, praedicatores generales 4.

In provincia sancti Vincentii de Chiappa magistri erunt 4, praesentati vero sex, eo modo quo reverendissimus pater generalis praeteritus ad petitionem eiusdem provinciae disposuit et decrevit.

In provincia sancti Antonini de Novo Regno magistri 4, praesentati 6, praedicatores generales duo.

In provincia Occitana magistri 15, baccalaurei 8.

In provincia s. Dominici magistri 16, baccalaurei 6, praedicatores generales 10.

In provincia sanctae Catherinae del Quito magistri tres, praesentati sex, ex quibus duo erunt praesentati ex praedicatoribus, qui per decennium gloriose praedicaverint.

In vicaria s. Petri Martyris magistri erunt duodecim, baccalaurei sex.

In vicaria Romana magistri quinque, baccalaurei quatuor, praedicatores generales quatuor.

In aliis autem provinciis, quae sunt desolatae, non potuit praefigi numerus.

In aliis vero non nominatis neque desolatis mandamus sub praeccepto formali earundem praesidentibus, ut quamprimum praefigant numerum et ad magistrum ordinis mittere curent; decernentes et declarantes, quod in posterum huiusmodi numeri sunt servandi, non quod necessum sit graduatos ad talem numerum ascendere, sed quod illum 5 nullo modo excedant.

Declarationes.

1. Declaramus, quod priores provinciales extra suam provinciam locum supra priores conventuum, in quibus reperiuntur, habere debent etiam in refectorio, ubi ad locum nolae sedere debent iuxta declaratio- 10 nem constitutionum nostrarum dist. 2. cap. 13. de itinerantibus. Cui declarationi tanquam postremo factae standum est, non obstante alia declaratione, quae in contrarium facere videtur dist. 2. cap. 3. de electione provincialis. Pulsare tamen nolam pertinebit ad priorem conventualem vel ad suppriorum, etiam praesente provinciali alterius provinciae, cui 15 nihilominus dandus est locus ipsius nolae, cum non sit locus iudicii, sed dignitatis. Aliud est enim tenere locum nolae, aliud pulsare ad ipsam nolam.

2. Item declaramus, quod quoties pro magisterio litterae patentes conceduntur, semper clausula illa generalis: salvis tuae provinciae iuri- 20 bus, subintelligenda est, etiam quod in ipsis litteris interdum non exprimitur; neque clausulae generales, quae in oppositum facere videntur, cuiquam suffragari debent, nisi specialiter fiat mentio de particulari derogatione privilegiorum provinciae pro tali vice.

3. Item declaramus, quod quando constitutio dicit: praedicatores 25 generales in qualibet provincia numerum conventuum excedere non debere, nomine conventuum neque vicariatus neque loca veniunt intelligenda.

4. Item declaramus, quod nullus debet excludi a quacunque electione praetextu alicuius criminis vel delicti, nisi sententialiter sit condemnatus et per sententiam voce privatus, quamvis ad electionem non 30 debeat admitti ille, de quo manifestum sit, incidisse in excommunicationem latae sententiae, etiam nulla alia declaratione subsequuta, cum sufficiat aperte constare eum commisisse aliquid, per quod revera ipso facto in excommunicationem latae sententiae incidit.

5. Item declaramus ad tollendam quamcumque fraudem et doli sus- 35 picionem et, quatenus opus sit, decernimus et statuimus, quod ad hoc, ut aliquis in electione aliqua vocem habeat, non sufficit, quod ante electionis mensem in conventu, ubi eligere debet, fuerit assignatus, nisi de assignatione ipsa et praelato et conventui, in quo de novo est assignatus revera ante mensem constiterit. 40

6. Item declaramus, quod ille, qui est in aliquo conventu assignatus

et electioni revera adesse potest, sive talis electioni cum aliis in capitulo intersit sive non intersit, debet necessario habere duo vota ultra eligentium medietatem, ad hoc ut rite et canonice censeatur electus, sicuti etiam de illo, qui propriae voci renuntiat, iam saepe declaratum est.

5 7. Item declaramus, quod censurae et praecepta tam capitulorum generalium quam etiam magistri ordinis cum ipsis omnino expirant, eorum tamen ordinationibus in suo robore, quoadusque revocentur, manentibus, quamvis contrarium in glossa constitutionum in prologo haberi videatur.

10 8. Item declaramus priores provinciales vel conventuales aut magistros novitiorum non posse pro libito suo novitios exuere habitu nostri ordinis sine consilio patrum, causa mature discussa.

15 9. Item declaramus religiosos tertii habitus nostri ad habitum clericalem assumi non posse absque expressa et speciali licentia magistri ordinis, sicuti neque conversos, et si secus fiat, totum irritum et inane decernimus et declaramus; et nihilominus praelati eos recipientes absolutionem a suis officiis et perpetuam privationem vocis passivae eo ipso incurrant.

20 10. Item declaramus, quod in provinciis, in quibus magistri non gaudent loco nec privilegiis magistrorum, nisi ab ipsis provinciis sint acceptati, illi qui in eodem provinciali capitulo acceptati fuerint, iuxta suae professionis ordinem in tali provincia, in qua acceptantur, locum inter se tenere debent, ut alias declaratum fuit. Verum in provinciis, in quibus statim graduati gaudere solent loco et privilegiis absque eo, quod
25 acceptentur a provincia, inter se locum habere debent magistri et baccalaurei secundum tempus promotionis eorum, prout etiam extra suas provincias facere consueverunt iuxta declarationem alias factam.

30 11. Item declaramus ad tollendas omnes dubietates, quae accidere solent circa celebrationem nonnullorum festorum, quod festa s. Barbarae et s. Dorotheae celebrari debent sub festo duplici, prout declaratum fuit in capitulo generali Romae 1569, non obstante ordinatione prius facta in capitulo generali Bononiae 1564. Item festa sancti Ignatii et sancti Clementis celebrari debent sub festo duplici, prout ordinatum fuit in capitulo generali Romae 1569 et confirmatum in aliis duobus generalibus capitulis Romae 1571 et Barchinonae 1574, quamvis Barchinonae ex errore
35 impressionis, positum fuerit sub toto duplici, loco ponendi sub festo duplici. Item festa exaltationis sanctae Crucis et s. Luciae celebrari debent sub festo toto duplici, prout declaratum fuit Romae 1571 et confirmatum Barchinonae 1574, et prius etiam per tria alia capitula ordinatum.
40 Item festum ss. Hippolyti et Sociorum et festum decem millium Martyrum sub festo duplici, prout inchoatum fuit Barchinonae 1574 et con-

firmatum Romae 1580, et quae secus habent breviaria, corrigantur. In nova vero impressione hoc praesertim animadvertatur. Festa vero sancti Blasii, sancti Petri ad vincula et cathedrae eiusdem, sancti Georgii et sancti Ludovici regis Francorum sub officio simplici et s. Alexii sub officio trium lectionum, prout in ordinario iuxta decreta in capitulo Salmanticensi celebrari debent. Quamvis enim in capitulo generali Romae 1580 inter inchoationes positum fuerit, ut huiusmodi festa una cum festo sanctae Monicae sub festo duplici celebrarentur, in subsequenti tamen capitulo generali Romae 1583 huiusmodi inchoatio non fuit confirmata, sed expresse revocata.

12. Item conformiter ad ea, quae in pluribus capitulis generalibus sancita fuere, declaramus, non esse in potestate alicuius provinciae praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii non acceptare acta seu statuta capitulorum generalium, sed omnes et singulas provincias decretis et ordinatis in eisdem capitulis ita subiectas esse, ut unaquaeque earum teneatur ipsa acta in unoquoque conventu publicare, acceptare et inviolabiliter observare, utpote pro communi bono universitatis provinciarum, conventuum et fratrum facta. Et, quatenus opus esset, auctoritate apostolica revocamus et annullamus quamcumque consuetudinem aut privilegium quomodolibet praetensum aut in contrarium existens.

13. Item declaramus in provincia nostra Poloniae, prout etiam in toto ordine iam declaratum fuit in capitulo generali Bononiae 1564, quod provinciales, qui suum tempus expleverint aut etiam fuerint absoluti, in eisdem provinciis non possint ad idem officium assumi infra tantum tempus, quanto duorum provincialium integra officia durare solent.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus omnibus fratribus nostri ordinis, legitime vacante generalatu, in hoc capitulo generali fuisse canonice electum in totius nostri ordinis generalem magistrum reverendissimum patrem fratrem Hippolytum Mariam Beccariam de Monte Regali ex officio generalis commissarii sanctae inquisitionis in Urbe assumptum, eundemque sanctissimo D. N. Papa Sixto quinto solemniter processione oblatum et ab eo hilari vultu exceptum et acceptatum fuisse.

2. Item denuntiamus sanctissimo D. N. Sixtum quintum ad instantiam et humilem petitionem admodum rev. patris magistri Bartolomaei de Miranda, procuratoris ordinis nostri, omnibus et singulis utriusque sexus personis vere poenitentibus et confessis ac sanctissima Eucharistia reffectis, qui diebus festis beatissimi patris nostri Dominici, s. Petri Martyris et s. Catherinae de Senis ecclesias fratrum seu monialium ordinis nostri, tam erectas quam erigendas ubique locorum existentes a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet diei eorundem sanctorum

singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia et haeresum extirpatione sanctaeque matris ecclesiae exaltatione Deum precati fuerint, quo die praedictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam benigne concessisse; quam etiam dicti ordinis monialibus concessit, si in loco ad missam audiendam pro ipsis deputato, ut praefertur, oraverint.

3. Item denuntiamus a sacra regularium congregatione emanasse decretum anno 1587 contra regulares ad Urbem temere levique ex causa accedentes absque eorum superiorum licentia, cuius tenor sequitur et est talis: Quoniam nonnulli regulares vagandi studio, sive dum imminentem admissorum criminum poenam ex suis constitutionibus aut alias debitam sibi metuunt, falsa et commentitia gravamina causati non ad immediate sui ordinis superiores scilicet a gravamine prioris ad provincialem, a provinciali ad generalem, a generali ad protectorem, prout cuiusque religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam curiam absque licentia saepius fugiunt, potius quam recurrant, ex quo ordinum disciplina relaxatur, praelati contemnuntur et ipsi in dies audaciores evadunt, placuit sacrae regularium congregationi ex ordine sanctissimi statuere, ut si quis regularium in posterum temere levive ex causa hanc almam Urbem seu curiam absque sui superioris licentia et supradicta forma praetermissa adire praesumpserit, ad suos eosdem superiores superiori poena plectendus remittatur.

4. Item denuntiamus, sanctissimum D. N. Sixtum papam quintum edidisse constitutionem contra illegitimos legitimatos, criminosos et reddendis rationibus obnoxios ad aliquam religionem transire volentes, et contra regulares absque superiorum licentia de provincia in provinciam euntes seu transmigrantes. Dat. Romae anno 1587 sexto cal. decembris (1).

Et subinde edidisse aliam constitutionem seu declarationem super dubiis in priori constitutione emergentibus de admittendis ad habitum et professionem regularibus. Dat. Romae 1588 12. cal. novembris (2).

Ac insuper edidisse etiam aliam constitutionem contra clericos male promotos. Dat. Romae anno 1588 nonis ianuarii. Quae quidem constitutiones multa continent, quae religiosos et praesertim praelatos ignorare periculosissimum est. Idcirco omnes provinciarum et conventuum praesidentes curent diligenter eas penes se habere et provide considerare omnia in eis contenta, ne quicquam a se vel a suis subditis incaute praetereatur, sed omnino executioni singula mandentur.

5. Item denuntiamus eundem sanctissimum D. N. praeter nonnulla

(1) Cf. BO. VII, 206 n. XXXVIII.

(2) Cf. l. c. pag. 208 n. XL.

alia festa, quae iam in nostro calendario habentur, statuisset, ut omnes ecclesiastici sive saeculares sive regulares teneantur secunda die aprilis recitare officium de s. Francisco de Paula confessore sub festo duplici. Item s. Antonii de Padua confessoris tertiadecima iunii sub festo duplici. Sancti Bonaventurae confessoris die 14 iulii sub festo duplici. Sancti Nicolai Tolentinatis confessoris die decima septembris sub festo duplici. Sanctorum Ianuarii episcopi et sociorum martyrum die 19 septembris sub festo simplici et sanctorum Placidi et sociorum martyrum die 5 octobris sub festo simplici, ut patet per diplomata pontificia desuper expedita. Ideoque monemus, ut id ubique in nostro ordine observetur, et in nova breviarii, missalis, calendarii et martyrologii impressione suis locis praefata omnia festa reponantur.

6. Item denuntiamus, eundem sanctissimum D. N. sua singulari benignitate et clementia ad humilem supplicationem reverendissimi patris generalis, instante et benigne favente illustrissimo ac reverendissimo D. D. cardinali Carrapha, nostri ordinis viceprotectore, remisisse ad ordinem et in sinum religionis quascumque causas, quibusvis iudicibus a sua sanctitate extra ordinem specialiter antea commissas, ut ab ipso reverendissimo patre generali cognoscantur, diffiniantur et terminentur.

7. Item denuntiamus, eundem santissimum D. N. ad humilem supplicationem ut supra supplevisse omnibus et singulis defectibus, qui hucusque accidissent circa promotionem magistrorum, baccalaureorum et praedicatorum generalium, eo quod promoti essent, non servata forma in nostris constitutionibus praescripta, absque tamen praeiudicio particularium iurium vel privilegiorum quarumcunque provinciarum.

Ordinationes.

Ordinamus, ut ea, quae ad ecclesiam et ad divinum pertinent cultum, summa diligentia ubique tractentur: horae canonicae suis temporibus decantentur, matutinum tam hiberno quam aestivo tempore statuta hora de nocte dicatur; in dicendis psalmis debita pausa in medio cuiusque versiculi observetur; altarium mappae quae in singulis altaribus trinae esse debent, necnon et strophiola, ac alia ad usum altarium et sacerdotum deputata, saepe laventur, sintque corporalia et purificatoria alba et nitida, et omnia denique in ecclesiis nostris sint munda, eamque redoleant puritatem et sanctitatem, quae domum domini decet.

Ordinamus, ut caerimoniae omnes ordinis nostri tam in altari quam in choro et in divino officio conformiter et uniformiter ab omnibus observentur, ut unitatem, quae in cordibus est servanda, foveat etiam et repraesentet uniformitas extrinsecus ab omnibus prospecta; et circa huiusmodi observantiam in suis conventibus diligenter invigilent praelati, provinciales vero in visitationibus negligentibus puniant.

Ordinamus etiam, ut omnes sacerdotes ubique in nostro ordine post missam dicant evangelium « In principio erat Verbum » etc.

Ordinamus, uti saepe ordinatum fuit, ut in sacro celebrando, etiam non solemni vel maiori, debeat accendi cereus in consecratione et elevatione sanctissimi sacramenti et aliquot ictibus campanulae admoneri populus; et hoc ubique observetur, tollaturque omnino abusus et negligentia nonnullarum provinciarum.

Ordinamus etiam et ab omnibus observari praecipimus id, quod alias ordinatum fuit, ut quilibet religiosus ordinis nostri debeat quotidie audire vel dicere missam.

Ordinamus et ordinando praecipimus omnibus et singulis nostrae religionis fratribus extra ordinem commorantibus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, ut infra spatium unius mensis ab harum notitia reverendissimo patri generali vel suo provinciali seipsos praesentare, et qua facultate vel licentia extra religionem commorentur, ostendere ac eisdem in omnibus, quae iusserint circa praefata, parere teneantur, mandantes admodum reverendis patribus provincialibus eorumque conscientias in diem Christi aggravantes, ut consimiles extra claustra nequaquam commorari permittant, nisi in Dei gloriam et animarum salutem id cedere manifeste cognoverint, non obstantibus quibuscumque licentiis etiam a reverendissimo patre generali vel a generali capitulo quomodolibet obtentis.

Ordinamus et sub eodem formali praecepto eademque censura praecipimus omnibus et singulis nostri ordinis professoribus, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, ut qui apud se habent vel apud quoscumque quomodolibet retinent, vel quempiam habere vel retinere sciunt livellaria instrumenta sive livellarios contractus aut pecuniarum, ut fertur, investituras sive nomine proprio aut in propria persona sive nomine alicuius conventus quovis modo factas debeant et teneantur infra spatium vigintiquatuor horarum revelare sive respective consignare et effectualiter tradere priori vel praesidenti conventus, ne ob eorum ignorantiam morte interveniente conventus et religio detrimentum patiantur. Priores vero ipsi vel praesidentes teneantur huiusmodi scripturas sibi consignandas in archivio conventus fideliter collocare, ut cum reliquis scripturis ad ipsum conventum pertinentibus diligenter conserventur.

Ordinamus et sub poena gravioris culpa mandamus, ut confessores monialium quascunque elemosynas pro missis sibi datas ac illarum numerum infra unius diei terminum ab earum receptione praelatis suis manifestare teneantur.

Ordinamus et inviolabiliter observari praecipimus, ut fratres ad poe-

nas gravioris culpae condemnati in conventibus parvis minime assignentur, sed in magnis, ubi suas poenitentias humiliter adimplere et observantiae regulari melius operam dare possint.

Ordinamus etiam, ut in posterum processus fratrum defunctorum comburantur, dummodo sine iustitiae praeiudicio circa eos, qui adhuc 5 vivunt, fieri queat.

Ordinamus, ut nullus frater conversus scapulari albo donetur, neque monialis conversa velo nigro, sed omnes suo habitu contenti religiose Deo vivant et in sua vocatione maneant, rogantes reverendissimum patrem generalem, penes quem talis potestas solummodo residet, ut hu- 10 iusmodi licentias in nulla unquam provincia concedat; quandoquidem experientia ipsa compertum est, magna inde sequi inconvenientia.

Ordinamus ad tollenda et evitanda multa incommoda, quae in dies oriri cognovimus, ex eo quod nonnulli societatem sanctissimi Rosarii et sanctissimi nominis Dei non ea qua decet consideratione interdum 15 fundant, ut deinceps nemini liceat praetextu cuiusvis facultatis aut licentiae sub quibusvis tenoribus et formis a reverendissimo patre generali vel eius vicario concessae aut etiam concedendae fundare, erigere sive instituere easdem societates nisi mediante praedicatione ex obedientia sibi iniuncta et consulto prius patre provinciali seu praesidenti provinciae et 20 priore vicinioris conventus ordinis nostri pro tempore, et nihilominus nunquam erigantur dictae societates in locis, in quibus circiter duo milliarum consimilis confraternitas respective prius erecta fuerit, aut religio nostra domum sive ecclesiam habuerit, atque fiat semper publica protestatio, quod si contigerit aliquando fratres nostros in tali loco, ubi fun- 25 dantur praedictae societates vel circiter duo milliarum conventum vel ecclesiam habere, ipso facto ipsoque iure huiusmodi societates ad nostrum ordinem, a quo inventae et institutae fuerunt, cum omnibus bonis ad eas quomodolibet pertinentibus illico absque alia declaratione devolventur. Si quis vero cuiusvis licentiae praetextu oppositum fecerit, facultate con- 30 cionandi et easdem societates fundandi perpetuo sit privatus, et nihilominus totum sit irritum, inane et nullius roboris. Ad provinciales vero et priores respective pertinebit diligenter animadvertere, an expediat huiusmodi societates tali in loco et in tali ecclesia erigere et fundare, neque permittere, ut quicquam minus conveniens fiat. 35

Ordinamus, ut in qualibet provincia et in quolibet conventu inviolabiliter serventur nostrae constitutiones sive declarationes et ordinationes insertae in nostris constitutionibus dist. 1. cap. 13. circa numerum patrum a consiliis, ut non excedant numerum duodenarium et habeant aetatem et condiciones requisitas; cassantes et annullantes praesenti de- 40 creto omnes et singulos in quovis conventu nostri ordinis supra dictum

numerum quomodolibet creatos, et mandantes praelatis sub poena absolutionis ab officiis ipso facto incurrenda, ut neminem ultra dictum numerum ad consilium vocent vel admittant; et si secus fiat, totum sit irritum et inane, et in ipsis consiliis decreta nullius sint roboris vel valoris.

5 Ordinamus pro nostra provincia utriusque Lombardiae, ut nullus conventui s. Sabinae de Urbe in posterum affilietur, et qui modo eidem conventui affiliati sunt et in aliis provinciae conventibus reperiuntur, eisdem aut aliis ad arbitrium r. adm. patris provincialis inservire teneantur neque in praefato conventu assignentur nisi maxima urgente necessitate.

10 Ordinamus in provincia nostra Romana ad eius petitionem, ut superiores sint tantum biennales nec possint in eodem conventu iterum eodem munere fungi nisi alio biennio prius decurso, sicut in nonnullis aliis provinciis observari solet.

Ordinamus, ut in generali studio conventus Cracoviensis provinciae nostrae Poloniae regens, baccalaureus et lector non possint eligi in priores alicuius conventus, nisi prius integrum triennium in eodem studio legerint.

Ordinamus in provincia nostra Aragoniae ad eius petitionem, ut ad magisterii gradum nullus admittatur, qui saltem per triennium sacram theologiam in aliqua ordinis universitate professus non fuerit; legentes autem in universitatibus seclarium ob huiusmodi lecturam non admittantur ad gradus, et in posterum graduati non gaudeant privilegiis in eadem provincia, nisi ab illa fuerint petiti et acceptati.

Ordinamus in provincia nostra Dalmatiae, ut provincialis eius in posterum finiat provincialatus officium tempore paschali, ita ut capitulum provinciale dominica « Deus qui errantibus » celebretur, et electio novi provincialis fiat eo tempore, non obstante quod quadriennii sui tempus praecise non compleverit.

Ordinamus pro nostra provincia Calabriae eius petitionibus annuentes, ut quemadmodum priores provinciales altera vice ex superiori Calabria, altera ex inferiori eligi solent, idem etiam observetur in electione diffinitoris capituli generalis.

Ordinamus pro nostris provinciis Indiarum, ut procuratores nullatenus ab illis pro negotiis tractandis mitti possint in Hispaniam vel ad urbem Romanam, nisi a capitulo provinciali una cum diffinitoribus, causa cognita, instituantur; vel si aliqua specialis necessitas expostulaverit, ut extra capitulum aliquando id fiat, saltem a patre provinciali simul cum quatuor antiquioribus provinciae patribus, qui in capitulo provinciali vocem habere solent, deputentur deferantque secum huiusmodi procuratores testimoniales litteras non solum a provinciali, verum etiam a diffinitoribus vel a praedictis patribus simul congregatis subscriptas, necnon et in scripturis authenticis negotiorum pettractandorum causam, pro quibus

destinati fuerint; ultra quae negotia nihil aliud eis liceat procurare vel attentare. Committentes necnon et praecipientes adm. reverendis patribus provincialibus nostrarum provinciârum Hispaniarum et reverendis patribus prioribus conventuum eorundem, praesertim vero nostri conventus s. Mariae de Athocha Matriti et s. Pauli Hispalensis, ut aliter institutos procuratores et litteras patentes, ut praefertur, non solum a provinciali, verum et a difinitoribus in capitulo provinciali vel extra capitulum in casu necessitatis a quatuor antiquioribus provinciae patribus subscriptas et causam negotiorum in scripturis authenticis minime habentes nullatenus admittant vel aliqua negotia pertractare permittant, sed ad suas provincias quam citius redire compellant.

Item quoniam in capitulo Salmanticensi 1551 facta fuit taxa contributionum a qualibet provincia reverendissimo patri generali solvendarum, et subinde multae ex ipsis provinciis fuerunt destructae et aliae ita ad pauperiem ob bella et haereses redactae, ut solvere nequeant, et nihilominus expensae in dies in immensum crescunt, idcirco ut ipse reverendissimus pater generalis cum sua familia se sustentare queat, ordinamus et praecipimus, ut de caetero infrascriptae provinciae solvant quotannis eidem reverendissimo patri generali contributionem iuxta infrascriptam taxam videlicet:

- Provincia Hispaniae scuta aurea triginta quinque,
- Provincia Lombardiae scuta aurea triginta quinque,
- Provincia Romana scuta duodecim et libras duodecim, praeter ea quae solvere debet pro conventibus vicariae Romanae sibi commissis,
- Provincia Regni scuta aurea viginti,
- Provincia Theutoniae scuta aurea decem,
- Provincia Poloniae scuta aurea duodecim,
- Provincia Graeciae scuta aurea sex,
- Provincia Aragoniae scuta aurea viginti,
- Provincia Trinacriae scuta aurea viginti quatuor,
- Provincia Portugalliae scuta aurea quindecim,
- Provincia Bethicae scuta aurea triginta,
- Provincia s. Thomae scuta aurea decem et octo,
- Provincia Calabriae scuta aurea decem et octo,
- Provincia s. Crucis Indiarum Occidentalium scuta aurea octo,
- Provincia s. Iacobi de Mexico scuta aurea triginta,
- Provincia s. Ioannis Baptistae del Perù scuta aurea quinquaginta,
- Provincia s. Vincentii de Chiapa scuta aurea sexdecim,
- Provincia s. Antonini de novo Regno scuta aurea sexdecim,
- Provincia s. Dominici scuta aurea duodecim,
- Provincia s. Catherinae martyris del Quito scuta aurea decem,

Provincia s. Laurentii del Chile scuta aurea sex,
Congregatio Ragusina scuta aurea quatuor,
Congregatio Indiarum Orientalium scuta aurea sex,
Vicaria s. Petri martyris scuta aurea octo,

5 Aliae vero provinciae, congregationes, vicariae et conventus s. Petri
martyris de Neapoli aliique conventus et monasteria solvant, ut antea,
iuxta ordinata in aliis capitulis.

Sequentes ordinationes apostolica auctoritate fuerunt confirmatae per
illustrissimum et reverendissimum d. d. cardinalem Carrapham, nostri
10 ordinis viceprotectorem, specialem super hoc breve apostol. potestatem
et facultatem habentem, tenentque vim et robur perpetuae constitutionis.

Quoniam multoties recipiuntur ad habitum et ad professionem no-
vicii, qui non solum latinam linguam non callent, verum nec expedite
legere sciunt, quo fit, ut in sua ignorantia remanentes nullos progressus
15 in litteris faciant, et nec religioni inservire, uti tenentur, postmodum
possint, quin ad sacros ordines magno cum religionis dedecore ac Dei
offensa postea mittuntur, idcirco huiusmodi abusui, quantum cum do-
mino possumus, occurrere volentes, ordinamus, ut nullus ad habitum
clericalem in nostro ordine recipiatur vel ad professionem admittatur,
20 nisi sciat distincte et clare legere, bene intelligat ac declaret ea, quae
legit, et latinam calleat linguam; et si qui hucusque recepti sunt, qui,
ut praefertur, non sint instructi, eis tamdiu prorogetur professio, quamdiu
perfecte didicerint. Praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obe-
25 dentiae sub formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sen-
tentiae, una hac pro trina canonica monitione praemissa, omnibus et
singulis praelatis et examinadoribus eorum, qui ad habitum vel ad pro-
fessionem admittendi erunt, ut neminem penitus admittant vel in capi-
tulo fratribus proponant, nisi ut supra sit sufficienter instructus habeat-
que alias condiciones requisitas iuxta nostras constitutiones et bullam
30 sanctissimi D. N. Sixti quinti.

Item ordinamus et sub eodem formali praecepto eademque excom-
municationis latae sententiae poena praecipimus omnibus et singulis no-
stri ordinis praelatis, ut non mittant quempiam ad ordines, nisi probatae
sit vitae et bonorum morum ac in litteris sufficienter instructus et prae-
35 sertim nisi distincte et clare legere sciat et ea, quae legit, bene intelligat,
ut supra dictum est. Quicumque vero aliquos ordines sacros susceperunt
et distincte legere nesciunt, praesenti decreto interdicuntur ac prohibentur,
ne ipsis ordinibus ministrent, quoadusque didicerint; precipientes omnibus
praelatis sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne eos

interim ministrare permittant. Dedecet enim summopere, ut huiusmodi ignari publice in ecclesia talibus fungantur muneribus, cum id sine secularium admiratione et scandalo fieri nequeat.

Item sub eodem formali praecepto eademque excommunicationis latae sententiae poena ordinamus et praecipimus, ut praelati neminem mittant 5 ad ordines nisi prius scriptura approbata et fidem faciente iuridice illis constiterit, eum legitimam aetatem habere iuxta sacri concilii Tridentini decreta. Si vero post publicationem constitutionis sanctissimi D. N. Sixti quinti contra male promotos aliquem ante legitimam aetatem ad ordines accessisse reppererint, in censuras et poenas in eadem constitu- 10 tione statutas incidisse declarent.

Item ordinamus et sub eodem formali praecepto eademque censura praecipimus, ut nullus titulo vel officio praedicatoris donetur seu praedicator instituat, nisi saltem per integrum triennium sacram theolo- 15 giam audierit et per quinque deputatos examinatores, qui et ipsum concionantem audierint, ut nedum de litteris et moribus verum et de eiusdem aptitudine ad concionandum iudicium facere possint, approbatus et idoneus iudicatus fuerit. Similiter nullus admittatur ad secularium vel fratrum confessiones audiendas, nisi pariter per quinque examinatores, 20 vel ubi tot non suppetant idonei patres, per tres ad minus sufficiens iudicatus fuerit. Praecipientes ipsis sive praedicatorum sive confessorum examinadoribus respective sub eodem formali praecepto eademque excommunicationis latae sententiae poena, ut per vota secreta sua dantes suffragia, secluso omni particulari affectu insufficientes excludant et suffi- 25 cientes ac idoneos tantummodo admittant.

Item ordinamus et sub poena suspensionis ab officio praedicationis per decennium ipso facto incurrenda mandamus, ne quispiam loca, in quibus concionari debeat, petere aut procurare audeat vel praesumat, sed a provincialibus maturo consilio dentur et mittantur praedicatores.

Item ordinamus, ut qui in posterum ad poenas gravioris culpae ob delicta condemnabuntur, neque ad praelaturas neque ad gradus quoscum- 30 que assumi possint, nisi forte post multos annos ex ante acta vita mores et instituta in melius commutasse ita clare constiterit, ut merito non indigni aliqua gratia censi possint; ad praelaturam tamen non ita de facili admittendi erunt. 35

Ordinationes pro studiorum reformatione.

Quoniam religionis nostrae insigne decus et singulare ornamentum priscorum patrum experientia comprobavimus esse litterarum studium, quod animos non tantum lectissimis artibus illustrat, verum et voluntatem religiosi moribus ac virtutibus condecorat, ea propter, ne nostri 40 ordinis maximus splendor omnino obtenebrescat, ordinamus et ordinando

praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali
praecepto omnibus et singulis reverendis patribus provincialibus et vica-
riis et omnibus aliis, qui studiorum provisioni intendunt, ut lectores et
studiorum officiales non nisi per vota secreta admittant et promoveant,
5 eorum conscientias et reverendorum patrum diffinitorum ac omnium quo-
rum intererit in diem Christi aggravantes, necnon et sub poena excom-
municationis latae sententiae hac una pro trina canonica monitione prae-
missa eis praecipientes, ut, semoto omni particulari affectu, solum Deum
et religionis beneficium sibi proponentes et ante oculos habentes, non-
10 nisi idoneos atque ad huiusmodi onera aptos, qui sua doctrina discipulis
plurimum prodesse possint, admittant. Confirmantes et omnino obser-
vari volentes in omnibus provinciis, etiam in provincia utriusque Lom-
bardiae, id quod multoties in pluribus capitulis generalibus ordinatum
fuit, nempe ut regentes, baccalaurei, magistri studentium alique lectores
15 non iure antiquitatis assumantur nec ad determinatum tempus assignen-
tur, sed habita ratione ingenii, sufficientiae, doctrinae ac morum aptiores
et magis idonei eligantur, ita tamen ut suppositis aequalibus meritis et
aequali sufficientia nemini fiat iniuria. Idem etiam observandum erit circa
studentes in eorum receptionibus et admissionibus.

20 Ordinamus etiam et sub eodem formali praecepto mandamus, uti
alias etiam ordinatum et mandatum fuit, ut lectores decem vel ad mi-
nus novem menses in quolibet anno legant, sitque lectionis quotidianae
spatium circiter unius horae ut in pluribus, et qui notabiliter in hoc de-
fecerint, lectoris officio omnino priventur.

25 Ordinamus etiam et sub eodem formali praecepto studentium ma-
gistris et aliis lectoribus praecipimus, ut qualibet hebdomada tres circulos
et disputationes ad minus iuxta antiquissimam et laudabilem nostri or-
dinis consuetudinem habere procurent, quibus omnes discipuli, studentes
et studii officiales respective indispensabiliter interesse debeant.

30 Ordinamus etiam, ne tempus frustra conteratur minus utilia pertra-
ctando, atque sub eodem formali praecepto regentibus et baccalaureis
studiorum praecipimus, ut infra quatuor annos totam angelici doctoris
nostri sancti Thomae summam ambo simul perlegisse teneantur, mate-
rias omnes difficiliores et magis necessarias explicando, opinionum vero
35 superfluitates et alia minus necessaria resecando et praetermittendo; et
ut id commodius observari possit nullaque occasione studium impediatur,
monemus lectores omnes et studiorum officiales, ne tempore lectionum
quovis modo etiam praetextu praedicationis lectiones praetermittant; stu-
dentes etiam, quousque studium non compleverint, ex professo lectionis
40 tempore praedicationi non vacent, alioquin ipso facto privilegiis et gratiis
studentium priventur et a studio expellantur.

Ordinamus etiam, ut studentes formales quadriennales, vel ubi id commode observari non poterit, ad minus cum superiorum dispensatione triennales sint, nec ad lectoratus gradum promoveantur, nisi iuxta id, quod superius ordinatum fuit, totam divi Thomae summam prius integre audierint. 5

Ordinamus etiam et sub eodem formali praecepto praecipimus, ut nullus ad collegia vel studia generalia admittatur, nisi a patribus conventus, in quo vixit et a quo discessit, doctrinae et morum fidem ac testimonium secum detulerit.

Ordinamus denique et sub eodem formali praecepto mandamus, ut nullus in posterum a provincialibus vel a provinciis neque in magistrum neque in baccalaureum neque in praedicatorem generalem petatur, nisi sufficienter legerit, praedicaverit actusque legitimos fecerit ac omnes denique conditiones requisitas iuxta nostras constitutiones et ordinationes capitulorum generalium habuerit, locusque vacaverit. Admonentes tamen et ut supra praecipientes, ut stantibus aequalibus meritis et aequali sufficientia antiquiores anteponantur, et nulli fiat iniuria, sed iustitia distributiva in omnibus observetur. Statuentes etiam et inviolabiliter observari volentes, ut semper in petitionibus ipsorum graduatorum vel praedicatorum generalium exprimantur, quot annos et quibus in locis illi, qui petiti fuerint, lectioni aut praedicationi operam dederint, et an maiores aequae bene meritos habeant, et an pro huiusmodi gradibus vel muneribus vacet locus, secus petitiones nullatenus admittantur. 10 15 20

Admonitiones.

Admonemus omnes et singulos prohibitum fuisse a Gregorio fel. rec. papa XIII. sub praecepto obligante ad peccatum mortale, ne praelati ordinis nostri ullam gratiam concedant vel poenas aliquas alicui religioso remittant ad instantiam quarumcunque personarum extra nostrum ordinem constitutarum, et fratres nostri hac via et his mendicatis favoribus aliquid sibi procurantes, ad omnia et singula in nostro ordine consequenda eodem apostolico decreto perpetuo inhabiles redduntur, ut patet per breve apostolicum desuper confectum, cuius tenor sequitur et est talis (1). 25 30

Quamobrem singulos nostri ordinis praelatos admonemus, ut scientes, se non posse absque peccato mortali quicquam ad secularium vel personarum extra nostrum ordinem constitutarum instantiam concedere, abstineant neque id unquam faciant; subditos vero pariter monemus, ut, considerantes inhabiles fieri ad omnia munera, caveant, ne aliquid huiusmodi via procurent. Et quoniam ex huiusmodi mendicatis suffragiis religionis ruina patenter exoritur ac eiusdem status et tranquillitas summo opere perturbatur, iustitia distributiva intercluditur, ambitioni via ape- 35 40

(1) Cf. supra pag. 235.

ritur et demum indigni, utpote audaces, virtuosos ac benemeritis, in sua humilitate et modestia manentibus, interdum praeponuntur, idcirco ad huiusmodi abusus tollendos in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae
 5 sententiae una hac pro trina canonica monitione praemissa praecipimus, ne quispiam directe vel indirecte, per se vel per alium, pro se vel pro aliis eiusdem ordinis professoribus apud personas extra nostrum ordinem constitutas et de nostro ordine non assumptas gratiam aliquam vel poenarum remissionem a praelatis nostri ordinis obtinendam procuret. Et
 10 sub eodem formali praecepto eademque censura prohibemus, ne aliquis hunc ad effectum munera aliqua secularibus spondeat vel exhibeat.

Admonemus et inviolabiliter ubique in nostro ordine observari praecipimus ordinationes apostolica auctoritate roboratas et confirmatas a sanctissimo domino nostro vivae vocis oraculo facto illustris-
 15 simo et reverendissimo d. d. cardinali Alexandrino, nostri ordinis protectori vigilantissimo, quarum quidem tenor sequitur et est talis videlicet:

Nos frater Michael Bonellus miseratione divina tituli s. Mariae supra Minervam S. R. E. presbyter cardinalis, Alexandrinus nuncupatus, totius sacri ordinis fratrum praedicatorum protector, universis et singulis prae-
 20 sentes nostras litteras lecturis, inspecturis et audituris salutem in domino sempiternam ac eisdem praesentibus fidem adhibere indubiam. Notum facimus et in verbo veritatis attestamus, qualiter sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Sixtus divina providentia papa quintus vivae vocis oraculo nobis facto die 22 augusti anni MDLXXXVIII. aposto-
 25 lica auctoritate corroboravit, decrevit et praecepit perpetuis temporibus observanda in universo praedicatorum ordine infrascripta pro regulari observantia valde necessaria et eiusdem ordinis multis et antiquis ordinationibus nimis conformia.

Primo: de caetero novitii, qui in minoribus conventibus habitum
 30 religionis assumpserint, ad conventus maiores et religiosos transmittantur, ubi in dormitorio communi cum debita clausura et saltem in numero senario possint educari sub magistro discreto et religioso. Quod si aliquis praelatus in posterum professionem alicuius novitii recipere praesumpserit, qui iuxta tenorem huius decreti non fuerit institutus et edu-
 35 catus vel intra mensem, ut dictum est, scienter novitium non transmissit ad conventum, in quo religiose iuxta dicta instituat, ipso facto sit excommunicatus et a gradu et officio ordinis indispensabiliter privatus.

Ut autem ordinatio ista debite observetur, praecipitur in virtute spiritus sancti et sub sanctae obedientiae praecepto formali provincialibus
 40 seu vicariis, quod in suis provinciis vel congregationibus infra spatium duorum mensium a notitia praesentium conventus aliquos religiosos de-

signent, ad quos transmittantur, qui in minoribus et non aptis pro illorum institutione sunt vestiti, ubi annum probationis peragent et suo tempore professionem facient, pro illis tamen conventibus, in quibus habitum ordinis susceperunt. Et sic professi ab illa religiosa vel consimili societate et a cura magistri novitiorum non amoveantur, ad minus post biennium integrum ab emissa professione.

Secundo: praecipitur sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne prior provincialis seu conventualis possit ad nutum instituere magistrum novitiorum vel iam institutum ab officio amovere nisi ex consensu diffinitorum, si de hoc in capitulo provinciali tractetur vel ex consensu maioris partis patrum a consiliis illius conventus, in quo magister novitiorum est instituendus vel amovendus, quando de hoc extra capitulum tractatur.

Tertio: sanctitas sua confirmat et ordinat, si opus est, de novo id, quod alias in supradicto ordine fuerat ordinatum, videlicet quod non fiat aedificium aliquod vel constructio notabilis in aliquo conventu, notabilis inquam respective iuxta conventus quantitatem et qualitatem, nisi de assensu maioris partis patrum a consiliis et cum consilio peritorum simul etiam cum licentia provincialis. Rursus quod ab uno praelato inchoatum est, subsequens prosequatur, ita quod non possit nova aedificia inchoare, si priora non sunt finita. Praecipit etiam, idipsum servari in monasteriis monialium, ita quod non possint priorissae aedificium notabile inchoare sine assensu maioris partis matrum a consiliis simul cum licentia provincialis et cum peritorum consilio, nec ullo modo aedificia nova aggrediantur, quousque iam inchoata sint finita. Prior autem provincialis vel conventualis vel priorissa, si contra ordinationem istam agere praesumpserit, ipso facto excommunicationem incurrat et officio privetur. Vi autem huius prohibitionis non interdicitur, quin possint inchoari illa aedificia, quibus reparatur aliqua pars conventus collapsa vel quae in ruinam tendit, nec aedificia illa, quae extra conventus fiunt, quibus annui redditus crescunt et promoventur, dummodo in istis etiam constructionibus, si sint notabiles, praecedant consensus et licentia iuxta supradicta.

In quorum omnium et singulorum fidem ac testimonium praesentes nostras litteras de ordinatione eiusdem sanctissimi domini nostri fieri fecimus illasque manu propria subscripsimus sigillique nostri, quo in talibus utimur, impressione communiri mandavimus.

Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae anno domini MDLXXXVIII, die vero 27 augusti, pontificatus eiusdem sanctissimi domini nostri Sixti papae V. anno III.

Fr. MICHAEL BONELLUS cardinalis Alexandrinus protector ordinis.

GASPAR PALEARIUS Secretarius.

Admonemus pariter omnes et singulos nostri ordinis professores, qualiter generale capitulum anno domini 1564 Bononiae celebratum in nixum decretis sacri concilii Tridentini incorporavit et applicavit seu potius incorporata declaravit omnia bona immobilia et quoscumque annuos
5 redditus seu proventus quorumcumque fratrum et undequaque advenientium illis conventibus nostri ordinis, quibus secundum iura et nostras constitutiones debentur. Idcirco huiusmodi bona et annui redditus debent a conventuum procuratoribus seu sindicis et non a fratribus singularibus
10 exigi, utpote bona ipsorum conventuum et non proprietates particularium fratrum, sicut et nos eiusdem sacri concilii Tridentini statuta sequentes praecipimus, ne pro libito valeant fratres tales exigere census, sed
15 syndici vel procuratores nomine conventuum eos accipiant, et deinde praelati pro cuiusque indigentia et necessitate in ipsorum fratrum religiosos usus in totum vel in partem eosdem census seu redditus convertere poterunt.

Admonemus etiam, qualiter sanctissimus dominus noster Sixtus papa V. sua constitutione et declaratione superiori anno edita prohibuit
20 expresse, ne quis regularis ex una provincia ad aliam provinciam seu de uno in aliud eiusdem provinciae monasterium tam sui quam alterius ordinis transeundo, etiam in itinere, intra aliquod monasterium, domum
25 vel locum ad habitandum vel tanquam hospes recipi aut ad modicum tempus divertere possit, nisi a superiore eius loci, ubi residet, expressam licentiam discedendi in scriptis deferat et exhibeat, vel nisi ita cognitus sit, ut de eius persona nullus omnino dubitationi aut suspicioni locus
30 relinquatur. Et illi qui huiusmodi regulares sine licentia in scriptis advenientes etiam pietatis vel hospitalitatis praetextu receperint, eo ipso ab eodem sanctissimo domino nostro privantur et in perpetuum privati declarantur voce activa et passiva necnon officiis, gradibus, honoribus et
35 dignitatibus quibuscumque per eos obtentis, et inhabiles fiunt incapacesque ad illa et quaecumque alia in posterum obtinenda, praeter id quod prius multoties ordinatum fuit in multis generalibus capitulis in nostro ordine, ne aliqui fratres absque licentia advenientes a praelatis recipi vel detineri ullo modo possint nisi in carceribus, ut puniti ad suos conventus vel provincias remittantur; quod quidem mandatum fuit omnibus
40 praelatis et praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, prout etiam praesenti decreto omnibus et singulis provinciarum et conventuum praesidentibus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto districte praecipimus, ne quempiam sine licentia advenientem recipere vel retinere audeant seu quovis modo praesumant, nisi forte iustae punitionis dumtaxat gratia, et nihilominus contrafacientes ex nunc pro tunc a suis officiis absolutos declaramus.

Admonemus omnes praelatos et conventuum praesidentes, ut curent diligenter, quod in qualibet nostri ordinis ecclesia sanctissimi nominis Dei processio secunda cuiuslibet mensis dominica fiat, sicuti etiam prima cuiuslibet mensis sanctissimi Rosarii processio fieri debet, quandoquidem cum huiusmodi societates in nostris tantummodo ecclesiis, ubi eas habemus, esse possint, populos debitis indulgentiis processiones intermit-
tendo privare non decet.

Admonemus etiam eosdem praelatos et praesidentes, ut adhibeant operam, quatenus singulis diebus in refectorio particula aliqua nostrarum constitutionum clare et distincte legatur, ut inde vitae suae normam et regulam quisque quotidie ob oculos habere valeat.

Admonemus eosdem praelatos et praesidentes, ut nullo pacto secularium defunctorum corpora in ecclesiis intra monialium monasteriorum clausuras constitutis sepeliri permittant, non obstante quacunque consuetudine, licentia aut facultate in contrarium obtenta.

Admonemus eosdem praelatos et praesidentes, ut caveant diligenter, ne quempiam ad habitum nostri ordinis vel ad professionem recipiant, nisi servatis omnibus et singulis contentis in constitutione sanctissimi domini nostri Sixti quinti superius denuntiata, quae incipit: Cum de omnibus ecclesiasticis ordinibus etc. anno incarnationis dominicae MDLXXXVIII sexto cal. novemb. pont. sui anno quarto Romae data. Animadvertantque omnes gravissimas censuras et poenas contravenientibus inflictas.

Admonemus rev. patres provinciales, ut omnino abstineant a multitudine assignationum infra annum, ut vagandi occasio praesertim iuvenibus tollatur. Permittant etiam lectores cum eisdem discipulis in uno eodemque conventu suarum lectionum cursus perficere, neque eos removeant, quoadusque perfecerint. Hinc enim maximum incommodum et damnum tum discipulis tum lectoribus evenire solet, dum eorum cursus et lectiones interrumpuntur.

Admonemus admodum rev. patrem provincialem Theutoniae, et quantum possumus in domino hortamur, ut in promotione seminarium eiusdem provinciae pro iuvenum in litteris et moribus educatione invigilare sedulo non desistat.

Admonemus admodum rev. patrem provincialem Poloniae, ut pro expediendis conventuum causis in curia regni vel eiusdem generalibus comitiis aliquem patrem prudentem et maturum, qui praedictorum conventuum causas tractare, finire atque ad effectum deducere possit, instituat.

Admonemus omnes et singulos fratres ex provinciis Indiarum advenientes, ut rationem semper habeant brevis fel. record. Pii papae III. die 12 Augusti 1562 editi, cuius tenor talis est: Mandamus sub poena

excommunicationis latae sententiae per contravenientes eo ipso incurrenda, quod nullus cuiusvis ordinis frater sive religiosus, cuiusvis dignitatis, status, gradus vel conditionis existat, ab Indiis aliisque partibus rediens pecunias, ultra quam viatico suo verisimiliter necessariae fuerint, asportare praesumat omnesque pecunias per eos asportandas, antequam na-
 5 ves ascendant, superiori suo in partibus illis existenti denuntiare et ostendere litterasque taxationis viatici huiusmodi ab eo recipere teneatur.

Commissiones.

Committimus reverendissimo patri generali eumque obnixè rogamus,
 10 ut omnem adhibeat diligentiam, quatenus breviarium, missale, martyrologium et calendarium perpetuum nostri ordinis bene correcta imprimantur et praesertim calendarium perpetuum opera patris fr. Ioannis de Urduña (1) anno elapso 1588 Venetiis impressum corrigatur, quantum ad festa sancti Blasii, cathedrae sancti Petri, sancti Georgii, sancti Ludovici
 15 et sancti Alexii, quae non debent celebrari sub festo duplici, ut ibi habetur, sed festum sancti Alexii sub officio trium lectionum, alia verò sub festo simplici celebrari debent, ut supra declaratum est.

Committimus eidem reverendissimo patri generali, sicut alias etiam commissum fuit, ut in visitatione vicariae sancti Petri Martyris, si eam
 20 titulo provinciae dignam invenerit et pro sua prudentia iudicaverit, in provinciam eam erigere et eius vicarium titulo provincialis donari debet.

Committimus etiam eidem reverendissimo patri generali, ut particularia officia sanctissimi Rosarii ac etiam coronae Domini a diversis eruditis patribus nostri ordinis composita diligenter examinari faciat, et
 25 quod magis approbatum fuerit, a sanctissimo domino nostro confirmari procuret et breviario ac missali ordinis inseri et ab omnibus recitari mandet.

Committimus admodum rev. patri totius ordinis procuratori, ut ad Dei gloriam et nostri ordinis decorem summa diligentia procuret, ut
 30 gravissimum negotium canonizationis beati Hyacinthi confessoris, discipuli gloriosissimi patris nostri s. Dominici, necnon et canonizationis beati Ludovici Beltran ad debitum finem Deo adiuvante perducatur. Prior vero conventus Cracoviensis, in cuius ecclesia corpus praefati beati Hyacinthi quiescit, et prior conventus Valentini, in cuius ecclesia corpus praedicti
 35 beati Ludovici residet, hoc idem promovere et miracula, quibus huiusmodi sancti iugiter coruscant, scribere vel scribentes deputare satagant.

Committimus omnibus provincialibus et provinciarum seu congregationum praesidentibus, ut quoscunque fratres Germaniae inferioris in eorum provinciis vel congregationibus commorantes ad suam praefatam

(1) De fr. Ioanne de Urduña cf. SSOP. II, 284.

provinciam inferioris Germaniae, a qua bellorum et perturbationum occasione discesserunt, omnino redire cogant, quandoquidem Dei benignitate provincia ipsa suae iam quieti ferè est restituta, et pro animi gratitudine et charitatis debito debent illius filii ad illam quam citius reverti et eiusdem restorationem et augmentum totis viribus procurare; 5 quod etiam eis et unicuique eorum praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, assignantes ipsis terminum octo mensium ad summum, intra quorum spatium admodum rev. patri provinciali dictae provinciae se praesentare teneantur, ut eisdem de conventibus in eadem provincia provideat. 10

Committimus eisdem provinciarum et congregationum praesidentibus, uti alias etiam commissum fuit, ut alicui erudito et praestanti viro ex sua provincia iniungant, ut quae in suis provinciis aliquando contigerunt et contingunt, scribat maxime martyrum et fidem intrepide praedicantium ac pro ea pugnantium, ut omnibus a patre generali receptis 15 universalem quandam memoriam rerum ordinis componere faciat.

Committimus admodum rev. patri provinciali nostrae provinciae Provinciae, ut redditus conventuum ab haereticis occupatorum omni diligentia recuperare et de consensu diffinitorum sui capituli provincialis in beneficium provinciae et conventuum, prout melius iudicatum fuerit, 20 de eis disponere studeat.

Committimus denique admodum rev. patri provinciali nostrae provinciae Germaniae inferioris, ut removeat a conventu et studio Lovaniensi fratres minus aptos ad studia atque ex omnibus et singulis provinciae conventibus litteris et moribus praeditos fratres, qui in studiis 25 proficere possint in eodem conventu assignare, qui tamen assignati divinis officiis interesse et in omnibus ecclesiae et conventui, prout opus fuerit, inservire teneantur, quemadmodum etiam in conventu Parisino fieri solet.

Revocationes. 30

Revocamus omnes licentias a reverendissimis generalibus vel a quibusvis praelatis ordinis cuicumque concessas, ut illorum quis absolvere vel absolvi possit a casibus in nostro ordine praelatis ordinariis reservatis ac etiam de pecuniis expendendis vel penes se retinendis et de redditibus habendis vel exigendis necnon de cameris et officiis perpetuis, et omnes assignationes perpetuas cum clausulis, quod nullus inferior etc. 35 Item omnes licentias equitandi praesertim per civitates, et administrandi bona consanguineorum vel quorumcumque secularium, et de ingressu cellarum, et generaliter omnes et singulas licentias, quae regulari observantiae quomodolibet repugnare videntur. 40

Revocamus etiam omnes dispensationes et licentias cuicumque con-

cessas de non facienda hebdomadaria, statuentes, ut huiusmodi onus omnes subeant, exceptis dumtaxat magistris in sacra theologia, baccalaureis, lectoribus actu legentibus, praedicatoribus actu praedicantibus, et patribus, qui fuerunt provinciales vel qui ob decrepitam aetatem merito
5 excusantur.

Concessionones.

Concedimus omnibus provinciis Hispaniarum, ut ad evitandas expensas et incommoda possint pro hac vice tantum intermedia capitula, si illis videbitur, intermittere, quandoquidem ad capitulum generale non
10 sine maximis expensis se contulerunt provinciales et diffinitores.

Concedimus in provincia utriusque Lombardiae conventui s. Domini de Regio, ut durante fabrica non possint in eo commorari nisi 25 fratres, ratum habentes praeceptum a p. provinciali praeterito desuper factum; et conventui s. Domini de s. Severino, ut ultima dominica
15 mensis augusti officium b. Margaritae viduae sub festo duplici celebrare possit, cum in eadem ecclesia illius corpus reperiatur, et maxima totius populi veneratione ac concursu colatur.

Concedimus provinciae nostrae Regni, ut vicarii locorum sint tantum triennales nec pro secundo triennio a suo provinciali confirmari, quamvis etiam ante triennium iustis de causis quandoque ab eodem re-
20 moveri possint.

Concedimus etiam eidem provinciae Regni ad eius petitionem atque statuimus, ut eius praedicatores singuli in conventibus, ubi diebus dominicis et in festivitatibus sanctorum infra annum conciones ad populum
25 habeant, assignentur, ne turpiter otio langueant; secus, si ut praefertur, infra annum non praedicaverint, tali munere priventur et ad praedicandum in quadragesima minime admittantur.

Concedimus provinciae nostrae Aragoniae, ut in ecclesia s. Domini Maioricarum festum s. Eunufrui sub festo duplici celebrari possit, cum
30 ibi eiusdem sancti reliquiae habeantur magna cum populi veneratione.

Concedimus provinciae nostrae s. Iacobi de Mexico, ut possit sabbato ante dominicam Palmarum celebrare festum pietatis seu compassionis beatae Mariae semper virginis sub toto duplici, dummodo aliud
35 solemne festum occurrens non impediatur; nolentes tamen officium pietatis brevissimi antiqui recitari, quoadusque iussu reverendissimi patris generalis revisum et approbatum fuerit.

Concedimus congregationi nostrae Apprutinae s. Catherinae de Senis, ut ad evitandas expensas et fratrum vagationes tantummodo de biennio in biennium capitulum celebretur, quando vicarii faciendae est electio.

Concedimus omnium conventuum et domorum nostri ordinis praesidentibus, ut sanctissimi Rosarii et nominis Dei societates ingredi petentes
40

in libro ad hoc deputato scribere, rosaria benedicere et misteria exponere, et in eorum absentia aliquem probatae vitae et gravem patrem sacerdotem, qui id muneris exercent, instituere possint. Idem etiam concedimus patri sacristae maiori cuiuslibet ecclesiae nostrae.

Acceptationes.

5

In provincia Hispaniae acceptamus conventum seu collegium s. Thomae Matriti, ratumque ac firmum habemus sub cura et regimine adm. rev. p. provincialis eiusdem provinciae.

In provincia Tholosana acceptamus, et si opus est, confirmamus et approbamus novum monasterium de Rosario in civitate Agenensi sub cura et regimine adm. rev. p. provincialis eiusdem provinciae. 10

In provincia Regni acceptamus domos Aquarii sub titulo et invocatione s. Mariae Rosarii atque Annunciatae, et Terrae Pollae sub titulo s. Mariae Sanitatis.

In provincia Aragoniae acceptamus atque erigimus in conventum et prioratum domum nostram de Manachor insulae Maioricarum in regno Valentiae sub invocatione s. Vincentii de Ayodar, cui etiam in priorem praefigimus et instituimus rev. p. f. Iulianum Abra (1) magistrum, qui in eiusdem fundatione plurimum laboravit, eidem tribuentes omnem facultatem atque auctoritatem in spiritualibus et temporalibus, quam caeteri priores in nostro ordine et in eadem provincia habere solent etc. In eadem provincia acceptamus atque erigimus in conventum domum nostram de Almenaca sub titulo et invocatione sanctissimae Mariae del Rosario, et confirmamus in priorem eiusdem domus rev. p. f. Ioannem Stephanum eiusdem provinciae praedivatorem generalem cum auctoritate, gratiis et privilegiis solitis et consuetis. Item in eadem provincia acceptamus, et quatenus opus esset, confirmamus acceptationem domus sanctorum Antonii et Telmi civitatis Alicantis. 20

In provincia s. Crucis acceptamus, et quatenus necesse esset, erigimus in conventum et prioratum domum nostram insulae de la Margarita cum gratiis et privilegiis consuetis et confirmamus pro hac prima vice in priorem illius rev. p. f. Ioannem Diaz a reverendissimo olim ordinis magistro f. Sixto Lucensi institutum atque approbatum etc. 30

In congregatione Apprutina s. Catherinae de Senis acceptamus conventus s. Severi Maioris, et Iesu Mariae, s. Vincentii de Neapoli ac eorum erectionem in prioratus. 35

Translationes.

Transferimus ad provinciam utriusque Lombardiae seu potius unimus et incorporamus eidem provinciae conventum nostrum s. Mariae

(1) De fr. Iuliano Abra (Abraham) cf. supra pag. 220, 253.

Civitas Vetulae, qui alias ad vicariam Romanam pertinebat, et nunc subiectus erat immediate curae reverendissimi patris generalis, committentes adm. rev. p. provinciali eiusdem provinciae pro tempore, ut eius curam habeat eumque regat non secus ac caeteros suae provinciae conventus.

In eadem utriusque Lombardiae provincia ratam habemus filiationem rev. p. magistri fr. Nicolai de Britonorio inquisitoris Ferrariensis in conventu s. Dominici de Reggio. Patrum lectorum f. Ioannis Baptistae Albertini de Nola, f. Pauli Mariae de Brignano et f. Ioseph Prades de Valentia in conventu s. Catherinae apud Formellum de Neapoli, p. lectoris f. Dominici de Lauda inquisitoris Bergomensis in conventu s. Mariae Gratiarum de Mediolano, p. lectoris f. Vincentii Ranucii Bononiensis inquisitoris Parmensis in conventu s. Dominici de Bononia, et p. lectoris f. Augustini de Brisighela in conventu s. Andreae de Faventia. Item transferimus rev. p. magistrum f. Innocentium de Verona ex conventu Vicentino, et p. praedivatorem f. Ioannem Vincentium de Eugubio ex conventu Eugubino ad conventum s. Catherinae apud Formellum de Neapoli, eosque eidem conventui affiliamus et affilios declaramus, dispensantes super quibusvis requisitis. Item revocamus p. f. Iulium de Cignano a conventu Muriani eumque restituimus suo originali conventui Cremensi, et p. f. Hieronymum de Plebe a loco Bagnaschi et restituimus eum suo conventui originali Garresiensi.

In provincia Romana ratam habemus filiationem seu translationem f. Nicolai Mazze Chiensis a provincia Trinacriae ad dictam provinciam Romanam.

In provincia Ungariae transferimus p. f. Stephanum de Alto Monte nunc priorem Leubenensem a sua originali vicaria Apprutina ad eandem Ungariae provinciam, in qua multos annos, ut accepimus, religiose vixit; ratamque habemus filiationem p. f. Danielis de Spalato et p. f. Michaelis de Sebinico lectoris.

In provincia Aragoniae transferimus affiliones f. Marci de la Bega et f. Dominici Palomar conversorum a suis originalibus conventibus ad conventum s. Ioannis Vincentii Fontinentis, ac f. Iosephi Soranno a conventu s. Francisci ad conventum Valentinum, accedente tamen debito consensu et servatis servandis.

Item in eadem Aragoniae provincia ratam habemus translationem filiationum fratris Didaci Mas praesentati ex conventu s. Stephani Salmanticensis provinciae Hispaniae ad conventum praedicatorum Valentiae, f. Ludovici Milan ex eodem conventu s. Stephani ad conventum s. Matthaei, f. Michaelis Thamarro ex conventu Barchinonensi ad conventum Perpiniiani, f. Thomae Fortunii praesentati a conventu sancti Eunofrii ad

domum de Olleria, et f. Petri Albinnano a conventu de Lombai ad domum de Olleria.

Transferimus et revocamus ex provincia Bohemiae ad suam originalem et nativam provinciam in suo originali conventu Augustano p. f. Matthiam de Lingano. 5

In provincia Provinciae ratam habemus filiationem p. magistri f. Martorii de Lesmos in conventu Montispezzulani.

In provincia Bethicae transferimus p. f. Balthasar Cano a conventu s. Dominici de Basa ad conventum s. Dominici de Cusman de s. Lucar, f. Alphonsum de Mesa a conventu sancti Dominici de Dona Mencia ad 10 conventum sancti Dominici Malacitani, f. Martinum Milan a conventu sancti Dominici de Alchale de las Gazoles ad conventum sancti Bartholomaei de Utrera, f. Didacum de Salto a conventu sancti Dominici de Scala Coeli ad conventum sancti Dominici Civitatis Regalis, f. Christophorum de Spinosa a conventu sancti Petri Martyris de Ronda ad con- 15 ventum s. Catherinae Geanensem, f. Christophorum de Barrasa a conventu s. Mariae de Guadalupo de Vaena ad conventum Reginae Angelorum Hispalensem, servatis tamen servandis et cum solito assensu.

In provincia Calabriae transferimus filiationem rr. pp. f. Dominici de Polistina magistri a conventu Policastri ad locum Polistinae, f. Chri- 20 sostomi de Polistina a conventu s. Georgii in locum Polistinae, f. Ioannis de Bisiniano a conventu Bisiniani ad conventum Consentinum, f. Ferdinandi de Suriano a conventu Suriani ad conventum Catanisani, f. Andreae de Amigdolaria a conventu Altimontis ad conventum Amigdolariae, f. Salvatoris de Neocastro a conventu sancti Georgii ad conventum 25 Neocastri, f. Iacobi de Polistina a conventu Rosarni ad locum Laconiae, f. Honorati de Rosarno a loco Cropolati ad conventum Montis Alti, f. Scipionis de Roblano a conventu Montis Alti ad conventum Roblani, f. Vincentii secundi a loco Condoianni ad conventum Montis Leonis, f. Francisci de Monte Leone a conventu Briatici ad conventum Montis 30 Leonis, f. Scipionis de Serris a conventu Montis Alti ad conventum SerRARUM, accedente tamen solito consensu et servatis servandis; transferimus etiam f. Benedictum de Layno a provincia Regni ad conventum Layni, accedente tamen consensu provincialis Calabriae et maioris partis filiorum eiusdem conventus, ac servatis servandis. 35

In congregatione Apprutina s. Catherinae de Senis approbamus translationem affiliationis f. Petri Pages a conventu Theatino ad conventum s. Severi Maioris de Neapoli.

Institutiones.

In provincia Ungariae instituimus et creamus in praedicatorem ge- 40 neralem p. f. Albertum Augustanum, nunc priorem Frisacensem, de

plurimis inclytis civitatibus ac aliis locis tum verbo tum exemplo multos annos praedicationi insistentem, optime meritum.

In provincia Theutoniae instituimus atque creamus praedicatorum generalem rev. p. f. Hermannum Hortensium praesentis huius nostri capituli diffinitorem.

Licentiae promovendorum.

In provincia Ungariae ad eiusdem provinciae petitionem licentiamus et promovemus ad gradum magisterii rev. p. baccalaureum f. Vincetium Antverpiensem conventus Pictaviensis filium, ad baccalaureatum licentiamus p. f. Ioacchinum Pizzonum Venetum, admodum reverendissimi p. provincialis dictae provinciae socium et pro eadem provincia in generali capitulo diffinitorem, absque praedicio iurium suae provinciae, cui tamen concedimus, ut in studio Patavino suae originalis provinciae pro forma et gradu magisterii tempore suo sententias legat.

In provincia Bohemiae licentiamus ad baccalaureatum r. p. lectorem f. Dominicum de Nicopoli et in praesenti generali capitulo pro eadem provincia diffinitorem, dummodo in eadem provincia maneat et eidem inserviat.

In provincia Provinciae licentiamus ad baccalaureatus gradum f. Franciscum Agacath.

In provincia Dalmatiae licentiamus ad baccalaureatum reverendos pp. f. Evangelistam et f. Vincentium de Fato.

In provincia Germaniae inferioris licentiamus ad magisterium reverendos pp. baccalaureos f. Stephanum Zona (1), nunc priorem Duacensem, et f. Iacobum Fabri, primarium regentem Novariensem.

In provincia Calabriae licentiamus ad magisterium reverendos pp. f. Augustinum de Cosentia baccalaureum, qui in dicto studio Cosentino pro forma et gradu sententias legit, et f. Ioannem de Altomonte.

Declarantes, quod omnes praefati nominatim licentiati, non intelliguntur licentiati, nisi servatis servandis et salvis iuribus cuiuslibet Provinciae.

Provisiones studiorum.

In provincia utriusque Lombardiae damus in regentem, baccalaureum et magistrum studentium eos, quos reverendissimus p. generalis pro sua prudentia et pro decore ac utilitate eiusdem adeo insignis et praecipui gymnasii idoneos iudicaverit; nolentes, ut habeatur omnino ratio antiquitatis, sed praecipue eruditionis, sufficientiae, doctrinae et continui exercitii.

In provincia Romana in studio Perusino, servatis servandis, damus in regentem pro duobus primis annis rev. p. f. Seraphinum Razzium,

(1) Idem esse videtur ac Stephanus Iona, de quo supra pag. 184, 185, 257.

magistrum, et pro 3. patrem f. Antoninum Mattoncinum baccalaureum, in baccalaureum autem pro duobus primis annis eundem p. f. Antoninum Mattoncinum, pro 3. providebit reverendissimus; in magistrum vero studentium pro primo anno f. Nicolaum Sermartellium, pro duobus sequentibus f. Marcum Balducium.

In provincia Trinacriae in studio s. Dominici de Panormo damus in regentem rev. p. f. Decium de Panormo baccalaureum, in baccalaureum ordinarium pro primo anno p. f. Iosephum Buttilanum, pro 2. et tertio annis providebit reverentissimus; in magistrum studentium pro primo anno f. Thomam Albachar, pro 2. f. Petrum Canizzarum, pro 3. autem reverendissimus providebit. In studio vero Messanensi, expleto rev. p. magistri f. Chrisostomi de s. Angelo regentatus tempore, damus in regentem rev. p. f. Vincentium Bonincontro (1) baccalaureum, in magistrum studentium pro primo anno p. f. Iosephum de Montealbano, et pro 2. p. f. Scipionem de Catania.

In provincia Calabriae in studio Cosentino damus in regentem rev. p. f. Dominicum de Polistina magistrum, in baccalaureum pro primo anno p. f. Vincentium de Petrapaula, et pro duobus aliis sequentibus p. f. Augustinum de Zagaresio magistrum studentium et f. Thomam de Rogiano lectorem; in magistrum studentium pro primo anno p. f. Chrysostomum de Ciretano, pro 2. p. f. Gregorium de Agroptera et pro 3. p. f. Dominicum de Rosarno, si tamen, quae praecipuntur, hi omnes praestiterunt.

In provincia s. Thomae, completo prius ultimo anno rev. p. magistri f. Vincentii de Rubis damus in studio Andrensi in regentem pro triennio rev. p. magistrum f. Thomam de Monopoli, in baccalaureum pro primo et secundo anno p. f. Ioannem Lellium de Gallipoli, pro tertio f. Bartholomaeum de Gallipoli, in magistrum studentium pro anno 1590 f. Ioannem Dominicum de Rubis lectorem, et pro 1591 et 1592 providebit reverendissimus.

In provincia s. Dominici in studio s. Augustini de Padua damus in regentem pro anno 1589, 90 et 91 rev. p. f. Sixtum Venetum, in baccalaureum pro annis 1590 et 1591 p. f. Ioannem Baptistam Patavinum, in magistrum studii pro anno 1589 p. f. Pelegrinum Zagati lectorem, pro anno 1590 p. f. Hieronymum Venetum lectorem, et pro anno 1591 p. f. Petrum Antonium Utineum lectorem.

In congregatione Apprutina in studio s. Dominici de Aquila pro hoc anno 1589 officium regentis prosequatur rev. p. magister Leonardus de Perusio, et pro annis 1590, 1591 et 1592 damus in regentem rev.

(1) De fr. Vincentio Bonincontro cf. SSOP. II, 430.

p. f. Andream de Penna baccalaureum, si eidem congregationi placuerit. Pro anno 1589 officium baccalaurei prosequetur rev. p. f. Andreas de Penna pro quadriennio complendo; quo completo damus in baccalaureum p. f. Ioannem Baptistam Pantanum de Perusio, in magistrum studentium damus pro annis 1589 et 1590 p. f. Ioannem Dominicum Senensem, absolventes prius ipsum a prioratu s. Vincentii de Neapoli.

In vicaria s. Petri martyris in studio s. Eustorgii de Mediolano pro hoc anno 1589 regentis officium prosequetur rev. p. magister f. Pius de Lugo, et officium baccalaureatus p. f. Marcus Antonius de Alexandria absque tamen cuiusquam praeiudicio, in magistrum studentium damus p. lectorem f. Bernardinum Mustoria de Mediolano; de caetero autem iuxta generalis huius capituli acta provideatur et electiones fiant.

Approbationes.

In provincia Hispaniae approbamus magisterium rev. p. f. Didaci de Peredo cum gratiis et privilegiis in sua provincia ex speciali indulto apostolico.

In provincia Tholosana approbamus magisteria rr. pp. f. Renati Fabri, f. Ioannis Mailardi, f. Maturini Beuquerii, f. Ioannis Parel, f. Ugonis Barbae, et f. Petri Basati, et praesentaturam p. f. Renati Bolaym ac eius affiliationem in conventu Petragoricensi.

In provincia utriusque Lombardiae approbamus magisteria rr. pp. f. Cypriani de Arimino, f. Nicolai de Bretonorio, f. Pii de Lugo, f. Hieronymi Iustiniani (1), f. Ioannis Baptistae de Vigueria, f. Lazari a Florentiola, f. Petri de Tabia, f. Aurelii de Genua, f. Innocentii de Florentiola, f. Adeodati de Genua, f. Andreae de Faventia, absque praeiudicio iurium eiusdem provinciae.

Item in eadem provincia approbamus affiliationes pp. f. Marci Antonii de Brixia et f. Hieronymi de Cignano in conventu s. Clementis de Brixia, et quatenus opus esset, eosdem in praefato conventu affliamus.

In provincia Romana approbamus magisterium rev. p. f. Timothei Bottonii, cum omnibus gratiis, quibus illius provinciae magistri potiuntur ex speciali apostolica dispensatione.

In eadem provincia approbamus etiam magisteria rr. pp. f. Chrysostomi de Balneolo, f. Seraphini Ratii, f. Vincentii Castrucci, f. Thomae Sanii, et baccalaureatum f. Antonini Mattoncini et f. Vincentii a Fivizano sine praeiudicio iurium suae provinciae.

In provincia Theutoniae approbamus licentiaturas pp. f. Francisci Frank prioris Moguntinen., et f. Ioannis Buchelmunt et f. Ioannis Ar-

(1) De fr. Hieronymo Iustiniani cf. SSOP. II, 429.

willeri et baccalaureatum f. Conradi; approbamus etiam magisterium p. f. Gherardi Crefeld.

In provincia Aragoniae approbamus magisteria et praesentaturas eorum, qui a reverendissimo patre generali vel a generali capitulo promoti fuere.

In provincia Poloniae approbamus magisterium rev. p. f. Severini Cracoviensis secundum suae provinciae acceptationem.

In provincia Graeciae approbamus ad petitionem admodum rev. p. provincialis eiusdem provinciae magisterium rev. p. Vincentii Barozii de Cidonia.

In provincia Provinciae acceptamus magisteria rr. pp. f. Vincentii Tibaudi, f. Iacobi Tornerii, f. Umberti Borigli, et praesentaturas f. Lucae Alemandi, f. Gasparis Doneudi, f. Claudii Laugerii et f. Pauli Berengarii.

In provincia Bethicae approbamus magisteria rr. pp. f. Michaelis de Pareles, f. Ioannis Carilli, f. Ioannis de Cespedis, f. Iephonsi Romero, et praesentaturam eorum qui promoti fuere a reverendissimo quondam generali magistro f. Sixto Fabri Lucen.

In provincia Germaniae inferioris approbamus magisteria rr. pp. f. Petri de Cruce, f. Ioannis Praehudonii (1) et f. Nicolai Neelsii in universitate Duacensi.

In provincia Calabriae approbamus magisteria rr. pp. f. Vincentii de Agroptera, f. Dominici de Castilione, f. Pauli de s. Andrea, f. Laurentii de Blanco, f. Ioannis Baptistae de Polistina et f. Dominici de Polistina.

In provincia sancti Iacobi de Mexico approbamus magisterium rev. p. f. Christophori de Ortega, huius nostri generalis capituli diffinitoris, et praesentaturam p. f. Francisci Ximenez.

In provincia sancti Ioannis Baptistae del Perù approbamus magisteria rr. pp. f. Salvatoris de Ribera, f. Stephani de Iordascellas et praesentaturam f. Dominici de Valderama eiusdem provinciae provincialis, f. Reginaldi de Sarraga et f. Thomae de Heridia.

In provincia Occitana approbamus magisteria rr. pp. f. Petri Tibaudi conventus Marsiliae, f. Hieronymi Duboys conventus Avinionensis, f. Ludovici Lecostur conventus Argentomen. congregationis Gallicanae in universitate Avinionensi, et f. Antonii Bodeti conventus Albiae in universitate Tholosana.

In provincia s. Dominici approbamus magisteria rr. pp. f. Pauli de Venetiis, f. Livii et f. Ioannis de Patavio ad petitionem eiusdem provinciae.

In vicaria sancti Petri martyris approbamus magisteria rr. pp. f. Honorati Lisii et f. Melchioris Crucei de Mediolano.

(1) Idem est ac Ioannes Prendhome, de quo supra pag. 181, 185.

Approbamus sententias a iudicibus in praesenti capitulo tum in causis gravioribus tum civilibus per nos deputatis latas.

Assignationes.

In provincia nostra utriusque Lombardiae in studio Bononiensi assignamus in studentem p. f. Innocentium Berart (1) conventus Bussi pro rata suae provinciae Provinciae, et p. f. Marcum Monasteriensem in studentem formalem pro rata suae provinciae, et pro primo loco vacante p. f. Rugerium de Porto Gruario, et pro secundo p. f. Benedictum de Padua pro rata suae provinciae sancti Dominici, et p. f. Albertum de Bracchio pro rata suae provinciae Dalmatiae, et p. f. Basilium de Bevanea sine tamen alterius praeiudicio pro vicaria Romana, et p. f. Scipionem de Roblano pro rata suae provinciae Calabriae.

In provincia Romana assignamus f. Antonium Cuicchiart et f. Durandum Thaloni, commendantes eos p. provinciali, ut eis de conventu, in quo litteris operam dare possint, provideat.

In provincia Regni in studio Neapolitano assignamus in studentem p. f. Vincentium de Lesina pro 2 triennio pro rata provinciae suae Dalmatiae, et p. f. Vincentium de sancto Georgio pro primo loco vacante, et p. f. Antonium de Discalceatis pro 2 pro rata suae provinciae Calabriae, et p. f. Herveum Venetum pro 2 triennio pro rata suae provinciae sancti Dominici, et f. Cyprianum de Biela pro rata vicariae s. Petri martyris pro secundo triennio. Item in eadem provincia et in eodem studio pro rata eiusdem provinciae regni successive vacante loco et praemissis de more praemittendis assignamus in studentes omnes eos, qui prius in conventu sancti Petri martyris litterarum studia sunt professi iuxta tempus, quo ibidem assignati fuere, adeo ut qui primi in conventu s. Petri martyris studiis operam navarunt praedeterminatumque tempus compleverunt, itidem primi assignentur in studio sancti Dominici, nec cuiquam iniuriae aut praeiudicii relinquatur locus, sed antiquissima ac laudabilissima eiusdem provinciae observentur instituta.

In provincia Aragoniae assignamus ven. pp. f. Ioannem Rainaut conventus Aquensis, et f. Matthaeum Dumar conventus Valentiae ex provincia Provinciae, eos plurimum in Domino provinciali commendantes, ut illis conventum praescribere dignetur, in quo et religioni et litteris vacantes dignos tandem ingenii fructus pariant.

In provincia Trinacriae in studio Panormitano assignamus in studentem p. f. Petrum de Maleis pro rata suae provinciae Calabriae.

In provincia Calabriae in studio Cosentino assignamus in studentem formalem p. f. Thomam de Chiusa pro rata suae provinciae Trinacriae.

(1) De fr. Innocentio Berart cf. SSOP. II, 459.

In provincia s. Dominici in studio Patavino assignamus in studentes eiusdem provinciae ven. pp. f. Georgium de Tarvisio pro 2 triennio, et f. Ioannem Petrum et f. Gabrielem de Venetiis pro primo triennio.

Conventus designati, quorum praelati convenire debent pro examine recipiendorum ad habitum iuxta constitutionem sanctissimi domini nostri Sixti papae V. in provinciis, in quibus non quotannis capitula celebrari solent.

In provincia utriusque Lombardiae conventus Bononiensis et Ferrariensis primus et secundus.

In provincia Regni conventus s. Dominici, s. Petri martyris et s. Mariae sanitatis de Neapoli.

In provincia Hungariae conventus Petovien. prior cum tribus antiquioribus eiusdem conventus patribus.

In provincia Theutoniae conventus Augustani prior cum tribus antiquioribus eiusdem conventus patribus.

In provincia Graeciae conventus s. Petri de Candia prior cum tribus antiquioribus eiusdem conventus patribus.

In provincia Poloniae conventus Cracovien., Petricovien. et Opatovien. vel, si ob provinciae amplitudinem in qualibet natione deputentur huiusmodi examinatores, in minori Polonia conventus Cracovien., Opatovien., Petricovien., vel Osvetinen.; in maiori Polonia conventus Posnaniens., Zuinen., Vilnen.; in ducatu Lithuaniae conventus Vilnen. prior cum tribus antiquioribus patribus; in ducatu Russiae conventus Leopoliens., Praemisliens., Samborien.; in ducatu Mazoviae conventus Loviciens., Lenciciens., Sochachovien.; in ducatu Silesiae conventus Toratislavien., Glogovien., Sindaicen.; in ducatu Prussiae conventus Gedanen., Culmen. et Torunen.

In provincia Aragoniae conventus Valentinus et s. Onuphrii et sanctae Crucis de Lombai; si vero per nationes deputentur, in natione Cathaloniae conventus Barchinonen. et Tarraconen. In natione Aragoniae conventus Caesaraugustanus et collegium Caesaraugustanum. In natione Valentina conventus qui supra.

In insula Malearia prior et tres patres ex antiquioribus.

In provincia Bohemiae conventus Holomocen. et Znoimen.

In prov. Dalmatiae conventus Spalaten, Tragurien. et sanctae Crucis.

In prov. Trinacriae conventus s. Dominici et s. Citae de Panormo.

In provincia Portugalliae conventus Ulixiponen. et s. Dominici de Benfica et s. Pauli de Almada.

In provincia Bethicae conventus s. Pauli et Reginae Angelorum et Montis Sion civitatis Hispalen.

In provincia s. Thomae conventus Baren., Medunien. et Bituntinus.

In provincia Calabriae conventus Consentinus, Serrarum et Rublani.

In provincia s. Iacobi de Mexico conventus s. Dominici de Mexico,
domus s. Iohannis Baptistae de Cuyoacam et s. Mariae de Allacuvayam,
5 vel si per nationes deputentur, in natione Mexicana conventus qui supra,
in natione Zapoteca conventus s. Dominici de Guaxaca, domus de Cuy-
lapa et domus de Eslla, in natione Misteca domus de Yanguilan, domus
de Cuexlavac et domus de Tepozcolula.

In provincia s. Dominici conventus ss. Iohannis et Pauli de Venetiis,
10 s. Augustini de Padua et s. Nicolai de Tarvisio.

Omnes supranominati conventus designati et acceptati fuere in hoc
generali capitulo ad effectum supradictum, declarantes nihilominus pro-
vincialia capitula in qualibet provincia posse deinceps alios conventus
nominare et supra nominatos in alios commutare, et in provinciis, in
15 quibus non sunt designati, conventus designare, prout sibi magis com-
modum fuerit, semper tamen iuxta constitutionem et declarationem eius-
dem sanctissimi domini nostri.

Approbati in hoc generali capitulo, ut possint recipi ad habitum
vel ad professionem iuxta constitutionem sanctissimi domini nostri, ser-
20 vatis tamen servandis, et dummodo habeant debitam sufficientiam et omnes
alias conditiones requisitas iuxta nostras leges et non aliter:

Fr. Alexander Palinerius de Lavello.	Fr. Baptista Bozzolus de Mantua.
Alexander Lepsolus.	Bartholomaeus de Berto.
Alexander Sessinus.	Bartholomaeus Telocinus.
25 Albertus de Neapoli.	Benedictus tertiarius de Neapoli.
Albertus de Neapoli alius.	Barnabas de Neapoli.
Antonius de Luca conversus.	Carolus Re.
Augustinus de Mazzis de Mon- tepulciano.	Camillus Rosius.
30 Antonius della Guardia.	Cornelius de Neapoli.
Antonius Maria Nestorio de Ma- cerata.	Christophorus quondam Nicolai.
Antonius Ferrinus.	Cyprianus de Neapoli.
Anibal de Federicis de Spetia.	Dominicus conversus.
35 Antonellus Laurentianus.	Decius Passarus.
Augustinus Fredianus Ferrarien.	D. Donatus Picus.
Ambrosius de Neapoli.	Fr. Equitus de sancto Dominico de Aquila.
Antonius Todinus.	Felicianus Moliternus.
Alvellus de Provenzano.	Franciscus de Medola de Cassiano.
40 Bernardinus de Massanelli de Finario.	Franciscus Antonius de Casa.
	Franciscus Antonius Parascan- dolus.

Fr. Franciscus Guaracinus de Neapoli.	Fr. Marcus Antonius Genuensis.	
Franciscus Maria de Neapoli.	Marcus Anellus Aponce.	
Flavius Gallus.	Marcus Vincentius Bonocore.	
Filippus de Angelinis.	Marcellus de sancta Agatha.	
Franciscus Novi.	Maurus de Luca.	5
Flavius Gallo.	Martinus conversus de Neapoli.	
Filippus de Tibure.	Marcus de Campania.	
Gregorius Masinus de sancto Lauditio.	Ottavius de Augustino.	
Hieronymus Manzius.	Paulus de Neapoli.	
Hilarius de Neapoli.	Paulus de Oximo.	10
Ioannes Camillus Petagnus.	Petrus tertiarius.	
Ioannes Baptista Pionellus.	Petrus Passarus.	
Ioannes Vincentius Tipaldus.	Pomponius Victoria.	
Ioannes Baptista Caroli.	Petrus Mancarus Bononiensis.	
Ioannes Baptista Iordani.	Panthaleon Bargalis Genuensis.	15
Ioannes Baptista Pizzonus de Auximo.	Petrus Pimius.	
Ioannes Michael Barencus.	Petrus de Schiena de Cerano.	
Ioannes Vincentius de Cerino.	D. Paulus Passalaqua de Sicilia.	
Ignatius tertiarius.	Fr. Raimus de Neapoli.	
Iacobus de Ritiis.	Stephanus de Gajeta.	20
Iacobus Tartoglionus de Martenisisio.	Sebastianus Ciardi de Prato.	
Iulius de Silva.	Salvator conversus de Arischio.	
Iulius Montanus de Martenisisio.	Sebastianus de Reate.	
Iacobus Reghezza de Tabia.	Stephanus conversus de sancto Alexio.	25
Ioannes Paulus Cerica.	Salvator de Luca.	
Lucas de Neapoli.	Simon conversus.	
Laurentius de Neapoli.	D. Salvator de Valivo.	
Lucas Bonellus.	Fr. Silvester de Luca de Nobilibus.	
Livius Farina de Martenisisio.	Thomas Civetta de Argenta.	30
	Vincentius Mesera.	
	Vincentius de sancto Vincentio.	
	Sancti (1) Severini.	

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Sixto V. quilibet sacerdos unam missam. 35

Pro felici statu sanctae Romanae ecclesiae catholicae quilibet sacerdos unam missam.

(1) Forte mendum typographicum loco Sanctes,

Pro augustissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico rege Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam.

Pro regno Galliae quilibet sacerdos unam missam.

Pro aliis regibus et principibus christianis et maxime pro his, qui
5 pugnant contra hostes fidei, et pro bono statu totius reipublicae christi-
anae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Alexandrino ex nostro
ordine assumpto, et eiusdem nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos
unam missam.

10 Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Carrapha, nostri or-
dinis viceprotectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo cardinali Asculano (1) ex nostro
ordine assumpto quilibet sacerdos unam missam.

15 Pro collegio omnium illustrissimorum et reverendissimorum card-
inalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis praesertim ex nostro ordine assumptis quilibet
sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris, et his praesertim, qui huic ca-
pitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

20 Pro statu et reformatione totius nostri ordinis et pro eius capite re-
verendissimo patre generali et in eius societate laborantibus quilibet sa-
cerdos unam missam.

Ubi sacerdotibus una missa imponitur, semper aliis clericis letaniae
et laicis ac conversis triginta pater noster imponuntur.

25 Suffragia pro defunctis.

Pro anima illustrissimi domini cardinalis de Ursinis ex ordine no-
stro assumpti, qui perpetuam eleemosinam nostro capitulo generali in
suo testamento reliquit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. unam mis.

30 Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri q. s. unam mis.

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium mortuorum et con-
versis rosarium imponitur.

Concedit reverendissimus p. generalis omnibus rr. pp. provincialibus
et diffinitoribus huius capituli, ut possit unusquisque eorum quempiam
35 ad poenas gravioris culpae hucusque damnatum ad gratias ordinis, ex-
cepta voce passiva, restituere, dummodo sua humilitate et bono exemplo
huiusmodi favore dignum se praestiterit, ita tamen ut non comprehen-
datur in aliqua constitutione sanctissimi domini nostri, vel ob fidem sit
damnatus.

(1) Hieronymo scl. Bernerio, de quo cf. BO. V, 475.

Concedit idem reverendissimus omnibus et singulis fratribus et sororibus ordinis nostri, ut pro una vice tantum eligere possint in confessarium aliquem sacerdotem ordinis nostri ad confessionum audientiam expositum et ab eodem de praeteritis usque ad horum duntaxat notitiam censuris, casibus et peccatis omnibus absolvi, a quibus ipse reverendis- 5
mus absolvere posset.

Committimus et tribuimus reverendissimo p. generali omnem nostram auctoritatem in praemissis et in omnibus aliis, ut valeat omnia praemissa ac omnia alia declarare, interpretari, addere vel minuere, nec- non et omnia ac singula facere, quae capitulum generale et nos facere 10
possumus, prout eius prudentiae visum fuerit opportunum.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum secundum, assignamus in conventu ss. Ioannis et Pauli de Venetiis provinciae s. Dominici hinc ad tres annos 1592 in festo sanctissimae Pentecostes.

Praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub for- 15
mali praecepto omnibus et singulis provinciarum et congregationum ac vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quamprimum legere et diligenter publicare faciant, et omnem operam adhibere, ut inviolabiliter executioni mandentur, et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio legantur. Volentes, 20
ut exemplaria impressa et sigillo reverendissimi patris generalis munita tamquam originalia approbata et authentica ubique habeantur.

Fratres qui gloriose obierunt.

In provincia Portugalliae obiit in fine anni praeteriti admodum rev. p. f. Ludovicus Granaten. (1) vir doctrina et sanctitate insignis et in toto 25
orbe celebris, ut eius opera mira devotione, pietate et doctrina referta testantur.

In congregatione Apprutina s. Catherinae Senensis obiit admodum rev. p. magister f. Paulinus Bernardinus de Luca (2) ex prov. Romana, vir integritate vitae et excellentia doctrinae conspicuus, qui reformatio- 30
nem in eadem congregatione ferventissimo spiritu incepit et summa diligentia, quamdiu vixit, promovere studuit.

In provincia Tholosana et in aliis Franciae provinciis plures religiosi ordinis nostri ab haereticis interfecti et ob fidem catholicam varias persecu- 35
tiones et tormenta intrepide passi sunt, quorum nomina sunt in libro vitae.

(1) De fr. Ludovico Granaten. cf. SSOP. II, 285, 826; IUSTO CUERVO *Biografía de fr. Luis de Granada*. Madrid 1896.

(2) De fr. Paulino Bernardino cf. SSOP. II, 274 et supra pag. 71.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
 VENETIIS CELEBRATI
 IN CONVENTU SANCTORUM IOANNIS ET PAULI
 IN FESTO SANCTISSIMAE PENTHECOSTES

5 ANNO DOMINI ·M^o·D^o·LXXXII^o· DIE DECIMA SEPTIMA MAII.

Sub reverendissimo patre fr. Hippolyto Maria Beccaria de Monte Regali (1) sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus reverendis patribus diffinitoribus videlicet :

- fr. Ioanne Vincentio Asturicen. (2) magistro procuratore ordinis in Curia
 10 Romana et vicario rev. patris generalis, diffinitore prov. Hispaniae,
 fr. Iacobo de Lugo (3) magistro diffinitore prov. utriusque Lombardiae,
 fr. Santes Nerlio Mantuano magistro diffinitore provinciae Romanae,
 fr. Hieronymo Zancaliono magistro diffinitore provinciae Regni,
 fr. Corrado Holandero magistro diffinitore provinciae Theutoniae,
 15 fr. Antonino Premisliensi (4) magistro diffinitore provinciae Poloniae,
 fr. Ioanne Angelo de Bononia magistro diffinitore provinciae Graeciae,
 fr. Vincentio de Stephanis (5) priore diffinitore provinciae Bohemiae,
 fr. Martino de Lesmos Lusitano (6) magistro diffinitore prov. Provinciae,
 fr. Iacobo de Sibenico (7) magistro diffinitore provinciae Dalmatiae,
 20 fr. Decio de Panormo (8) magistro diffinitore provinciae Trinacriae,
 fr. Thoma Quello magistro diffinitore provinciae Bethicae,
 fr. Ioanne Goudano praedicatori generali diff. prov. Germaniae inferioris,
 fr. Alexandro de Galipoli (9) magistro diffinitore provinciae s. Thomae,
 fr. Petro Pontio de Neocastro (10) magistro diffinitore prov. Calabriae,
 25 fr. Francisco de Vega priore diffinitore s. Ioannis Baptistae del Perù,
 fr. Hieronymo Duboys (11) magistro diffinitore provinciae Occitanac,
 fr. Bonifacio de Imola (12) magistro diffinitore provinciae s. Dominici.

(1) De fr. Hippolyto Maria Beccaria de Montereali cf. supra pag. 267.

(2) De fr. Ioanne Vincentio cf. l. c. pag. 221, 252.

(3) De fr. Iacobo de Lugo cf. l. c. pag. 213, 217.

(4) De fr. Antonino Praemislieu. cf. SSOP. II, 792.

(5) De fr. Vincentio de Stephanis cf. supra pag. 250.

(6) De fr. Martino de Lesmos cf. l. c. pag. 214.

(7) De fr. Iacobo de Sibenico cf. l. c. pag. 190, 214, 221.

(8) De fr. Decio de Panormo cf. l. c. pag. 257, 300.

(9) De fr. Alexandro de Galipoli cf. l. c. pag. 219.

(10) De fr. Petro Pontio de Neocastro cf. l. c. pag. 268.

(11) De fr. Hieronymo Duboys cf. l. c. pag. 302.

(12) De fr. Bonifacio de Imola cf. l. c. pag. 216.

Frater Hippolytus Maria Beccaria de Monte Regali
 sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum
 humilis generalis magister et servus
 universis eiusdem ordinis professoribus salutem
 et reformationis spiritum salutarem.

5

Non aliter moribundo corpori ob vulnus inflictum pius medicus subsidio esse contendit quam aut lenitivo unguento aut certe igne vel ferro, ut si non unius lenitate, saltem alterius asperitate medelam ferat ac opem. Proh dolor in tanto rerum gemebundo spectaculo, nec forte dissimili discrimine, modo versatur religio haec nostra Dominicana, quae dudum sanctorum patrum splendore et praesertim beatissimi fundatoris sui Dominici pietate quasi a vitali spiritu vegetata, quanta modestia probaretur, quanta morum gravitate in spiritu ardoris ac sanctitatis fragrantia polleret, quanta postremo litterarum ac virtutum omnium exuberantia, quibus undique terrarum orbis collustratus effulserit, coelum et terram testes appello.

Hae erant, patres ac fratres dilectissimi, sacrosanctae religionis nostrae gentilitia, hae stemmata praeclara ubique terrarum prodeuntia; sed in hac nostra tempestate, heu miseras calamitates sanguineis lachrimis deplorandas, cum non sine maximo bonorum quorumlibet animi dolore videre nobis vel invitis detur eandem dilectam matrem ac altricem quasi contracto cicatricum livore torpentem languere. Quid aliud restat, nisi ut ad opportuna celeriter remedia pro curando vulnere recurramus? Medelam aptam satis et convenientem ad hunc effectum esse censuere religiosissimi patres nostri antiquas fere iam neglectas quandoque renovare leges, novas quandoque pro temporum necessitate condere, quibus animorum pietas religiosa solitudine sublevaretur excitareturque. In illis siquidem sanctissima illa duo calcaria timoris ac amoris contineri solent, quae torpenti animae, quasi stimulis agitatae promota, meliora charismata faciunt aemulari, ut saltem ab uno cohercitus quis, ab altero agi- tatus et ab ambobus quasi a duabus altricibus alitus coalescat in incrementa virtutum.

Ne itaque ardore animi remisso et oblitteratis virtutum pellectamentis, mediis, ut aiunt, splendoribus mater haec nostra caecutiat ac veluti altera Loth coniux ad amatae atque fumantis patriae excidium contra domini praeceptum retro se vertens in statuam salis convertatur, de antiquis nonnullas ad memoriam ordinationes reducere, quasdam etiam noviter promulgare expedientissimum iudicavere gravissimi a diversis provinciis ad hoc generale capitulum transmissi patres, priscos imitati, quatenus de earundem observantia unusquisque apud se provide delibe-

40

raret, sicque effraenis animus virtutis amore aut certe poenarum timore, veluti duobus calcaribus pressus, ad religiosam et cunctis virtutibus plenam vitam celeri cursu feratur, quatenus peracto demum huiusce mortalis vitae curriculo certatoque legitimo certamine, in reliquo reposita
5 nobis sit corona iustitiae, non gemmis aut auro contexta, sed immortalitatis gloria decorata, quam reddet iustus iudex in perpetuas aeternitates collucentem.

Valete, viscera mea, et Deum pro me assidue orate.

In nomine domini nostri Iesu Christi, beatæ Mariæ semper virginis,
10 nis, beati Dominici patris nostri, omnium sanctorum et sanctarum dei.

Haec sunt acta, quae in eodem capitulo 1592 pro conservanda religione, Deo auctore, proponuntur.

Confirmationes.

1. Confirmamus, id quod in capitulo generali Romae 1583 celebrato
15 inchoatum et in capitulo Romae 1589 pariter confirmatum fuit, nempe quod in hymno passionis, cum pervenerint fratres ad versiculum illum « O crux ave », omnes devote genua flectant; et hoc iam habet vim constitutionis.

2. Confirmamus et, quatenus opus sit, noviter ordinamus, quod
20 nullus possit secularium vel etiam fratrum confessiones audire, nisi prius fuerit a deputatis examinatorebus per vota secreta approbatus; suspendimusque quoslibet non approbatos ut supra ab audientia confessionum, quousque modo quo supra fuerint approbati.

3. Confirmamus ordinationem in capitulo Romae 1583 celebrato de
25 communi totius ordinis consensu factam et in capitulo proxime praeterito confirmatam, quod nullus sub poenis in capitulo de graviore culpa contentis ac etiam sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, cuius absolutio reverendissimo magistro ordinis reservatur, directe vel indirecte divisionem ordinis
30 aut institutionem vicarii generalis Indiarum quovis praetextu procurare audeat vel praesumat.

4. Confirmamus ordinationem illam pluries factam, qua praecipitur omnibus praelatis nostri ordinis sub poena absolutionis ab officiis, ne bona stabilia et fundos, quos vocant, alienare et aliqua pecuniae summa
35 recepta rationes et praetensiones conventuum extinguere, nec officinas et loca conventui necessaria secularibus ulla ratione concedere audeant, etiam praetextu cuiuscunque fraternitatis; et si quid hactenus concessum fuit, autoritate nostra revocamus, irritam praesenti statuto decernentes huiusmodi concessionem.

5. Confirmamus ordinationem alias factam, quod processus fratrum originales aut eorundem copiae a quovis fratre penes se retineri non possint nec a praelatis praelationis expleto officio, sed in archivio communi provinciae reponi debeant sub poenis gravioris culpae, quod et noviter sub formali praecepto omnibus et singulis fratribus mandamus. 5

6. Confirmamus ordinationem alias factam, quod nullus frater aut soror nostri ordinis, cuiuscunque gradus et conditionis existat, uti debeat coclearibus et instrumentis aureis aut argenteis vel etiam ex lapidibus praetiosis sive in mensa sive in cingulis, cappis, cultris, in gladiatorum vaginis sive quomodolibet alias. Qui autem transgressores reperti fuerint, 10 eisdem instrumentis omnino priventur, et illa communitati applicentur, graviter nihilominus ob transgressionem puniantur.

7. Confirmamus ordinationem Romae 1580 factam, quod praelati aut vicarii locorum nullo modo recipi possint in filios conventuum vel locorum, quibus praesunt, quamdiu praelationis officio funguntur, etiam 15 si habuerint omnia vota.

8. Confirmamus, quae saepe saepius de novitiorum educatione in generalibus capitulis sancita fuere, cum ex eorundem optima institutione totius religionis reformatio facile sperari possit, et ob oculos noviter ponimus, quae sequuntur, inviolabiliter observanda videlicet: 20

Primo. Quod nullus ad habitum recipiatur ante quartumdecimum annum expletum et qui in gramaticalibus non sit sufficienter instructus, illis exceptis provinciis, in quibus magistri ordinarie habentur, qui doceant gramaticam receptos, nec tamen ad dialecticam hi promovebuntur, nisi prius gramaticam ipsam didicerint. 25

Secundo. Quod in unaquaque provincia vel congregatione respective erigantur in praecipuis conventibus novitiatus, in quibus ab aliis fratribus semoti ipsi novitii religiose educari possint, contribuentibus etiam reliquis eiusdem provinciae aut congregationis conventibus, quatenus opus sit. 30

Tertio. Quod nonnisi in senario numero, ut in pluribus, in praefati novitiatus alantur vel in quaternario in provinciis desolatis duntaxat, non in aliis.

Quarto. Quod eisdem in magistros praeficiantur patres aetate graves, discreti et morum probitate conspicui, qui praecipue curent eosdem 35 in spiritualibus exercitiis et observantia regulae ac constitutionum instruere, ut, quoad fieri potest, sicut religionis habitum extrinsecus per vestes ferunt, ita intrinsecus per virtutes et suarum legum observantiam eundem indesinenter portent.

Quinto. Quod in anno probationis in studio artium neutiquam occupentur, sed intendant solummodo, ut divinum recitare et ordinare 40

sciant officium, psalterium et d. Pauli epistolas memoriter discant; quae nobis per nostras leges et constitutiones mandantur intelligant, et spirituales libros, specialiter vero vitas sanctorum ordinis nostri saepe perlegant.

5 Sexto. Quod a praefati magistri cura nullatenus ante quadriennium et triennium post professionem eximantur, salva illarum provinciarum laudabili consuetudine, in quibus ad sacerdotium usque sub magistri cura perseverant.

10 Septimo. Quod ipsis post primum annum non dentur lectores, qui non sint religiosorum morum, modesti et graves, qui nihilominus tantummodo cum illis causa eosdem docendi horis statutis, non aliter nec alias tractare debebunt.

Octavo. Quod nullus quovis praetextu se de eisdem intromittere audeat, sed tota illorum cura eorundem magistris relinquatur.

15 9. Confirmamus ordinationes in ultimo capitulo provinciali provinciae Bohemiae factas circa religiosam novitiorum educationem, mandamusque ipsas inviolabiliter observari, sicuti etiam ratam habemus erectionem novitiatuum factam in conventu Pragensi et Olomucensi eiusdem provinciae Bohemiae.

20 10. Confirmamus in eiusdem provinciae Bohemiae provincialem rev. p. fratrem Ludovicum de Normo (1) magistrum ad beneplacitum reverendissimi magistri ordinis.

25 11. Confirmamus in provincialem provinciae Provinciae rev. p. magistrum fratrem Iacobum Tornerium (2), supplentes etiam apostolica auctoritate omnes defectus, si qui forsitan in eius electione intercesserint.

12. Confirmamus in provincialem provinciae Trinacriae rev. p. magistrum fratrem Decium de Panormo pro eadem provincia diffinitorem in hoc generali capitulo.

30 13. Confirmamus ordinationem in immediate praecedenti capitulo factam circa procuratores provinciarum Indiarum declarantes, quod, ubi dicitur: cum quatuor antiquioribus provinciae patribus, addendum est: vel gravioribus. Praeterea quod non pro singulis causis singuli mittantur procuratores, sed unus tantummodo provinciae nomine, qui causas omnes tractare habeat.

35 14. Confirmamus in provincialem provinciae s. Dominici rev. p. magistrum fratrem Hieronymum de Tarvisio (3).

15. Confirmamus ordinationem alias factam et inhibendo praecip-

(1) De fr. Ludovico de Normo cf. supra pag. 273.

(2) De fr. Iacobo Tornerio cf. l. c. pag. 255, 302.

(3) De fr. Hieronymo de Tarvisio cf. l. c. pag. 216.

mus fratribus nostris in partibus Galliarum specialiter, ne in festis ss. Nicolai, Innocentium vel aliorum, in quibus theatrales cerimoniae fieri solent, episcopales aut sacerdotales induant vestes, quod populis scandali potius quam edificationis occasio sit.

16. Confirmamus iisdem de causis ordinationes alias factas de comediis, tragediis et quibuscunque aliis repraesentationibus a fratribus nostri ordinis non faciendis, quarum causa secularium vestes perquirere necesse est, subindeque plurima oriuntur inconvenientia, superioribus mandantes sub poena absolutionis ab eorum officiis respective, ne oppositum fieri permittant.

Declarationes.

Declaramus, magistros omnes et baccalaureos legitime creatos, licet quandoque eorundem graduum privilegiis pro diversarum provinciarum consuetudinibus non potiantur, magistros tamen et baccalaureos vocari posse et debere.

2. Declaramus, quod assignati infra mensem in aliquo conventu, in quo facienda est electio prioris, voce carere intelliguntur, quousque electio confirmationis effectum sortita fuerit, et confirmatus acceptaverit.

3. Declaramus, quod nullus frater, salvo paupertatis voto, potest quaecunque bona sibi ad usum concessa penes quascunque personas extra religionem existentes sub quovis praetextu asservare, suis insciis superioribus, a quibus facultatem auferimus huiusmodi licentias concedendi, quae, ut plurimum, cedunt in perniciem animarum subditorum et evidens religionis damnum. Hactenus nihilominus concessas per praesentes revocamus et annullamus.

4. Declaramus, priorem non posse sine patrum consilio novitios non professos ad saeculum remittere.

5. Declaramus, quod numerus praedicatorum generalium in nulla provincia potest excedere numerum prioratum eiusdem provinciae, sique aliqui modo reperiuntur praedicatores generales instituti ultra praefatum numerum, decernimus ipsos non esse praedicatores generales neque gratiis aut privilegiis quoquomodo eisdem praedicatoribus concessis uti posse. Concedimus quidem ipsis, quod aliorum decedentium locum successive occupare possint secundum ordinem suae institutionis, dummodo tamen conditiones a constitutionibus nostris in praedicatoribus generalibus requisitas habeant; irritum et nullum declarantes, si quid in contrarium fieri contigerit vel attentari, super quo conscientias rev. pp. provincialium oneramus.

6. Declaramus circa ordinationes in capitulo generali proxime praeterito Romae celebrato 1589 factas apostolicaque autoritate confirmatas etc. eadem apostolica autoritate intercedente ad varios scrupulos ambiguitatesque tollendas :

Primo. Ablatam fuisse obligationem a regentibus et baccalaureis studiorum legendi collectim totam d. Thomae summam quadriennio. Hortamur vero ipsos sicuti et reliquos lectores, ut omnem adhibeant diligentiam in legendo temporibus opportunis sub poena privationis officiorum, tractentque difficiliore et magis necessarias materias, minus necessariis reiectis, quo vel sic discipuli proficere possint.

Secundo. Ubi dicitur in ordinatione recipiendorum ad habitum: et latinam calleant linguam, declaramus per haec verba hoc tantum intelligi, quod videlicet in gramaticalibus sint sufficienter instructi, et hoc specialiter observetur in provinciis Hispaniarum et Italiae, in reliquis vero current praelati sufficientiores recipere, prout illarum deploranda calamitas patietur.

Tertio. A secunda ordinatione, in qua agitur de sufficientia eorum, qui mittuntur ad ordines sacros suscipiendos, declaramus ablatam esse excommunicationem; aggravamus nihilominus praelatorum conscientias, ut nonnisi sufficientes tam in moribus quam in litteris ad eosdem sacros ordines suscipiendos mittant.

Quarto. A reliquis ordinationibus, reformationem studiorum concernentibus, declaramus ablata fuisse simplicia praecepta; mandamus nihilominus graviter et indispensabiliter contrafacientes ipsis ordinationibus etiam per privationem officiorum puniri respective.

7. Declaramus in quinta declaratione praecedentis capituli Romae celebrati 1589 facta, ubi dicitur: nisi de assignatione ipsa praelato etc. revera ante mensem constiterit, immediate subsequi debere haec verba: excipitur casus mortis ipsius prioris, quando iam nulla fraus praesumi potest.

8. Declaramus, conventus omnes ex provincia Regni reformatos ad eandem provinciam Regni pertinere eiusdemque provinciali subditos esse, ab ipso proinde, qui totam provinciam ex officio personaliter visitare tenetur, posse visitari, cui et debitam contributionem, quam solvere soliti erant, persolvere tenebuntur; admonentes tamen rev. pp. provinciales pro tempore praedictorum conventuum visitationem ad edificationem, non ad destructionem ipsis concedi; volumus enim tam pium opus totis viribus promoveri et patres reformatos omni cum charitate tractari ita, ut eorum defectus corrigantur quidem ad emendationem, neutiquam vero divulgentur vel amplientur quasi ad eorum confusionem; aliter curabit reverendissimus generalis bene sibi visum adhibere remedium. Porro antedictos fratres ab uno conventu amotos nonnisi ad alium de reformatis per assignationem transmitti posse decernimus.

9. Declaramus pariter, quod fratres omnes, qui in locis, quae vulgo grangiae dicuntur, in vel circiter Neapolitanam civitatem commorantur,

rev. p. provinciali Regni quoad morum correctionem subditi censeantur, sine cuius licentia in praefatis grangiis morari neququam poterunt.

10. Declaramus ad tollendas omnes dubietates, quod festum s. Antonii de Padua confessoris est celebrandum sub festo trium lectionum tantummodo, sicuti et festum ss. Placidi et sociorum martirum, non ob- 5
stante quod in capitulo generali proxime praeterito ex errore denuntiatum fuerit, quod primum celebrandum erat sub festo duplici et alterum sub festo simplici.

11. Declaramus, neminem in almo nostro conventu s. Dominici de Bononia provinciae utriusque Lombardiae, cui et id expedire visum fuit, 10
in posterum praeter solos studentes formales tam eiusdem quam aliarum provinciarum studii causa pro assignato habendum esse, sed posse rev. provincialem pro libito eos omnes in aliis provinciae conventibus assignare, absque eo quod gravamen aliquod in hoc sibi fieri praetendere possint, sicuti etiam de novitiis, iuvenibus et studentibus aliorum con- 15
ventuum fieri solet. Studentium porro formalium praefatae provinciae vacantia loca pro tempore obtinebunt, qui ab eodem rev. provinciali non ex solo praedicto conventu, verum etiam ex tota provincia digniores in litteris et moribus reperti in visitatione fuerint.

12. Declaramus, quod quando celebratur capitulum generale diffi- 20
nitorum tantum, ipsi diffinitores locum habere debent super omnes provinciales, qui praesentes in capitulo reperiuntur.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus reverendissimum magistrum ordinis instituisse procuratorem in curia Romana et suum vicarium generalem admodum rev. 25
patrem magistrum fratrem Ioannem Vincentium Asturicensem provinciae Hispaniae.

Et provincialem Terrae sanctae admodum rev. patrem magistrum fratrem Paulum Castrucium de Monte Regali provinciae utriusque Lom- 30
bardiae.

Pariterque sibi in socium accepisse rev. patrem baccalaureum fra- 35
trem Iacobum de Ceriana eiusdem provinciae.

2. Denuntiamus, emanasse bullam a sanctissimo domino nostro fel. record. Gregorio XIII. datam Romae idibus martii 1590, in qua mode- 40
ramen posuit constitutioni Sixti papae quinti contra illegitimos editae et eam reducit ad terminos iuris omnesque dispensationes et habilitationes vigore privilegiorum aut indultorum apostolicorum cuivis ordini, religioni, monasterio aut congregationi eorumve superioribus in genere vel in specie, ut praefertur, concessorum, quae tempore constitutionum eiusdem Sixti 45
quinti usu recepta et non sub ullis aliis revocationibus comprehensa erant, per quoscunque eorum superiores factas, in pristinum statum et validi-

tatem, in quibus ante ipsas Sixti quinti constitutiones existebant, restituit et reintegravit. Vultque iisdem constitutionibus non obstantibus, quod qui quovis modo illegitime procreati fuerint, ad habitum et professionem regulares admitti possint, quemadmodum admitti poterant, si supradictae constitutiones editae non fuissent, ita tamen ut cum de recipiendis quomodocunque illegitime natis ad habitum et professionem agetur, hi, ad quos huiusmodi receptio spectat, praeter alia, de quibus ex dictarum Sixti quinti constitutionum praecepto circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam et mores inquirent, et ita demum recipiant, si tamen bonam indolem et virtutis specimen praeferant, ac tot eis merita suffragentur, ut natalium suppleant defectum, eorumque receptio religionis commodo et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ii, ad quos, ut dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita ita censuerint et iudicaverint, dummodo tamen filius illegitimus in religione, in qua pater sive ante sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente, non admittatur, quod expresse prohibuit. Vult quoque ac statuit licere generali aut provinciali singulorum ordinum aut congregationum, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem privilegiorum et indultorum apostolicorum eis concessorum, quae dummodo usu recepta nec alias sub ullis revocationibus comprehensa sint, ut praefertur, in hac parte revalidavit, cum illegitimis, quos alias dictus generalis aut provincialis cum generali, provinciali seu intermedio capitulo et non alias suffragantibus meritis dignos iudicaverint ad honores, gradus et dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas et inde sequuta quaecunque, ut antea valere et tenere perinde, ac si supradictae Sixti quinti constitutiones non emanassent, irritum et inane decernens, quicquid secus super his a quocumque quavis authoritate, scienter aut ignoranter contigerit attentari. Idcirco omnes provinciarum et conventuum praesidentes curent diligenter ea, quae in ipsa bulla continentur, provide considerare, ne quicquam a se vel a suis subditis incaute praetereatur, sed omnino singula executioni mandentur.

3. Denuntiamus, eundem sanctissimum d. n. fel. rec. Gregorium XIII. statuisse, quod omnes ecclesiastici tam saeculares quam regulares teneantur festum ss. martirum Ianuarii episcopi et sociorum eius sub festo semiduplici, quod apud nos simplex dicitur, die 19 septembris in posterum celebrare.

4. Denuntiamus, quod sicut fel. rec. Sixtus papa quintus indulgentiam plenariam concessit visitantibus ecclesias nostras in festis ss. Domini patris nostri, Petri Martyris et Catherinae de Senis, modo in proxime praeterito capitulo sub titulo denuntiationum expresso, ita sanctissimus

d. n. Clemens octavus pro sua benignitate et ad instantiam humilemque petitionem adm. rev. p. magistri fr. Alexandri Francisci (1), praedicatoris eximii, eiusdem sanctissimi d. n. commensalis necnon procuratoris et vicarii generalis in Romana curia in absentia adm. rev. p. mag. fr. Ioannis Vincentii Asturicensis procuratoris ordinarii, omnibus et singulis utrius-
 5 que sexus personis, vere poenitentibus et confessis ac sanctissima Eucharistia reffectis, qui diebus festis ss. Antonini archiepiscopi Florentini, Thomae Aquinatis et Vincentii confessoris ordinis nostri monasteria, ecclesias et alia loca quaecumque eiusdem nostri ordinis iam erecta, in quacum-
 10 que mundi parte consistentia, a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet diei festivitatum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia et haeresum extirpatione, dictique ordinis augmento aut alias, prout unicuique suggeret devotio, pias ad deum preces effuderint, quo die praedictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer
 15 concessit, ut patet per breve datum Romae die 20 maii 1592, pontificatus sui anno primo.

5. Denuntiamus, sanctissimum d. n. Clementum octavum motu proprio confirmasse, declarasse ac extendisse prohibitionem factam a Gregorio papa XIII. fel. rec. de gratiis non concedendis subditis a prelati-
 20 religionis penisve remittendis ad instantiam quarumcumque personarum extra ordinem nostrum constitutarum etc., nec non et decretum capituli generalis proxime praeteriti ad idem faciens, ut patet per breve apostolicum tenoris subsequenter:

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Religiosos viros sicut honorum gradus, cum ad eos assumuntur, obedientes suscipere susceptosque humiliter administrare oportet, sic ad eos mendicatis saecularium praesertim personarum studiis aditum sibi patefacere minime convenit. Cum itaque fel. rec. Gregorius papa XIII. prae-
 30 decessor noster per suas in forma brevis literas die primo iunii 1580 (2) pontificatus sui anno nono datas magistro generali ac provincialibus et reliquis ordinis fratrum praedicatorum praelatis tunc et pro tempore existentibus in virtute sanctae obedientiae mandaverit, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesia-
 35 sticarum extra supradictum ordinem constitutarum, etiam cardinalatus

(1) De fr. Alexandro Francisco cf. supra pag. 189.

(2) Cf. supra pag. 235.

honore ac quacunq̄ue saeculari dignitate et excellentia, etiam ducali, regali et imperiali fulgentium cuiusvis dicti ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere auderent, quinimo quoscunq̄ue dicti ordinis fratres et religiosos, qui contra decreta suarum constitutionum hac via et iis mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia ac etiam maiora in eodem ordine consequenda perpetuo inhabiles etiam declaravit, prout latius in eisdem literis continetur. Cumque, ut accepimus, a nonnullis ambigatur, an sub gratiarum vocabulo gradus, honores, dignitates, officia et munia ordinis praefati comprehendantur, nos ordinis praedicti quieti ac religiosorum illius saluti opportunius consulere aliasque in praemissis providere volentes ac litterarum praefatarum necnon decreti capituli generalis eiusdem ordinis in executionem earundem litterarum facti, quod incipit: « Quamobrem singulos nostri ordinis praelatos admonemus » (1), veriores ac totos tenores praesentibus pro expressis ac ad verbum insertis habentes motu proprio ex certaque nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine litteras ac decretum huiusmodi ac in eis contenta quaecunq̄ue apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti et alios defectus, si qui in eis intervenerint, supplemus. Et nihilominus praefatam Gregorii de gratiis, ut praefertur, per mendicatos favores minime concedendis prohibitionem ad quoscunq̄ue gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, praelaturas eiusdem ordinis perpetuo extendimus et extendi debere decernimus. Et propterea dilectis magistro generali, provincialibus et aliis praelatis ac superioribus eiusdem ordinis, ne posthac aliquod praemissorum cuiquam ad instantiam seu requisitionem vel contemplationem personarum superius expressarum quarumcunq̄ue quovis modo concedere, religiosis vero ac fratribus eiusdem ordinis quibuscunq̄ue non solum in praemissis omnibus saecularium favorem minime procurare, sed nec etiam sponte oblatum aut ab eis minime procuratum recipere, et similiter, ne ad hunc effectum munera aliqua saecularibus impendere vel exhibere audeant vel praesumant auctoritate apostolica tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae ac sub eisdem poenis in dictis Gregorii literis contentis praecipimus et expresse interdicimus et prohibemus; eisdem auctoritate et tenore statuentes, quod omnes et singuli in praemissis delinquentes nulla alia monitione praecedente et absque processu desuper habendo sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrant, quodque ad illos sententias et poenas huiusmodi damna-

(1) Cf. supra pag. 288 l. 33 sqq.

biliter incurrisse legitime probandum et omnino convincendum solae praemissarum personarum instantiae, favores et preces etiam oretenus porrectae plenam, indubiam et sufficientem in iudicio et extra fidem faciant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, sicque ab omnibus eiusdem ordinis superioribus, praelatis et personis ac aliis iudicibus ordinariis et delegatis, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ubique iudicari et diffiniri ac interpretari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, perpetuo decernimus et statuimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictique ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ac omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in praefatis literis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentes literae in quibuscunque capitulis tam generalibus quam provincialibus et conventualibus, ut ad singulorum notitiam facilius deveniant, publicentur et inter statuta et ordinationes ipsius ordinis perpetuo observandae describantur, earumque exemplis etiam impressis manu secretarii et sigillo magistri generalis, vel manu alicuius notarii publici et sigillo alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem, quae praesentibus fides ubique adhiberi debeat.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia maii millesimo quingentesimo nonagesimo secundo pontificatus nostri anno primo.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

6. Denuntiamus negotium canonizationis b. Iacinti saepius a capitulis generalibus reverendissimo magistro ordinis et admodum reverendo p. procuratori pro tempore commissum iam ferme cum Dei auxilio ad finem deductum esse, ita ut nil aliud quasi supersit, quam quod summus pontifex pro sua benignitate ultimam manum ei apponat, cuius rei gratia ad Deum devotas preces fundere omnes tenemur, quatenus optatum quam citius sortiatur effectum.

7. Denuntiamus in hoc capitulo dignis de causis et matura habita deliberatione divisam fuisse provinciam s. Iacobi de Mexico in duas secundum limites et terminos a reverendissimo magistro ordinis statuendos ac praefiniendos, quarum altera proprium retinebit nomen, altera vero vocabitur provincia s. Hippolyti martiris de Guaxaca, datumque fuisse in primum provincialem eiusdem provinciae s. Hippolyti martiris de Guaxaca rev. patrem magistrum fratrem Franciscum Ximenez (1) pro-

(1) De fr. Francisco Ximenez cf. supra pag. 302.

vinciae Hispaniae, suffragante etiam apostolica auctoritate, quatenus opus fuerit.

8. Denuntiamus incorporatum fuisse provinciae sancti Dominici vicariatam abbatiae Rosalii et curae rev. provincialis eiusdem provinciae subiectum.

Ordinationes.

1. Ordinamus in primis, ut omni cum vigilantia et cura attendant praelati, quod statutis horis diurnis pariterque nocturnis divinae laudes debita cum attentione, reverentia ac devotione a fratribus omnibus persolvantur. Ecclesiae et quaelibet ad divinum cultum facientia decenter aptentur et mundentur, ita denique accomodentur, ut nil sit, quod domum domini dedecet vel advenientium oculos quomodolibet offendere possit. Ordinis caeremoniae tam ad altare quam in choro uniformiter ab omnibus observentur, ut cordium unitas in exterioribus etiam actibus ostendatur. Et tandem ea omnia executioni mandentur, quae in diversis capitulis tam generalibus quam provincialibus circa divinum cultum pie sancteque ordinata fuere.

Altaris consecrati mensa decenter strata, ornata et munda sit, tribusque mappis lineis et mundis cooperta; quae etiam habeat coopertorium coriaceum vel ex grossiori et colorata tela, quod a pulvere et ab aliis immunditiis ipsas mappas praeservet, neque sub ipsa mensa quicquam omnino reponatur.

Altaria portatilia ex perpolito lapide integra aut non pro maiori parte fracta longitudinis unius palmi cum dimidio et latitudinis unius palmi ad minus omnino erunt, non computato ornamento ligneo, crassitudinis unciarum circiter duarum, quo circumquaque et subtus ligari firmiter debent; quae quidem mensae altaris apte inserantur atque ita, ut inter utrumque mensae cornu in medio collocata ab ipsius fronte non longius distent spacio dimidii palmi; sic vero illa inserta sint, ut e mensae superficie vix paululum aliquid extet, quo sacerdotis celebrantis tactu dignosci possint.

Corporalia e tela linea, pura et candida sint ac simplicia, item nihilque elaborata et nihil sericum intextum habeant; ab oris autem acus opere simplici punctim solum retorta sint; eadem non notabiliter parva aut magna erunt, sed convenientis mensurae, ita ut latitudo sit duorum palmorum, longitudo vero duorum cum dimidio ad minus; nunquam tamen tam magna, ut quatuor plicas in longum et tres in latum excedant. In bursis, quod dicitur, illa super calicem ad altare deferantur, quae crucem vel aliam sacram imaginem ex una parte intextam habebunt, ex altera vero, quae ex eadem materia et colore erunt, verba consecrationis in cartula impressa esse debebunt, intrinsecus demum subserico aut tela tenui candida circumvestite.

Ampullae non ex argento, stamno, auricalco aliove metalli genere, sed e christallo aut vitro pellucido, non pictae et denique ab omni parte sordibus purae et suo quaeque operculo stanneo argenteove apte contentae sint.

A lateribus ecclesiae extra capellae maioris ambitum loco aperto 5
 patentique confessionalia secundum formam a visitatoribus apostolicis
 prescriptam constituentur, et nemo confessorum audeat sub poena sus-
 pensionis ab audientia confessionum mulierum confessiones nisi ad fe-
 nestellam crate ferrea vel lignea aut alterius materiei munitam et cum
 cappa semper audire. 10

In qualibet sacristia in loco patenti adsint decentes tabulae tres, in
 quarum prima affixae sint litterae processus in Coena Domini, prout quot-
 annis a sanctissimo domino nostro promulgatae erunt. In altera tabula
 casuum, quorum absolutionem sibi episcopus reservaverit, quique alio
 quovis iure vel eidem vel summo Romano pontifici reservati sunt. Tertia 15
 vero anniversaria, ad quae quilibet conventus tenetur, descripta continebit.
 Quarta proinde in secretiori sacristiae loco asservabitur, in qua missae
 omnes quotidie sive per aliquot ebdomadae dies vel simpliciter vel ad par-
 ticularia ecclesiae altaria persolvendae descriptae continebuntur, quatenus
 cum ab aliis tum specialiter a sacrista et praelatis pro tempore conventus 20
 onera circa missarum celebrationem sciantur et eisdem satisfieri ipsimet
 procurent. Porro conventuum praesidentibus sub formali praecepto man-
 damus, ut infra quindecim dierum spatium ab harum notitia teneantur
 praefatam quartam tabulam fieri fecisse et in loco ut supra reposuisse.

2. Ordinamus et inviolabiliter observari volumus, quod alias saepe 25
 ordinatum fuit, et in declarationibus nostrarum constitutionum distin-
 ctione prima cap. primo continetur, quod videlicet omnes fratres, cuius-
 cunque gradus et conditionis sint, teneantur ad sequelam chori die no-
 ctuque et ad caetera communia fratrum officia ac gravamina necnon et
 ad hebdomadariam respective, magistris in theologia, lectoribus ac prae- 30
 dicatoribus actu legentibus aut praedicantibus dumtaxat exceptis, circa
 quos legitimae provinciarum consuetudines observentur. Reliqui vero tam
 lectores quam praedicatores nullis prorsus gaudeant privilegiis et exem-
 ptionibus, nec eisdem gaudere illos permittant praelati sub poena abso-
 lutionis a suis officiis et privationis vocis activae et passivae. 35

3. Ordinamus, ut sextae feriae ieiunium, quod tanti fit in consti-
 tutionibus nostris, inviolabiliter ubique servetur et abusus omnes circa
 ipsum introducti superiorum zelo et cura omnino tollantur.

4. Ordinamus et inviolabiliter observari volumus, quod saepe alias
 statutum fuit, videlicet quod rr. provinciales et priores sub poena abso- 40
 lutionis a suis officiis curent in nostris ecclesiis verbum Dei a praedica-

toribus de mane diebus festivis populo indesinenter annuntiarī, et post vesp̄as lectionem s. scripturae ab aliquo p. lectore vel praedicatorē idoneo haberi, quatenus Dei honor et animarum salus procurētur, simulque fratres in rebus ipsorum statui convenientibus occupentur.

5 5. Ordinamus ad obedientiam in subditis erga praelatos et superiores tuendam denuove, quatenus opus est, complantandam, ut immediati praelati gravissimis etiam adhibitis poenis fratres suos obedire cogant in iis, ad quae tenentur, poenasque ipsis contumacibus infligant, nec eisdem eas remittere possint, sed reverendissimo p. generali vel admodum rr. pp. provin-
10 vicialibus respective reserventur.

6. Ordinamus, quod illi tantum cacteris fratribus praeficiantur, qui prudentes tantummodo et discreti, utpote qui omnibus omnia fieri norint, iudicabuntur, ut vel sic de ipsis subditi conqueri legitime non possint, quin potius eorundem exemplo ducti regulam ac alias leges proprias observare contendant; sic quippe fiet, ut a bove maiori discat arare
15 minor. Porro superiores iuxta d. patris Augustini sententiam non se existimabunt potestate dominante, sed charitate serviente felices, magisque a suis subditis amari appetant, quam timeri, cogitantes Deo se pro illis reddituros esse rationem.

20 7. Ordinamus, ut omnes fratres, cuiuscunque gradus et conditionis sint, in communi dormitorio, non in separatis ediculis vel cameris habitent, unica tantum paupere cella contenti, praelato et graviori aliquo patre exceptis, quibus duae ad summum concedi poterunt, si hactenus
25 tot habuere, absque eo quod noviter accomodentur maxime cum aliorum incomoditate. Ab his vero superfluitates omnes, ornamenta vana, praetiosa quaeque et omnia tandem, quae religiosam paupertatem non sapiunt, omnino auferantur; super quo superiores omnes specialiter invigilabunt. Proinde revocamus omnes et quascunque licentias, quibus
30 alicui conceditur, quod possit succedere in alterius cella vel quod ab inferioribus praelatis ab ea, quam inhabitat, removeri non possit. Valebuntque superiores ipsi etiam immediati, dum expediens illis videbitur, pro vitio proprietatis a cordibus subditorum eradicando eosmet ab una cella ad aliam transferre et mutare.

8. Ordinamus ac sub poena privationis omnium graduum, dignitatum sive officiorum, vocis activae et passivae aut carceris per semestre
35 respective praecipimus, ne aliquis audeat ad monasteria monialium accedere nec cum iisdem loqui litterasque et munuscula ad illas dare vel ab illis recipere; excipientes ab hac lege superiores, visitatores et confessores in his duntaxat, sine quibus officium suum aliter exercere non
40 possunt. Qui vero pro sacro faciendō concioneve habenda ad praefata monasteria mittentur, a reliquis praetactis omnimode caveant, in com-

minatas poenas aliter incursum. Admonentes admodum rr. pp. provinciales, ut non nisi personas aetate graves, maturas ac discretas religiosisque moribus ornatas in monialium confessores praeficiant, ut earum saluti spirituali et profectui in via Dei consulere possint.

9. Cum religiosi quilibet, memores voti paupertatis emissi, nil prorsus habere debeant, quod indivisum cum reliquis non sit et in commune redactum, superioris arbitrio pro cuiusque necessitate distribui et dispensari non possit, ad pessimum proprietatis vitium, quantum cum domino possumus, a fratrum nostrorum cordibus eradicandum districte mandamus omnibus et singulis nostri ordinis fratribus, cuiuscunque gradus et conditionis sint, conformiter ad ea, quae saepe saepius sancita fuere, quatenus debeant fideliter et quantocius sub poena proprietariis debita superioribus suis semper praesentare quamcumque pecuniarum summam ad eorum manus undecunque venientem sive praetextu praedicationum, lectionum, confessionum sive missarum, sive quolibet alio etiam propriae personae intuitu a consanguineis vel quibuslibet aliis. Quod et de qualibet alia re faciendum esse mandat d. p. Augustinus in regula, ne furti iudicio quis condemnetur. Eorundem proinde superiorum officium erit, ne dissipatores potius quam dispensatores fideles inveniantur, ita de praefatis bonis pro uniuscuiusque sibi subditi necessitate ministrare, ut alius non egeat, dum alius abundat.

Deposita particularium fratrum nullo pacto permittantur; ubi vero actenus rationabilibus ex causis tollerata fuere, in posterum neutiquam a praelatis concedantur nisi in moderata pecuniarum quantitate ad determinatum tempus vel usum a praelato toties statuendum, quoties subditus eidem aliquid praesentabit quomodolibet a se habitum vel acquisitum, cuius aliqualem portionem eidem pro sua discretione proque eisdem subditi religiosa necessitate applicare decreverit; quod, ut inviolabiliter servare faciant praelati, ipsis sub formali praecepto et poenis proprietariis debitis mandamus.

Superiores quoque, qui subditis suis bonorum operum exemplum se ipsos praebere debent, curabunt voluntariam hanc amplecti paupertatem, vanitates omnes et superfluitates, quas in aliis approbare non possunt, in vestibis videlicet, in comitatu, in itineribus, in cubiculorum ornamentis, in victu tandem a se relegando, quatenus sic breviori via suae curae commissos ad religiosam perfectionem conducere possint. Ipsique ex communibus bonis vel elemosinis provinciarum aut religionis respective providendum erit, ita ut honestam suoque gradui convenientem, non excessivam, familiam alere et sustentare, religiose dumtaxat, possint, hac tamen lege, ut dati et recepti rationem in capitulis generalibus et provincialibus generalis et provinciales respective reddere te-

neantur; nec quiddam quovis praetextu a quolibet suo subdito, quod alicuius valoris vel momenti sit, specialiter pro gradibus, vel officiis distribuendis prove concedendis gratiis aut ministranda iustitia tam ipsi quam eorum socii recipere possint. Et quod attinet ad officium nostrum, qui totius ordinis nomine congregati sumus, quatenus praefata a reverendissimis generalibus et admodum rr. procuratoribus pro tempore observari possint, attendentes contributiones hactenus in diversis capitulis taxatas eisdem respective a tota religione pro necessariis eorum expensis solvendas neutiquam sufficere, praeter quod bona earum pars inexigibilis fere est ob multarum provinciarum desolationem, decrevimus, omnibus mature pensatis, praefatam taxam contributionum modo quo infra augere, ut videlicet solvat quotannis

	Reverendissimo patri generali:	Admod. rev. p. procuratori ordinis:
	Provincia Hispaniae scuta aurea 56	13
15	Provincia Lombardiae 56	13
	Provincia Romana 20 et lib. 12.	6
	Provincia Regni 32	10
	Provincia Theutoniae 12	6
	Provincia Poloniae 16	4
20	Provincia Graeciae 8	2
	Provincia Aragoniae 34	8
	Provincia Trinacriae 40	8
	Provincia Portugaliae 24	6
	Provincia Betticae 50	12
25	Provincia s. Thomae 30	7
	Provincia Calabriae 30	7
	Provincia Tolosana 18	4
	Provincia Franciae 20	4
	Provincia s. Crucis 13	4
30	Provincia s. Iacobi de Mexico 25	6
	Provincia s. Ioannis Baptistae del Perù 60	12
	Provincia s. Vincentii de Chiappa 25	6
	Provincia s. Antonini de novo Regno 25	6
35	Provincia s. Dominici 19	5
	Provincia s. Catherinae martiris del Quito 16	4
	Provincia s. Laurentii de Chile 10	4
40	Provincia Ungariae 6	2
	Provincia Provinciae 20	4

Reverendissimo patri generali:		Admod. rev. p. procuratori ordinis:
Provincia Bohemiae	6	2
Provincia Dalmatiae	6	4
Provincia Germaniae inferioris	18	4
Provincia Occitana	16	4 5
Provincia sanctissimi Rosarii	2	1
Provincia s. Hippoliti martiris de Guaxaca	25	6
Congregatio Gallicana	32	8
Congregatio Ragusina	6	2 10
Congregatio Indiarum oriental.	10	4
Congregatio Aprutina	6	2
Congregatio German. superioris	8	2
Vicaria s. Petri Martiris	13	4
Vicaria Romana	4	2 15

Conventus s. Crucis et omnium sanctorum de Bosco provinciae utriusque Lombardiae ex speciali commissione illm̄i. et r̄mi. dd. cardinalis Alexandrini protectoris ordinis nostri solvet quotannis rev. generali scuta aurea 100.

Conventus vero s. Petri Martiris de Neapoli aliique conventus, provinciae, vicariae et congregationes respective iuxta alias decreta solvere teneantur. 20

Quod si contigerit, praefatas contributiones rationabilibus ex causis exigi non posse, vel expensas aliquas necessario a reverendissimis generalibus vel admodum rr. procuratoribus ordinis pro religionis servitio aut beneficio fieri, religio ipsa supplere tenebitur, quando eidem in capitulo generali de praefatis constabit. 25

Et quia litterarum expensae in immensum propemodum excrescunt, ut supplere non sit possibile, mandamus provinciis omnibus et singulis, quatenus admodum rev. procuratori ordinis in curia Romana expensas, 30 quas pro litteris per cursores missis persolvere facient vel easdem francas, ut vocant, transmitters teneantur. Idem curabunt rr. diffinitores cum praecipuis provinciae patribus in qualibet provincia circa contributiones rev. p. provinciali debitas agere, quod nos egimus circa eas, quae reverendissimo p. generali et admodum rev. procuratori ordinis debentur. 35

10. Ordinamus, quod fratres nostri bini semper per civitates et cum toto habitu religionis incedant; quod et facere debebunt, quando de una civitate vel loco ad alium eos transire contingeret, specialiter quando non ex obedientia pro religionis servitio, sed recreationis aut cuiuscunque particularis negotii causa tale iter assument. Nolumus enim tunc a superioribus eisdem licentiam concedi posse, nisi socium pro itinere illis pa- 40

riter consignare valeant et consignent, cum quo et redire ad conventum tenebuntur sub poena sedendi ter in terra in pane et aqua.

Pedestres proinde ibunt omnes, conversi maxime; quod si necessitas equitandi aderit alicui, licentiam in scriptis a suo superiore obtinebit, quam et ostendere possit requisitus. Ocreas nihilominus et penulam, quod vulgo dicitur feltrum, nemo deferet, praesertim conversi, sed religiose incedent omnes, ita ut habitus patenter feratur et pro religiosis vel ex ipso dignosci possint. Contrafacientes autem praeter amissionem dictorum mobilium poena privationis vocis activae vel scapularis per biennium vel
10 sedendi ter in terra in pane et aqua respective puniantur.

11. Ordinamus et districte praecipimus, ut in unaquaque provincia, congregatione sive vicaria ordinis nostri teneantur illarum praesidentes respective de graviorum earundem patrum consilio infra unius mensis terminum ab harum publicatione deputasse unum vel plures conventus, in
15 quo aut quibus per designandos idoneos patres instruantur iuniores, specialiter ad id munus apti, in officio concionandi, quatenus tempore debito fructuose ad Dei gloriam et animarum salutem praedicantes praedicatorum nomen non immerito sibi vindicare videantur. Nolumus proinde aliquem in posterum praedicatoris titulo insigniri, nisi cursum artium
20 perfecerit, sacram theologiam per triennium audierit, casibus conscientiae operam dederit et in modo concionandi in aliquo conventu ad id deputato examinatorum iudicio per vota secreta in generali studio ferendo non parum profecerit, sitque religiosorum morum, ut virum decet evangelicum.

25 12. Ordinamus et totis cordis visceribus rr. priores conventuum nostri ordinis in Domino rogamus, ut omnem adhibeant diligentiam, quatenus sacrosanctae societates s. nominis Dei et rosarii gloriosissimae Virginis ubique in nostris ecclesiis erigantur et fundentur, et sollicite procurent, ut magna in veneratione tam a fratribus quam a populis habeantur; quod facile fiet, si curabunt, ut praedicatores saepius, sicuti
30 tenentur, earundem dignitatem et utilitatem in concionibus declarare non desistant. Quodque altaria in harum societatum honorem erecta vel dedicata decenter et reverenter pro cuiusque loci possibilitate aptentur et conserventur, sique ipsimet priores, prout eisdem ex officio incumbit,
35 per seipsos quoad fieri poterit vel per alios graves et religiosos patres intererunt congregationibus confratrum ipsarum societatum, quae semel in mense ad minus fieri solent et debent, eosdem hortaturi ad perseverantiam et ad proficiendum in debito Deo honore ac b. Virginis reverentia exhibendis, pariterque visuri et audituri, quod ab eisdem tractetur,
40 votumque suum daturi, utpote sine quorum consensu nomine religionis inibi existentium nil prorsus fieri deberet; quo fieret etiam ut a s. patris

nostri hereditate non excluderemur, quod forsitan hactenus non paucis in locis nostram ob negligentiam et segnitiam non modo tentavere quidam, sed et obtinere, et ad tollenda evitandaque multa incommoda, quae in dies oriri cognovimus, circa earundem societatum institutionem.

Ordinamus, quod de cetero nemini liceat praetextu cuiusvis facultatis aut licentiae sub quibusvis tenoribus hactenus a reverendissimo magistro ordinis vel eius vicario obtentae fundare, erigere sive instituere societates s. Rosarii et s. nominis Dei; eas enim omnes praesenti statuto revocamus, annullamus et irritas facimus, sed quando contigerit in aliquo loco esse fundandas huiusmodi societates, infrascripta erunt omnino servanda. 10

Nunquam enim erigentur dictae societates nisi ad instantiam et petitionem universitatis vel communitatis loci, consentiente etiam plebano aut eiusdem loci ecclesiastico superiore ad hoc, ut pacificus sit ingressus. Quae quidem petitio priori conventus, in cuius dioecesi vel districtu erunt erigendae, facienda erit per autenticum memoriale a praefatis universitate et parcho subscriptum. Qui prius diligenter se informabit, an dictus locus distet per spatium duorum circiter milliarium ab alio habente dictas societates legitime iam erectas. Quo stante et non aliter deputabit reverendissimi magistri ordinis nomine de patrum consilio unum sacerdotem idoneum ex assignatis vel vicinioris conventus de eiusdem prioris consensu; qui pro illa vice tantum habebit, sicut per praesentes illi damus et concedimus auctoritatem et facultatem fundandi et erigendi dictas societates, media praedicatione. Huic vero fient litterae patentes in forma inferioris descripta, quas praefatus sacerdos in manu publici notarii de dictarum societatum erectione fidem facientis in instrumento reponendas relinquet. 15 20 25

Forma autem litterarum haec erit:

Nos fr. N. de N. prior conventus s. n. ordinis praedicatorum dilecto filio ven. p. fr. N. de N. eiusdem ordinis in Domino salutem. Requisiti instanter fuimus, ut societatem s. Rosarii, vel s. nominis Dei, in ecclesia s. N. terrae vel loci N., dioecesis N. erigere, plantare et instituere vellemus. Nos autem eorum supplicationibus nobis porrectis inclinati et informati, quod dicta terra vel locus N. distat per duo milliaria circiter ab alia habente dictam societatem vel societates iam legitime erectam vel erectas, devotionem ipsorum commendantes, tibi v. p. fr. N. praefato, his nostris nomine reverendissimi magistri ordinis nostri committimus, ut eiusdem auctoritatem tibi hac vice tantum specialiter collata dictam sodalitatem s. Rosarii, a b. patre nostro et patriarcha Dominico adinventam, vel s. nominis Dei iuxta bullas fel. record. Pii papae quarti et quinti contra blasphemos et periuros per nostri ordinis patres 30 35 40

reperitam, in praedicta ecclesia s. N. terrae vel loci N. media praedicatione instituas, plantes et erigas, pium hunc orandi modum explices et suadeas, omnes utriusque sexus personas in eam ingredi devote petentes recipies, et in libro ad hoc deputato scribas, rosaria benedicas, misteria
 5 exponas, omnia denique et singula facias, gratis tamen et solo Dei amore, quae per nostri ordinis fratres in nostris ecclesiis ad id deputatos fieri solent et possunt. Poterisque aliquem idoneum sacerdotem deputare super a te erectas societates cum facultate scribendi, benedicendi et recipiendi confratres. Quos admonebis, quod si contigerit aliquando fratres
 10 nostros ecclesiam habere in dicta terra vel loco N., aut in eius districtu circiter duo milliaria, ipso facto absque alia declaratione ad nostram ecclesiam ipsa societas vel ipsae societates, si ambae instituuntur, cum omnibus bonis suis spiritualibus et temporalibus statim devolventur, tenebunturque se regere et gubernare iuxta capitula, ordines et statuta so-
 15 cietatum s. Rosarii et nominis Dei in nostra ecclesia sanctae Mariae super Minervam Romae erectarum. Debebunt ulterius, quam primum poterunt, Romam mittere ad reverendissimum patrem generalem nostrum vel eius vicarium pro confirmatione dictae societatis ad perpetuam rei memoriam. In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. In quorum fidem his
 20 sigillo nostri conventus s. N. munitis manu propria subscripsimus. Dat. N. die, mensis, anni.

Scribere autem confratres, rosaria benedicere, misteria exponere, pium hunc orandi modum explicare et suadere poterunt etiam omnes pp. sacerdotes, quamdiu sacrae praedicationis causa sibi ab obedientia iniunctae tempore quadragesimae extra suos conventus reperiuntur. In con-
 25 ventu autem vel loco solus praesidens, aut in eius absentia, ille cui ipse commiserit, et sacrista maior, prout in immediate praecedenti capitulo concessum fuit, poterunt facere supradicta.

13. Ordinamus et praecipimus provinciarum, congregationum et vicariarum praesidentibus, quatenus infra bimestre curent certam notitiam
 30 habere de redditibus tam certis quam incertis quorumlibet suorum conventuum respective, iuxta quos de graviorum patrum consilio numerum fratrum pro singulis conventibus praefigent, ultra quem eorundem conventuum nomine alios de novo recipere non licebit, quatenus vel sic
 35 receptis ac recipiendis pro religiosis necessitatibus commode provideri possit, multaue inconvenientia specialiter circa paupertatis votum vitari.

14. Ordinamus et ordinando praecipimus omnibus et singulis nostrae religionis fratribus extra ordinem commorantibus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena ex-
 40 communicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, ut infra spatium unius mensis ab harum notitia reverendis-

simo p. generali vel suo rev. provinciali respective seipsos praesentare, et qua facultate vel licentia extra religionem commorentur, ostendere ac eisdem in omnibus, quae iusserint circa praefata, parere teneantur. Mandantes omnibus admodum rr. pp. provincialibus et vicariis eorumque conscientias in diem Christi aggravantes, ut consimiles extra claustra nequaquam commorari permittant, nisi ex urgentissima causa et in Dei gloriam ac animarum salutem id cedere manifeste cognoverint, non obstantibus quibuscunque licentiis etiam a reverendissimo p. generali vel a generali capitulo quomodolibet obtentis.

15. Ordinamus etiam et sub eodem formali praecepto eademque excommunicationis latae sententiae poena praecipimus omnibus et singulis nostri ordinis professoribus, cuiuscunque gradus, dignitatis et conditionis existant, ut qui apud se habent vel apud quoscunque quomodolibet retinent, vel quempiam habere vel retinere sciunt, livellaria instrumenta sive livellarios contractus vel pecuniarum, ut fertur, investituras sive nomine proprio aut in propria persona sive nomine alicuius conventus quovis modo factas, debeant et teneantur infra spatium viginti quatuor horarum ab harum notitia revelare sive respective consignare et effectualiter tradere priori vel praesidenti conventus, ne ob eorum ignorantiam, morte interveniente, conventus et religio detrimentum patiantur. Priores vero ipsi vel praesidentes huiusmodi scripturas sibi consignandas in archivio conventus fideliter collocabunt sub eodem praecepto et poena, ut cum reliquis scripturis ad ipsum conventum pertinentibus diligenter conserventur.

16. Ordinamus ac omnino observari mandamus, ut in quolibet conventu, in quo id commode observari poterit, trina saltem casuum conscientiae lectio in ebdomada habeatur ab aliquo perito patre. In reliquis vero aliquam saltem lectionis loco conferentiam de iisdem casibus inter paucos religiosos in ipsis commorantes fieri curabunt superiores talium locorum vel conventuum, memores divini iudicii, eorum pariter, quae in pluribus capitulis circa hoc pro animarum salute et religionis decore servando toties sancita fuere.

17. Ordinamus, quod lectores primi, qui et doctores conventuum nuncupantur, primam post patres graduatos in religione ipsis antiquiores in patrum consiliis vocem habeant. Caeterum quae in eisdem consiliis tractabuntur, per vota secreta concludantur, et in libro ad id deputato omnino registrentur.

18. Ordinamus, quod nullus frater, cuiuscunque sit conditionis, typis dare possit quascunque lucubrationes proprias vel alterius, etiam alias impressas, sine licentia in scriptis rev. sui provincialis et absque approbatione duorum ad minus eruditorum patrum ab eodem rev. provinciali

vel capitulo deputandorum, qui easdem prius legerint et diligenter considerarint, non servatis denique omnibus quae in sacro Tridentino concilio de impressione librorum mandantur.

19. Ordinamus, quod priores et locorum praesidentes teneantur saepius capitulum facere et ad minus de quindena in quindenam, gratias Deo cum suis subditis de receptis beneficiis reddituri, pro benefactoribus praecaturi et eosdem subditos ad regularem observantiam hortaturi, quando et de commissis defectibus illos reprehendere charitativeque corrigere debebunt.

20. Ordinamus, quod de caetero nullae a rr. provincialibus assignationes praesidentibus conventuum vel locorum relinquuntur, quae non sint pro determinata persona in eisdem expressa, idque ad tollenda quam plurima inconvenientia, quae ex assignationibus, quas vulgo albas vocant, oriri solent, eas irritas et nullas praesenti statuto decernentes.

21. Ordinamus, prout alias etiam ordinatum fuit, et strictissime inhibemus praelatis omnibus sub poena absolutionis ab eorum officii statim, si contrafecerint, incurrenda, ne de caetero aliquam mulierem ad habitum tertii ordinis recipiant, quae sit minoris aetatis quam quadraginta annorum, quae non sit bonae famae, honestae familiae et quae non habeat, unde de victu et vestitu sufficienter sibi valeat providere. Haec de his, quae seorsum in propriis domibus habitant, intelligimus.

22. Ordinamus, quod in unaquaque provincia curent provinciales conversos vel tertiarios ad habitum recipi, qui religiose educati conventibus in manualibus exercitiis inservire possint, sicque secularium, quoad fieri poterit, commercia plurimum malorum radices tollantur.

23. Ordinamus, quod nullus laicus in posterum in conventibus ad commorandum recipiatur, sed tantum hospitii gratia, pietate, gratitudine vel necessitate id suadente, ad biduum vel triduum ad summum, non ultra; quando et tales hospites neququam in dormitoriis fratrum, sed in locis remotioribus conventus collocabuntur, caritative et religiosa cum modestia tractandi.

24. Ordinamus ad plurima tollenda inconvenientia, quae hisce praesertim temporibus multiplicantur, quod nullus frater nostri ordinis praeter exceptos in constitutionibus nostris audeat litteras aliquas ad aliquem praeterquam ad superiores mittere, nisi prius a proprio praelato visae et subscriptae fuerint, nec ad ipsum missas legere vel aperire, nisi prius easdem superiori suo legendas praesentaverit, sub poena carceris per mensem et aliis superioribus arbitrariis.

25. Ordinamus, quod diffinitores provinciarum desolataram, ubi ad capitulum generale in posterum venerint, plenam et fidelem informationem de earundem statu respective, de conventuum et fratrum numero in

eisdem receptorum, vel qui ab exteris provinciis advenere, deque illorum moribus et nominibus a suo provinciali habitam r. diffinitorio deferre teneantur. Interim vero sub formali praecepto omnibus et singulis provincialibus praefatarum provinciarum mandamus, ut infra mensem ab harum publicatione informationem praedictam reverendissimo magistro ordinis transmisisse debeant; sicuti sub eodem praecepto omnibus et singulis provincialibus ordinis et vicariis indifferenter praecipimus, ut notam aliquam eidem magistro ordinis infra praetaxatum terminum mittere debeant praecipuorum patrum cuiuslibet provinciae respective, qui regularis observantiae zelo vel dexteritate et prudentia in regendo aut etiam literarum sufficientia inter reliquos pollent, quatenus eorum opera pro temporum et negotiorum qualitate in eiusdem religionis beneficium et commodum uti possit.

26. Ordinamus in provincia Hispaniae ad eius petitionem, quod de caetero fratres conversi in professione obligent se conventui, in quo profitentur, ita ut eidem toto suae vitae tempore inservire teneantur; a quo nec amoveri poterunt nisi alicuius notabilis scandali, quod absit, causa; et idem optamus in reliquis nostri ordinis provinciis observari prospicientes maximam inde ipsis conventibus utilitatem subsequuturam.

Secundo. Ad eiusdem etiam petitionem, quod fratres facultatem habentes a rev. patre generali vel eius vicario conducendi ad partes Indiarum religiosos ex eadem provincia Hispaniae neminem conducere possint, non praehabito rev. p. provincialis consensu, vel ipso longe existente, prioris et patrum a consiliis conventuum, a quibus assumuntur, quorum intererit eos tantum a tali itinere impedire, quos ad Dei servitium peragendum in partibus illis minus idoneos iudicaverint.

27. Ordinamus in provincia Regni, quod studentes assignandi in conventu s. Dominici de Neapoli assumi debeant iuxta alias ordinata ex conventu s. Petri Martiris de Neapoli, non indifferenter omnes, sed ii tantum, qui in litteris plus profecisse et religiosis moribus pollere dignoscentur.

28. Ordinamus in provincia Poloniae, ipsa petente, quod fratres ab eadem ad aliarum provinciarum studia missi et in eisdem lectores creati hoc titulo gaudere non possint, nisi prius in aliquo conventu eiusdem provinciae per aliquod temporis spatium legerint.

Secundo. Quodque nemini ab ipsa ad aliquod studium generale transire liceat nisi eiusdem licentia prius obtenta.

Tertio. Unde etiam si ob fratrum penuriam, quam praedicta provincia patitur, contigerit aliquos hisce temporibus a rev. p. provinciali ad ipsam revocari, volumus tales sine mora obedire.

Quarto. Quod in conventibus Cracoviensi, Leopoliensi, Posnaniensi

et Vilnensi studia omnino erigantur; in Cracoviensi autem sit studium generale iuxta ordinata in praecedenti capitulo.

29. Ordinamus in provincia Trinacriae et districté praecipimus rr. pp. provincialibus pro tempore existentibus, quatenus omnibus graduatis, qui saltem sententias in aliquo studio generali non legerint, de
5 conventibus provideant, ubi lectiones artium aut theologiae habere possint ac debeant, et ubi in conventibus discipuli deerunt, praedicare, scripturam sacram populis declarare debebunt ac casus conscientiae fratribus legere. Quod si talia recusaverint, officiis et gradibus priventur.

10 Secundo. Quod nullus baccalaureus, qui non legerit sententias pro gradu et forma magisterii in aliquo studio generali, habeat locum baccalaureis debitum, sed eum, qui suae est professionis, teneat non obstante quacunque consuetudine et concessione.

30. Ordinamus, quod fratres omnes ad provinciam Germaniae inferioris sive causa inserviendi exercitui catholico in officio praedicationis
15 verbi Dei et sacramentorum administratione sive quavis alia declinantes, ubi in civitatibus vel locis reperientur, in quibus nostrae religionis conventus erunt, ad eosdem divertere teneantur illorumque praesidentibus non minus quam reliqui fratres in eisdem existentes in his dumtaxat,
20 quae ad vitae regularis observantiam faciunt, humiliter parere, provinciali praecipue, arbitrarias alioquin illi poenas daturi.

Secundo. Quod posthac in conventibus Lovaniensi et Duacensi dignis de causis nullus recipi possit ad habitum nisi de speciali licentia et assensu rev. p. provincialis.

31. Ordinamus in provincia s. Thomae ad eius petitionem, inter-
25 veniente etiam apostolica autoritate, quatenus opus sit, quod priores tempus sui prioratus in sero dominicae « Deus qui errantibus » explevisse intelligantur absque alia declaratione.

Secundo. Quod suppriori et vicarii locorum, expleto biennio, a suis
30 officiis absoluti intelligantur nec in eisdem per aliud biennium confirmari possint, illis supprioribus exceptis, quorum biennium completer vacante prioratu sui conventus, quos durare volumus quousque priorem praesentem habuerit.

Tertio. Quod consanguinei et affines in primo et secundo gradu non
35 possint succedere consanguineis et affinibus in officiis provincialatus vel prioratus.

Quarto. Quod conventus, in quibus novitii suscipiunt habitum, teneantur eisdem, dum in novitiatu, de vestibus et medicinis providere.

Quinto. Quod regentes tribus annis, baccalaurei duobus in studio
40 Andriensi legere debeant. Nec quis ad baccalaureatum promoveri possit, nisi honorifice conclusiones in aliquo provinciali capitulo defenderit.

32. Ordinamus in provincia Calabriae, quod baccalaureus, qui promovendus erit ad magisterium, legisse teneatur in studio Cosentino per biennium; quod si non fecerit, nullo modo admittatur.

33. Ordinamus et ordinando praecipimus pp. provincialibus Indiarum sub poena absolutionis a suis officiis ipso facto incurrenda et sub omnibus poenis gravioris culpae, ne audeant provincialatus officio durante a suis provinciis respective quavis de causa recedere, cum plurima inde damna subsequi conspiciantur.

34. Ordinamus in provincia s. Dominici, ut indemnitati conventus ss. Ioannis et Pauli in civitate Venetiarum, qui celeberrimus est, consulamus, quod omnes hospites ad illum declinantes quam citius de suis negotiis se expedire curent. Quod si in triduo a praefato conventu non recesserint, teneantur pro victu solidos viginti monetae Venetae quotidie persolvere. Nullo autem pacto permittat prior dicti conventus hospites diu in illo morari per civitatem postmodum libere divagaturos, sed omni meliori modo, expeditis necessariis negotiis, eos ad propria redire compellat.

35. Ordinamus pro congregatione Gallicana, quod magistri in sacra theologia in priores alicuius conventus electi et confirmati id munus acceptare omnino teneantur, aliter in eodem conventu in simplices fratres assignentur, nisi rationabilem causam admodum rev. p. vicarii congregationis iudicio tale officium non acceptandi habuerint.

Secundo. Quod fratres nostri, qui assumpti sunt ad episcopatus aut ad alias dignitates extra ordinem, non nisi brevi temporis spatio in conventibus nostris retineri possint; nec liceat prioribus aliter agere sub poena absolutionis a suis officiis; sic enim ipsorum conventuum pax et utilitas deponit.

Admonitiones.

1. Admonemus omnes et singulos praesidentes locorum, conventuum vel provinciarum, ne quoquo pacto fratres propriae vel alienae provinciae sine licentiis suorum superiorum ad ipsos venientes praeterquam in carceribus recipiant, eosdem punitos ad suasmet provincias vel conventus respective remissuri, ut saepius ordinatum fuit, alias absolutionem a suis officiis infallanter incurrant; dabunt insuper poenas per Sixti Quinti constitutionem taxatas. Sine vero licentia suorum superiorum ab una provincia in aliam pergunt, qui eandem non habent a suo provinciali vel a diffinitorio provincialis capituli, priorum enim particularium conventuum non est huiusmodi licentias dare, quorum autoritas extra propriae provinciae limites non extenditur.

Secundo. Admonemus in provincia Poloniae omnes moniales ordinis nostri, quatenus omni cum humilitate parere debeant rev. p. provinciali

eiusque vicariis ad earum curam deputatis specialiter in his, quae ad essentialia religionis vota spectant et ad regularem observantiam conservandam vel reparandam, circa votum paupertatis praecipue, alias mandamus easdem ordinariis locorum per praefatum rev. provincialem renuntiari, ne dum minus religiose ipsae se gerunt, videantur praelati minorem, quam par sit, curam de ipsis habere.

Commissiones.

Committimus rev. p. generali, ut coeptum ab eo opus sublevationis et restorationis provinciarum desolatarum solito suo zelo et diligentia prosequatur, ad quod non parum iuvabit visitatores, viros prudentes, religiosos et discretos ad easdem provincias mittere, specialiter ad provincias Germaniae superioris et inferioris, Boemiae et Ungariae ac Poloniae. Quod ut citius et commodius, uti par est, expediri possit, convenientem aliquam pecuniarum summam pro tam pio opere exigere curabit a comodioribus provinciis pro sua prudentia et discretione, cui id remittimus. Nobis etenim notissimum est, plures ad id muneris exequendi expensas fore necessarias, quae praefatarum provinciarum desolatarum vires longe excedunt. Debet pariter ipse rev. p. generalis a ss. d. nostro ad serenissimos illarum partium principes litteras procurare, quatenus tam sanctum opus pie fovere ac promovere dignentur.

Committimus rev. p. generali, ut laudabile opus ab ipso incoeptum correctionis ac reformationis breviarii, missalis reliquorumque librorum ad eorum spectantium ad finem producere velit quantocius, eaque expedire circa hoc negotium, quae in hoc capitulo generali ob temporis brevitate expedire nequivimus. Et mandamus omnibus nostri ordinis fratribus et monialibus, ut eisdem postmodum libris sic correctis et reformatis in choro et ubique uti debeant.

Committimus eidem rev. p. generali, ut auditis rationibus tam provinciae Theutoniae quam congregationis Germaniae superioris circa conventum Friburgensem postmodum determinet, cuiusnam illarum praefatus conventus membrum esse debeat.

Committimus eidem rev. p. generali, sicut alias commissum fuit, ut si in visitatione vicariae s. Petri martiris eam ita reformatam invenerit, ut titulo provinciae decorari legitime posse existimet, in provinciam erigere velit eiusque vicarium titulo provincialis donare.

Committimus singulis rr. diffinitoribus huius capituli, ut postquam praesentis capituli acta ad eorum provincias pervenerint, curent quantocius publicari; quod si aliquae emergerint circa in ipsis contenta difficultates, eorum stabitur declarationi in casibus, qui dilationem non patientur; interim autem consuletur rev. p. generalis, cuius determinationi standum in omnibus erit.

Committimus admodum rev. p. procuratori ordinis in curia Romana, ut bullas omnes, quae a sanctissima sede apostolica emanaverint, quarum tenores fratribus nostris noti esse debebunt, procuret quantocius ad omnes provincias transmittere, ut prompte et humiliter executioni mandari possint, quae in eisdem continebuntur. 5

Committimus omnibus rr. provincialibus et vicariis congregationum seu vicariarum, ut quam primum mandent aliquibus patribus, quos noverint aptiores, quatenus matura praevia consideratione notent ea, quae in nostris constitutionibus declaratione vel accomodatione ipsis indigere videbuntur, ut ad sequens proximum generale capitulum relata reformatae 10 possint pro religionis commodo noviter imprimi.

Committimus rr. provincialibus et omnibus conventuum et locorum praesidentibus, ut omnem adhibeant diligentiam, quatenus camerae aliquae pro fratribus hospitibus cum debita licentia ad ipsos venientibus recipiendis deputentur, quorum cura alicui fratri discreto et charitativo 15 committatur, qui eosdem omni cum benignitate et humanitate recipiat illisque necessaria pro posse procuret.

Committimus rr. provincialibus caeterisque conventuum et locorum praesidentibus, ut pro debito officii respective, quod saepius circa apostatas et fugitivos eisdem mandatum fuit, diligenter exequantur, curando 20 videlicet eosdem ad conventus reducere etiam auxilio brachii secularis, quatenus opus sit, ac pro qualitate criminum punire, ne rei sanguinis fratrum suorum coram supremo iudice habeantur.

Committimus et praecipimus sub formali praecepto et poena gravioris culpae p. fr. Paulo Germano, priori Wratislaviensi, quod infra 25 mensem se praesentasse debeat suo patri provinciali Poloniae, quatenus eius causa iuste expediri possit.

Committimus rev. provinciali provinciae s. Thomae, ut visis videndis determinet pro iustitia, an fr. Dominicus Capirus sit filius conventus Baruli, vel provinciae tantummodo, cuius nomine secundum aliquos fuit 30 receptus ad habitum.

Committimus rev. patri vicario congregationis Gallicanae reliquisque pp. provincialibus ac vicariis regni Galliarum, ut quoad citius fieri poterit, capitulum provinciale cogere debeant, tum ut de legitimo capite, si quo egent, providere possint tum etiam ut de regulari observantia satis colapsa 35 restauranda tractare singulisque conventibus, sicuti summopere desideramus, debite prospicere queant.

Revocationes.

Revocamus omnes licentias a quibusvis praelatis ordinis etiam a rev. generali cuilibet concessas, quod videlicet absolvere vel absolvi possit 40 a casibus in ordine nostro praelatis ordinariis reservatis, pecunias penes

se retinere vel expendere, in itinere vel per civitates equitare, bona quorumcumque etiam consanguineorum administrare, quodve ad hebdomadariam faciendam non teneatur, et ab aliquo officio, conventu aut cella, etiam pro determinato tempore suorum superiorum arbitrio removeri non possit, 5 tandem quascumque alias, quae quovis modo regulari observantiae repugnare videntur, quam supra modum florere desideramus, non pessundari.

Revocamus a provincia utriusque Lombardiae ad provinciam s. Dominici et conventum suum originalem p. fr. Petrum Martirem de Venetiis.

Revocamus in provincia Trinacriae institutionem studii generalis alias 10 in conventu s. Dominici de Messana, dignis de causis modo cessantibus, factam, revocantes pariter omnes gratias et privilegia praefato conventui hac de causa concessa.

Abrogamus deinde a congregatione Gallicana abusus illos hactenus permissos de doctoribus bullatis, qui nullos publicos actus fecere vel 15 publicas disputationes habuere conformiter ad ea, quae alias prudenter fuere ordinata.

Revocamus quoque in congregatione s. Catherinae de Senis institutionem studii generalis olim in conventu Aquilano erecti, sic exigente bono dictae congregationis regimine, volumus tamen, quod in eodem 20 conventu indesinenter habeantur lectiones artium et sacrae theologiae, quibus lectores et discipuli respective solícite incumbant.

Suspendimus denique studium in conventu s. Eustorgii de Mediolano vicariae s. Petri Martiris, cum non possit conventus ille studii onera hisce praesertim temporibus sufferre et aliis dignis de causis, volumus 25 nihilominus lectiones artium et sacrae theologiae ibidem ordinarie haberi.

Restitutiones.

Restituimus in provincia Romana ad gratias ordinis, excepta voce, p. fr. Iacobum de Perusio.

Restituimus provinciae Regni praedicatores generales, committimusque 30 rev. provinciali eiusdem provinciae, ut una cum rr. prioribus s. Dominici, s. Petri Martiris, s. Mariae Sanitatis de Neapoli et rev. p. magistro fr. Dominico de Nuceria (1), diligenter quamtotius investigent, quinam secundum formam nostrarum constitutionum et ordinationum legitime hactenus titulo praedicatoris generalis in eadem provincia donati fuere, 35 quive non, primos per vota secreta admittendo, secundos vero excludendo; quod ut sincere iusteque fiat, sub formali praecepto tam ipsi rev. provinciali quam reliquis praenominatis patribus mandamus.

Restituimus in provincia Trinacriae ad omnes gratias ordinis fr. Antoninum de Clusa.

(1) De fr. Dominico de Nuceria cf. supra pag. 180.

Concessiones.

Concedimus provinciae Hispaniae ad eius petitionem: Primo, quod rev. p. provincialis, qui fuerit pro tempore, dare possit licentiam fratribus suis, ut ratione oppositionis faciendae pro aliqua cathedra in aliqua universitate possint suscipere gradus baccalaureatus aut magisterii 5 respective in eadem universitate vel alia iuxta exigentiam cathedrae, ad quam oppositio est facienda, salvis tamen in aliis omnibus iuribus dictae provinciae.

Secundo. Quod in capitulo provinciali proxime futuro seu congregatione loco capituli intermedii facienda possit rev. p. provincialis cum diffinitoribus vel cum aliquibus provinciae patribus respective reducere numerum praedicatorum generalium ad triginta sex vel quadraginta, prout illis expedire visum fuerit pro eiusdem provinciae beneficio. 10

Tertio. Quod rev. p. provincialis eiusdem provinciae possit instituere vicarium provincialem super conventibus nationis de Biscaia. 15

Quarto. Concedimus d. Ioanni Velasquez, quod in villa de Medellin fundare possit collegium nostrae religionis, eximiae suae pietatis erga ordinem nostrum evidens testimonium, et non obstante quod praefata villa infra terminos provinciae Bethicae reperiatur, volumus ipsum collegium ad provinciam Hispaniae pertinere, cui ex nunc pro tunc illud 20 incorporamus et incorporatum esse volumus iuxta mentem praefati d. Ioannis oriundi ex praefata villa. Ad cuius instantiam concedimus etiam p. fr. Andreae de Almaguer, lectori theologo in conventu s. Dominici de Lyma provinciae del Perù, quod possit in Hispaniam venire cum eodem domino et praefati collegii edificationi intendere, non obstante etc. 25

2. Concedimus provinciae Theutoniae ad eius petitionem, quod de assensu rev. p. provincialis possint eius fratres promoveri ad gradus respective causa consequendi lecturas in artibus vel in sacra theologia in universitate Viennensi; qui tamen sic promoti gratiis et privilegiis illorum graduum potiri non poterunt. 30

3. Concedimus provinciae Poloniae ad eius petitionem, quod possit modernum provincialem expleto sui provincialatus officio ad idem munus reeligere, quem et capituli pro electione celebrandi vicarium instituumus et praefatam provinciam regere volumus, quousque provincialis eligendus fuerit a rev. p. generali confirmatus. 35

Secundo. Quod stante necessitate praedicationis verbi Dei et praedicatorum penuria possint mitti ad praedicandum illi, qui per annum solum s. theologiam audierint, dummodo religiosorum sint mortum, et sufficientes in litteris de patrum consilio censeantur.

4. Concedimus in provincia Bethica, quod in conventibus s. Pauli Cordubensi et ss. martirum iuxta civitatem et s. Dominici de Scala Coeli 40

fiant octavae solemnes ss. martirum Asciscli et Victoriae, dummodo etiam dicatur in choro officium b. Virginis.

Secundo. Quod omnes conventus et monasteria sub titulo Pietatis sanctissimae dominae nostrae celebrare possint officium ipsum pietatis sub festo duplici sabbato ante dominicam palmarum.

5 5. Concedimus provinciae s. Ioannis Baptistae del Perù ad eius petitionem, quod propter distantiam conventuum et expensas maximas incommoditatesque itinerum congregatio loco capituli intermedii celebrari possit, modo ab eademmet provincia in proxime futuro provinciali capitulo matura cum diffinitoribus et aliis gravioribus patribus habita deliberatione, statuendo quem et significare rev. patri generali quam primum teneantur, eiusdem modi approbationem ab eodem habitura.

15 Secundo. Quod supra numerum baccalaureorum taxatum in capitulo generali proxime praeterito pro eadem provincia possint dari duae praesentaturae duobus praedicatoribus, qui per decennium ad minus in praedicandi officio pro animarum salute procuranda sollicite se exercuerint, qui tamen ad magisterii gradum nequam promoveri postea debebunt.

20 6. Concedimus provinciae Occitanae, quod fratres eiusdem provinciae recipi possint in studiis generalibus provinciarum Hispaniarum et Italiae, cum ob bella in eadem provincia studia languescere cogantur.

Translationes.

1. In provincia Regni transferimus filiationem fr. Seraphini de Ischa a suo originali conventu ad conventum s. Dominici de Ischa, accedente tamen consensu maioris partis filiorum conventus de Ischa ibi assignatorum simul congregatorum et per vota secreta iuxta ordinationes.

2. In provincia Bohemiae transferimus filiationem rev. p. fr. Ludovici de Normo magistri, provincialis moderni, a conventu Znoymensi ad conventum s. Michaelis Brunensem, cui multa ipsum contulisse beneficia intelleximus.

30 Secundo. Item in eadem provincia transferimus filiationem p. fr. Vincentii de Stephanis Siculi, prioris Znoymensis, diffinitoris in hoc capitulo ad eundem conventum Znoymensem et fr. Alberti de Neritono ad conventum s. Michaelis Olomucensis.

35 3. In provincia Bethicae transferimus filiationem p. fr. Reginaldi de Flandria a provincia Germaniae inferioris ad conventum sancti Dominici de san Lucar.

4. In provincia sancti Dominici transferimus p. fr. Iacobum de Rodigio (1) lectorem ad conventum Albensem provinciae utriusque Lombardiae.

5. In congregatione Gallicana transferimus admodum rev. patrem

(1) De fr. Iacobo de Rodigio cf. SSOP. II, 754.

magistrum fr. Petrum de Bollo (1), olim vicarium dictae congregationis, ad conventum Lugdunensem, salvo tamen iure sui conventus, a quo transfertur.

Institutiones.

In provincia Regni instituimus et creamus patres a consiliis in suis 5
conventibus originalibus p. fr. Sabinum de Tripalda et p. fr. Thomam
de Nuceria, servatis tamen, quae in constitutionibus nostris circa patres
a consiliis habentur.

In provincia Theutoniae instituimus praedicatores generales fr. Mat- 10
thiam Komelium Elensem conventus Confluentini et p. fr. Ioannem Bren-
delium conventus Augustani, si tamen vacat locus iuxta numerum prio-
ratorum et adsunt alia requisita, alias non.

In provincia Bohemiae instituimus et creamus praedictorem gene- 15
ralem p. fr. Petrum Martirem de Praga, ipsum hortantes, ut praedica-
tionibus sedulo incumbere velit pro animarum salute iuxta talentum sibi
a domino concessum.

In provincia Bethicae instituimus praedictorem generalem p. fr. Al-
phonsum de Portocarero pro conventu s. Dominici de Palma.

In provincia sancti Ioannis Baptistae del Peru instituimus praedi- 20
catores generales pp. fr. Thomam Guttieres (2) et fr. Alvarum de Molina.

In vicaria sancti Petri Martyris instituimus et damus in vicarium
eiusdem vicariae p. fr. Ioannem Baptistam Porcellum de Albinga magi-
strum et inquisitorem Astensem.

Licentiae promovendorum.

In provincia Regni licentiamus ad gradum magisterii rev. pp. fr. Se- 25
raphinum de Neapoli et fr. Thomam de Pontecurvo et fr. Seraphinum
de Nuceria baccalaureos. Ad baccalaureatum fr. Archangelum de Neapoli,
fr. Thomam de Milionico et fr. Stephanum de Optato.

In provincia Theutoniae licentiamus ad gradum magisterii rev. p. 30
fr. Petrum Martirem Muttonum de Tarvisio (3) regentem Coloniensem pro
provincia duntaxat Theutoniae, et quatenus inserviat in officio regentis
in studio eiusdem nostri conventus Coloniensis per triennium futurum
et non aliter. Ad baccalaureatum fr. Andream Holanderum conventus
Gamondiani.

In provincia Dalmatiae licentiamus ad gradum magisterii rev. p. 35
fr. Vincentium Milaneum de Sibenico.

In provincia Trinacriae licentiamus ad magisterii gradum rev. pp.

(1) De fr. Petro de Bollo cf. SSOP. II, 316.

(2) De fr. Thoma Guttieres cf. l. c. pag. 477.

(3) Videtur esse idem ac Petrus Maria Muttonus de Tarvisio, de quo l. c. p. 420.

fr. Dominicum Lovechio et fr. Thomam Alvachar baccalaureum ordinarium studii Panormitani post expletum biennium sui baccalaureatus in eodem studio. Ad baccalaureatum pp. fr. Petrum Canizaro et fr. Paulum Rao.

In provincia Bethicae licentiamus ad praesentaturae gradum p. fr. Dominicum Barriales et fr. Philippum Munnoz.

In provincia Germaniae inferioris licentiamus ad magisterii gradum rev. pp. fr. Gulielmum Cambrai Duacensem, fr. Stephanum le Clou (1) Atrabatensem et fr. Levinum Heytcum Gandavensem baccalaureos.

In provincia s. Thomae licentiamus ad baccalaureatum pp. fr. Ioannem Dominicum de Ruvo et fr. Marium de Litorio.

In provincia Calabriae licentiamus ad gradum magisterii rev. pp. fr. Augustinum de Zagaresio et fr. Thomam de Roliano. Ad baccalaureatum p. fr. Dominicum de Rosarno.

In provincia s. Ioannis Baptistae del Peru licentiamus ad praesentaturae gradum pp. fr. Augustinum de Vegha, fr. Ioannem de Lorenzana (2) et fr. Andream de Almaguer.

Declarantes, quod omnes praefati non intelliguntur licentiati, nisi servatis servandis et salvis semper iuribus suarum provinciarum.

Provisiones studiorum.

In almo nostro studio Parisiensi damus et assignamus in baccalaureos ordinarios eos duntaxat, qui a consilio patrum Parisiensis conventus petiti iuxta morem et a reverendissimo magistro ordinis approbati fuerint, praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae rev. priori seu praesidenti praefati conventus, ne imposterum audeat quovis modo nominare ad lecturam sententiarum aliquem extraordinarium, salvo semper iure extraneorum, quibus volumus conformiter ad eorum continuatum possessum seu privilegia vel etiam ordinationes rev. generalium locum dari ad legendum, non obstantibus quibuscunque.

In provincia utriusque Lombardiae in almo nostro studio Bononiensi damus in regentem rev. p. magistrum fr. Stephanum de Cento, in baccalaureum rev. p. fr. Petrum Martirem de Urceis, et in magistrum studentium rev. p. fr. Petrum de Ferraria.

In provincia Romana in studio Perusino damus in regentem pro praesenti anno 1592 rev. p. fr. Antoninum Matoncinium magistrum, pro anno 1593, 1594 fr. Vincentium de Fivizano baccalaureum, in baccalaureum p. fr. Petrum Paulum de Castronovo, in magistrum studentium p. fr. Paulum Grisaldum (3) magistrum pro anno 1592, 1593, pro anno vero 1594 p. fr. Antoninum Bertum Florentinum.

(1) De fr. Stephano le Clou cf. SSOP. II, 405.

(2) De fr. Ioanne de Lorenzana cf. l. c. pag. 417.

(3) De fr. Paulo Grisaldo cf. l. c. pag. 368.

In provincia Regni pro studio s. Dominici de Neapoli, ubi necessariam relationem habuerit a rev. provinciali ipsius provinciae rev. generalis providebit, prout expediens iudicaverit.

In provincia Trinacriae in studio Panormitano damus in regentem rev. p. fr. Thomam Alvachar, ubi complete expleverit tempus et officium 5 sui baccalaureatus, in baccalaureum post ipsum pro solito tempore p. fr. Petrum de Canizaro et successive p. fr. Paulum Rao, in magistrum studentium pro primo anno p. fr. Octavianum Manghanum, pro secundo et tertio anno providebit rev. p. provincialis.

In provincia Germaniae inferioris in universitate Lovaniensi damus 10 in regentem p. fr. Stephanum Zona magistrum.

In provincia s. Thomae in studio Andriae damus in regentem pro praesenti anno 1592 rev. p. fr. Iacobum de Brundusio, pro tribus annis immediate sequentibus p. fr. Vincentium de Monopoli magistrum, in bac- 15 calaureum pro anno 1592 p. fr. Bartholomaeum de Gallipoli, pro anno 1593, 1594 p. fr. Dominicum de Castellaneto, in magistrum studentium pro anno 1592 p. fr. Dominicum de Casalino, pro anno 1593 p. fr. Ma- rium de Lizio, pro anno 1594 p. fr. Antoninum de Andria.

In provincia Calabriae in studio Cosentino damus in regentem rev. p. fr. Augustinum de Zagaresio magistrum, in baccalaureum pro annis 20 1592, 1593 p. fr. Chrysostomum de Cerezano, pro annis vero 1594, 1595 p. fr. Vincentium de Tabernis, in magistrum studentium pro anno 1592 p. fr. Ioannem Mariam de Longobucco, pro 1593 p. fr. Stephanum de Rosarno, pro 1594 p. fr. Scipionem de Serris.

In provincia s. Dominici in studio Patavino damus in regentem pro 25 sequenti triennio p. fr. Livium Leonium Patavum (1), in baccalaureum pro 1592, 1593 p. fr. Pelegrinum Zagatum Patavum, pro duobus annis sequentibus p. fr. Hieronymum de Venetiis, in magistrum studentium pro anno 1592 p. fr. Damianum de Venetiis, pro 1593 p. fr. Vincentium de Tarvisio, pro anno 1594 fr. Georgium de Tarvisio. 30

Approbationes.

Approbamus sententias rev. iudicum in praesenti capitulo latas.

In provincia Hispaniae approbamus praesentaturam rev. p. fr. Fran- 35 cisci de Mendoza et licentiam ipsum ad magisterium ad hunc dun- taxat effectum, ut cathedram in universitate Complutensi obtinere possit.

Approbamus pariter praesentaturam p. fr. Laurentii Fernandez socii adm. rev. p. procuratoris ordinis in curia Romana, salvis tamen iuribus suae provinciae.

In provincia utriusque Lombardiae approbamus magisteria rev. pp.

(1) De fr. Livio Leonio cf. SSOP. II, 698 et supra pag. 220, 258, 302.

fr. Pauli Castrucii de Monte Regali provincialis Terrae sanctae, fr. Dominici de Pisauro inquisitoris Mantuani, fr. Egidii de Placentia inquisitoris Veronensis, fr. Alexandri de Viglevano inquisitoris Placentini, fr. Baptistae de Finario inquisitoris Ferrariae, fr. Hieronymi de Soncino, fr. Alberti de Lugo inquisitoris Faventini, et fr. Ioannis Baptistae de Urbino, salvis tamen iuribus suae provinciae.

In eadem provincia approbamus affiliationes pp. fr. Petri Martyris de Urceis lectoris in conventu s. Dominici de Brixia, fr. Bonifacii de Viglevano, fr. Hieronymi Morocii de Monte Regali lectorum, fr. Vincentii de Aquis, fr. Augustini de Savona, fr. Hyppoliti Mariae Donzelli de Monte Regali, fr. Ioannis Baptistae et fr. Pauli de Savona novitiorum, fr. Deodati de Soncino aromatarii et fr. Laurentii de Brixia conversorum in conventu s. Mariae Gratiarum Mediolani, ab eorum conventibus originalibus eosdem removentes et omnes defectus, si qui intercessissent, supplentes. Item fr. Honorati de Nicea in conventu s. Iacobi de Cornigliano Genuae, fr. Dominici de Urceis praedicatoris in conventu s. Mariae Angelorum Ferrariae, fr. Georgii de Quintiano in conventu s. Mariae de Basella, et fr. Maximi de Quintiano magistri in conventu Viennensi provinciae Theutoniae.

In provincia Romana approbamus magisteria rev. pp. fr. Santes Nerlii Mantuani diffinitoris in hoc capitulo, fr. Hieronymi Peretae Senensis, fr. Augustini a Monte Alcino (1), fr. Nicolai Lorini (2), fr. Pauli Chrysaldi, fr. Pauli a Porrecta, fr. Silverii Albertonii, fr. Ioannis Chrysostomi a burgo s. Laurentii et fr. Pauli Pichi (3).

In eadem provincia approbamus praedicatoriam generalem rev. p. fr. Dominici de Rubeis Bonon. provincialis moderni et filiationem patris fr. Ioannis Baptistae Rampini in conventu s. Catherinae de Pisis.

In provincia Regni approbamus magisteria rev. pp. fr. Dionysii de Castromaris, fr. Petri Martyris de Montefredano, fr. Vincentii de Ayrola, fr. Benedicti de Marigliano, fr. Iordani Coppulae, fr. Marci de Marcianisio, et baccalaureatum pp. fr. Egidii de Neapoli, fr. Ambrosii secundi de Neapoli et fr. Seraphini de Nuceria.

In provincia Theutoniae approbamus magisteria rev. pp. fr. Corradi Hollanderi, prioris Viennensis, diffinitoris in hoc capitulo, fr. Maximi de Quintiano, et fr. Francisci Franck prioris Moguntini.

In provincia Graeciae approbamus magisterium rev. p. fr. Ioannis Angeli Galesii de Bononia diffinitoris in hoc capitulo.

(1) De fr. Augustino a Monte Alcino cf. SSOP. II, 357.

(2) De fr. Nicolao Lorini cf. l. c. pag. 406.

(3) De fr. Paulo Picho cf. l. c. pag. 408.

In provincia Poloniae approbamus magisterium p. fr. Antonini Premisliensis diffinitoris in hoc capitulo et p. fr. Ioannis Chrysostomi Romanovii, et baccalaureatum p. fr. Alberti Secovii, fr. Michaelis et fr. Nicolai Mosticensium (1).

In provincia Trinacriae approbamus magisteria rev. pp. fr. Ioseph 5
Alermo de Tauromenio et fr. Thomae Alvacar.

In provincia Bethicae approbamus magisteria rev. pp. fr. Thomae Quello diffinitoris in hoc capitulo, fr. Illefonsi della Fuente, fr. Christophori Cantero, fr. Petri Marin, fr. Didaci Calahorrani, fr. Illefonsi Cabrera, fr. Didaci Guillen, fr. Roderici de Quintanilla, fr. Ioannis Porras, 10
et praesentaturam pp. fr. Martini Vanuelo, fr. Petri de Arevalo et fr. Ludovici de Gongora, et affiliationes pp. fr. Alphonsi de Savedra in conventu s. Petri Martyris de Ronda, fr. Salvatoris del Salto in conventu s. Dominici de Baeza, fr. Ioannis Calderon in conventu s. Petri Martyris de Arcidona, fr. Martini Guerero in conventu s. Petri Martyris de Ronda, 15
fr. Bernardi Manreza in conventu s. Barbarae de Baza, fr. Martini de Aragonia in conventu s. Dominici de Huesca.

In provincia Germaniae inferioris approbamus magisterium rev. p. fr. Stephani Zonae.

In provincia sancti Thomae approbamus magisteria rev. pp. fr. Ale- 20
xandri Guzmani de Galipoli diffinitoris in hoc capitulo, fr. Pauli de Bittetto, fr. Vincentii de Castellaneto, fr. Vincentii Ritii de Monopoli, fr. Andreae de Andria et fr. Vincentii de Neritono. Et baccalaureatum pp. fr. Dominici Castromediani de Litorio, fr. Dominici de Castellaneto, fr. Antonini de Andria et fr. Ioannis de Medunio. Et affiliationem p. fr. Antonini 25
de Hostuno in conventu s. Ioannis de Litorio.

In provincia Calabriae approbamus magisteria rev. pp. fr. Ioannis de Altomonte, fr. Augustini de Cosentia et fr. Vincentii de Petrapaola, et affiliationem rev. p. magistri fr. Petri Pontii de Neccastro diffinitoris in hoc capitulo in conventu Catanzari. 30

In provincia Occitana approbamus lecturam sententiarum p. fr. Claudii Dubelli conventus Avenionensis factam Parisiis anno 1586.

In provincia Aragoniae approbamus magisterium rev. p. fr. Petri Ioannis de Cesaraugusta socii adm. rev. p. magistri sacri Palatii.

In provincia sancti Dominici approbamus magisteria rev. pp. fr. Sixti 35
de Venetiis et fr. Thomae Marcheti de Utino.

In congregatione Gallicana approbamus magisteria rev. pp. fr. Thomae Chiamtbien, fr. Iacobi Martino provinciae Franciae, fr. Petri Saxei, fr. Nicolai Anjo, fr. Stephani Lemaire, fr. Seraphini Banchi et fr. Domi-

(1) De fr. Nicolao Mosticen. cf. SSOP. II, 546.

nici Lambert. Et lecturam sententiarum pp. fr. Petri Poilvert, fr. Claudii Huart provinciae Franciae, fr. Iacobi Launay, fr. Ioannis Zourin, fr. Stephani Carta factam in universitate Parisiensi, et praedicaturam generalem p. fr. Ludovici David pro conventu Camberiacensi.

5 In vicaria s. Petri Martyris approbamus magisteria rev. pp. fr. Dominici de Ripolis, fr. Archangeli de Bugella, et baccalaureatum pp. fr. Ioannis Baptistae Ansaldi de Alexandria, fr. Camilli Balliani Mediolanensis (1), fr. Marci Antonii Reposi de Alexandria et fr. Ioannis Andreae de Bugella, et praedicaturam generalem pro eadem tamen vicaria p. fr. Andreae Gotteschi provinciae Romanae.

10 In vicaria Romana approbamus magisterium rev. p. fr. Alberti Transarici de Reate.

Assignationes.

15 In provincia Hispaniae in studio Salmanticensi assignamus in studentem p. fr. Ludovicum Tornerium pro rata suae provinciae Provinciae.

In eadem provincia Hispaniae assignamus pp. fr. Didacum Pouchetum et fr. Ioannem Rodet eiusdem provinciae, eos plurimum in domino rev. provinciali commendantes, ut illis conventum praescribere velit, in quo et religioni et litteris vacantes uberes tandem ingenii fructus referant in beneficium et commodum suae desolatae provinciae.

20 In provincia utriusque Lombardiae in studio Bonioniensi assignamus in studentes p. fr. Herveum de Frisaco pro rata suae provinciae Theutonicae, pp. fr. Pompeum de Grittolis et fr. Thomam de Polignano pro rata suae provinciae s. Thomae, p. fr. Eliseum Erigeum Sicardum pro rata suae provinciae Provinciae.

25 In provincia Regni in studio s. Dominici de Neapoli assignamus in studentes fr. Hieremiam Rerlerum pro rata suae provinciae Poloniae pro 2. biennio, et fr. Andream de Senis pro rata vicariae Romanae, fr. Antoninum de Tricasio et fr. Ioannem de Martina pro primo loco vacante et pro rata provinciae s. Thomae.

30 In provincia s. Dominici in studio Patavino assignamus in studentes p. fr. Dominicum de Iuliano pro rata suae provinciae Regni pro secundo triennio, et p. fr. Gregorium de Neocastro pro rata provinciae Calabriae, et fr. Ciprianum de Mediolano pro rata suae vicariae s. Petri Martyris.

35 Approbati ad habitum recipiendum.

Approbati fuere in hoc generali capitulo, ut ad habitum recipi possint, servatis tamen prius omnibus servandis et non aliter etc.: Christophorus de s. Lauditio, Ioannes quondam Dominici de Bustis Vercellensis, Petronius filius Hectoris Angelucii de s. Lauditio.

(1) De fr. Camillo Balliani cf. SSOP. II, 447.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Clemente octavo quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu s. matris ecclesiae catholicae Romanae quilibet sacerdos unam missam. 5

Pro augustissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico rege Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam.

Pro regno Galliae quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissima republica Veneta quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus principibus christianis et maxime pro his, qui pugnant 10
contra hostes fidei, et pro bono statu totius reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo ac reverendissimo domino cardinali Alexandrino, protectore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Asculano quilibet sacerdos unam missam. 15

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis, praesertim ex ordine nostro assumptis, quilibet sacerdos unam missam. 20

Pro omnibus benefactoribus nostris et his praesertim, qui huic capitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione totius nostri ordinis et pro eius capite reverendissimo patre generali et in eius societate laborantibus quilibet sacerdos unam missam. 25

Ubi sacerdotibus una missa, clericis aliis letaniae, laicis vero ac conversis triginta pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam. 30

Pro anima illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis Carafae, viceprotectoris ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam. 35

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium mortuorum et conversis rosarium imponitur.

Fratres qui gloriose obierunt.

In provincia Poloniae anno domini 1590 die 19 maii obiit rev. p. 40

frater Melchior Mosticensis (1) sacrae theologiae professor et concionator egregius, catholicaeque fidei acerrimus defensor; hic episcopatum aliosque honores extra religionem recusavit, ut suae praedilectae religioni, religiosissimam ducendo vitam ad decrepitam usque inserviret; quod
5 et egregie praestitit, provinciam Poloniae per plures annos prudenter et magna cum laude gubernans, in qua devote mortuus magnum sui desiderium non fratribus modo, sed et cuiusvis gradus ac conditionis viris reliquit.

In provincia Germaniae inferioris anno domini 1591 in vigilia divae
10 Catherinae virginis et martiris rev. p. fr. Iacobus Faber (2) s. theologiae doctor et in academia Lovaniensi regens, dum iter ageret, quo verbum Dei in proximo futuro adventu populis annuntiaret, ab haereticis variis primo immanibusque tormentis afflictus per triduum, gladio tandem occisus fuit, mirae patientiae et invictae fidei testimonium post se relinquens.

15 In provincia s. Iacobi de Mexico anno domini 1589 obiit rev. p. magister fr. Petrus de Pravia (3) prima cathedra donatus in universitate regali Mexicana et Mexicani archiepiscopatus gubernator, qui per plures annos suarum legum observantissimus in religione vixit, oblatos episcopatus recusans et in vera humilitate sui parentis vestigia sequens, numquam
20 ad praefati archiepiscopatus acceptandam gubernationem induci potuit, quousque tale officium sine Dei offensa se recusare non posse, prudentium virorum iudicio intellexit.

In congregatione Gallicana rev. p. fr. Nicolaus de Monte (4) magister, almi studii Parisiensis olim primarius regens ac moderatior disertissimus,
25 cum tempore obsidionis Lutetiae Parisiorum suburbia custodiret una cum fratre Petro Turpin baccalaureo, ne haeretici civitatem occuparent, ab ipsis in festo omnium Sanctorum hasta transfossi ad eorundem societatem brevi pervenere. Eodem die captus fuit frater Edmundus Bourgoui (5) sacrae theologiae doctor et prior conventus nostri Parisiensis, qui variis
30 in carceribus diu detentus variisque affectus tormentis, a quatuor tandem equis discerptus, patienter et pro dei amore mala omnia perferens illata ad coelum feliciter evolavit. Praeter istos pater frater Ioannes Broinsin baccalaureus ab haereticis suspensus fuit; frater Robertus Culvanus (6) sagittis confossus, frater Ioannes Rex patibulo affixus, et quamplurimi alii

(1) De fr. Melchiore Mosticcn. cf. supra pag. 189.

(2) De fr. Iacobo Faber cf. l. c. pag. 299, ubi l. 25 loco « Novariensem » legas « Lovaniensem ».

(3) De fr. Petro de Pravia cf. l. c. pag. 108.

(4) De fr. Nicolao de Monte cf. l. c. pag. 256.

(5) De fr. Edmundo Bourgoui (Burgoin) cf. l. c. pag. 141.

(6) De fr. Roberto Culvano cf. l. c. pag. 149.

nostrae religionis fratres in diversis Franciae provinciis quamplurimas persecutiones ob fidem catholicam ab haereticis perpassi gloriose mortem cum vita commutaverunt, quorum nomina scripta sunt in libro vitae.

Damus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, sicut et reliqua, quae declaratione indigent, eisdem addere vel minuere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, secundum quod eius prudentiae expedire visum fuerit.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod pro una vice tantum eligere possint aliquem p. sacerdotem, ad confessionum audientiam in nostro ordine expositum, qui potestatem habeat ipsos absolvendi ab omnibus casibus et censuris, in quas ante harum publicationem incurrissent, a quibus ipsemet reverendissimus absolvere potest. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earundem ordinarii confessores.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rev. pp. distriktoribus huius capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua duntaxat provincia ad poenas gravioris culpae hucusque damnatum ad gratias ordinis, excepta voce passiva, restituere, si tamen sua humilitate et bono exemplo huiusmodi favore dignum se praestiterit.

Capitulum sequens, quod erit provincialium, assignamus in conventu nostro s. Pauli Hispalensi provinciae Bethicae hinc ad tres annos videlicet anno 1595 in festo sanctissimae Pentecostes.

Praecipimus denique in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum, congregationum et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quam primum legere et publicare faciant, omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter executioni mandentur, et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio legantur. Volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Locus ✠ sigilli.

FR. PAULUS CASTRUCIUS

Magister, provincialis Terrae sanctae.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
VALENTIAE CELEBRATI
IN CONVENTU PRAEDICATORUM
IN FESTO SANCTISSIMAE PENTHECOSTES
5 ANNO DOMINI ·M^o·D^o·XCVI^o.

Sub reverendissimo patre fr. Hippolyto Maria Beccaria a Monte Regali (1) sacrae theologiae professore ac magistro generali totius ordinis praedicatorum.

Diffiniere admodum reverendi patres diffinitores videlicet :

- 10 fr. Marcus de Martensio magister provincialis Regni,
fr. Innocentius Granellus de Florentiola magister prov. Terrae sanctae,
fr. Hieronymus Baptista della Nuzza (2) magister provincialis Aragoniae,
fr. Gaspar de Corduba (3) magister provincialis Bethicus,
fr. Antoninus Matoncinus (4) magister provincialis Calabriae,
15 fr. Didacus Yangués (5) magister et socius pro provinciali Hispaniae,
fr. Helias Crucherius (6) [magister?] et socius pro provinciali Tolosano,
fr. Ioannes Paulus Nazarius de Cremona (7) magister et socius pro provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Paulus de Cortona (8) magister prior conventus s. Mariae super Minervam et socius pro provinciali Romano,
20 fr. Bernardinus Tallavera Melitensis (9) magister et socius pro provinciali Trinacriae,
fr. Paulus Forerius magister et socius pro provinciali Portugalliae,
fr. Augustinus Davila (10) magister et socius pro provinciali Mexicano,
25 fr. Ioannes de la Iusta magister prior de Panama et socius pro provinciali s. Ioannis Baptistae del Peru,
fr. Bartholomaeus de Sierra magister et socius pro provinciali s. Antonini de novo Regno,
fr. Christophorus Martel praesentatus et socius pro provinciali s. Hippolyti Martiris de Oaxaca.
30

(1) De fr. Hippolyto Maria Beccaria a Montere Regali cf. supra pag. 309.

(2) De fr. Hieronymo Baptista della Nuzza (de Lanuza) cf. l. c. pag. 257.

(3) De fr. Caspare de Corduba cf. l. c. pag. 185.

(4) De fr. Antonino Matoncino cf. l. c. pag. 217, 300, 301, 341.

(5) De fr. Didaco Yangués cf. l. c. pag. 252.

(6) De fr. Helia Crucherio (Crucchierio) cf. l. c. pag. 247.

(7) De fr. Ioanne Paulo Nazario de Cremona cf. SSOP. II, 544.

(8) De fr. Paulo de Cortona cf. supra pag. 268.

(9) De fr. Bernardino Tallavera cf. l. c. pag. 221.

(10) De fr. Augustino Davila cf. SSOP. II, 351.

Fr. Hippolytus Maria Beccaria de Monte Regali
 sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum
 humilis generalis magister et servus universis eiusdem ordinis
 professoribus salutem et regularis observantiae incrementum.

Ea est quorumcunque hominum quamvis proborum conditio, ut
 nisi sint caelesti virtute fulti et in divina gratia confirmati, de via vir-
 tutis declinare et a laudabili quovis et sancto instituto deflectere facile
 possint. Illa enim malorum colluvio, quae primi hominum parentis prae-
 varicationem secuta est, difficultatem etiam ad bonum quodcunque agen-
 dum et proclivitatem ad mala omnia secum attulit. Quare nisi Deus
 gratiae suae auxiliis mortalibus assisteret et subveniret eosque legum sua-
 rum fraenis coereret, in mala quaeque praecipites laberentur. Cuius
 quidem rei praeter varios eosque quotidianos eventus fidem facere pos-
 sunt vel ipsi domini ac salvatoris nostri apostoli, in quos, priusquam
 induti essent virtute ex alto, indignationem, invidiam de primatu, dissi-
 dium, dubitationem et aliae humanae imbecillitatis et fragilitatis aegri-
 tudines irrepsisse, sacrum testatur eloquium. Quamobrem Christum eo-
 rum magistrum divinis praeceptis, quibus eorum animos instruebat et
 ad vitam sempiternam praeparabat, adhortationes, consilia, obiurgationes
 et solamina plerumque adhaerere oportebat, ut instituta salutis suscipere-
 eam, quam initiavit eis viam bonam, sequerentur et ab eo, qui via, ve-
 ritas est et vita, nullo unquam tempore sese abducerent. Quod si ipsimet
 Iesu Christi apostoli, quos ipse ante mundi constitutionem elegit et in
 temporum plenitudine doctores fidei designavit, orbis terrarum iudices
 instituit, lumina mundi et salem terrae appellavit, columnas ecclesiae,
 et bases veritatis constituit, tot fulcris et adminiculis indigebant, ne viam
 vitae desererent, sed in sancta vocatione persisterent, quid mirum si pro
 continendis in sua professione cuiuscumque instituti viris religiosis ne-
 cesse sit saepius aut novas sancire leges aut neglectas roborare aut obli-
 vioni traditas ad memoriam revocare?

Instituit sane sanctissimus dux et pater noster Dominicus ardentissimo
 coelestium amore captus praedicatorum religionem, quam iis praeceptis et
 ea disciplina formavit, quae illam redderet uti agrum egregie cultum, qui
 in ecclesia Dei uberrimos et praestantissimos fructus proferret, ac certe pro-
 tulit suavissimos. Dum enim fratres nostri ab ea vivendi ratione, quam illis
 sanctus patriarcha praescipsit, non deviarunt, Dominicana familia innu-
 meros propemodum produxit haeretas, qui ecclesiam, qui fidem catholicam,
 qui rem litterariam ornarunt, locupletarunt, nobilitarunt. O felix vitae in-
 stitutum. O beatum ordinem patris nostri Dominici auspiciis, per quem
 Christi ecclesiae tantum lucis, magnitudinis et dignitatis additum est.

Verum cum natura humana prona sit ad malum, et hostis noster bono semini superseminare semper gestiati zizania, paulatim religio nostra a pristino illo splendore, qui totum terrarum orbem illustrabat et admiratione afficiebat, ita decidit, ut si patriarcha tantus viveret, non le-
5 vem profecto deplorandi haberet occasionem. Et cur non commoveretur sanctus pater, videns in hac turbulenta rerum tempestate multos ex filiis suis, nec praelatorum precibus flecti, nec minis cedere, nec admonitionibus emoliri, nec mandatis obedire, nec legibus coerceri? Quot a nobis et a praedecessoribus nostris sancitae leges? Quot admonitiones repetitae?
10 Quot innovata decreta? Veruntamen obsistente bonarum rerum perturbatore parum proficimus, cum plerosque ex fratribus nostris ad meliorem frugem pervenire minime videamus. O deplorandam calamitatem. Domo aliqua ruinam minitante, paterfamilias, servi et quicumque in illa morantur timent, tristantur, subveniunt, reparant et propriis, si possent humeris, eam ne rueret, sustentarent; et nos Dominicanam religionem, in
15 qua vivimus, erudimur, protegimur, innumeris beneficiis cumulamur, non casum denuntiantem, sed fere collapsam conspiciamus et nullus nostrum advertet? Nullus commovebitur? Nullus opem ferre studebit? Nonne ostendimus nos tam pia matris, quae Christo nos genuit ingratos
20 filios, et tantae haereditatis indignos possessores?

Obsecro itaque vos, patres ac fratres dilectissimi, per eum, qui pro nostra salvatione in ara crucis immolari non abnuit, ut vestram erga Deum, erga vestrum institutum, erga vosmetipsos obligationem quandoque cogitetis et ruminemini. Omnes deponamus excusationem, et cum
25 sibi unusquisque nostrum conscius sit, in quibus maxime religionem et illa Deum offendit, communiter eum audiamus monentem. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perverse, discite benefacere, ut per vitae emendationem ac poenitentiae salubrem cursum perveniamus ad indulgentiae tutissimum portum. Dediscamus
30 sola carnalia appetere, de consequendis spiritualibus aliquando cogitemus, a nostris nos cupiditatibus temperemus, commoda propria intermittamus et bono communi ac publico certatim et unanimiter consulamus; repetamus mores, quibus nostrum hoc institutum cepit, crevit et viguit; legibus denique nostris, istis praecipue, quae in iis generalibus
35 comitiis de doctissimorum et probatissimorum patrum iudicio ac consilio editae sunt, colla obedienter et humiliter subiiciamus, ut expulsis a nobis omnibus abusibus et consuetudinibus professioni nostrae contrariis regularis observantiae status in meliorem formam redigatur ac reductus immobilis et inviolatus persistat.

40 Valet.

In nomine domini nostri Iesu Christi, beatæ Mariæ semper virginis beati Dominici patris nostri, omnium sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta, quæ in eodem capitulo 1596 pro conservanda religione, Deo auctore, proponuntur.

Confirmationes.

1. Confirmamus in primis omnes ordinationes factas in duobus immediate præcedentibus capitulis Romano anno 1589 et Veneto 1592, primas tamen, ut in hoc capitulo modificatae fuere; specialiter autem:
 2. Confirmamus tertio ordinationem illam, quod tabulae tres in sacristia asserventur cum litteris processus in Coena Domini, cum casibus vel Romano pontifici vel ordinario loci reservatis et cum anniversariis, ad quæ celebranda quilibet conventus respective tenetur; quibus addetur quarta tabella continens obligationes missarum quotidie vel aliquoties in hebdomada dicendarum.
 3. Confirmamus, quod graduati quilibet ad sequelam chori teneantur, prædicatoribus, lectoribus et magistris in theologia actu legentibus dumtaxat exceptis, pro quibus laudabiles consuetudines provinciarum respective servabuntur iuxta contenta in declarationibus nostrarum constitutionum dist. 1. cap. 1.
 4. Confirmamus et illam ordinationem de capitulo habendo de quindena in quindenam, causis ibi expressis et omnibus notis; quin etiam mandamus id fieri qualibet hebdomada, quando inter reliqua tenebuntur præsidentes culpas subditorum audire unius chori ad minus, ut in sequenti capitulo pro altero satisfiat.
 5. Confirmamus, quod pro voto paupertatis uti decet servando et vitio proprietatis penitus eradican- do sancte statutum fuit potissimum, quod deposita non nisi in moderata quantitate ad determinatum idque breve tempus vel usum concedantur. Et quia præfatam ordinationem minus diligenter a nonnullis observari, quam par sit, intelleximus, alios vero sub prætextu determinati usus suam legis inobservantiam palliare, quasi licitum illis sit longo tempore sub tali prætextu in deposito pecunias habere, quas et pro occurrentibus usibus indifferenter postmodum expendunt, declaramus, intentionem nostram esse, quod ubi praelatus determinaverit, præsentatis sibi a subditis pecuniis, pro quo usu determinato specialiter in deposito asservari debeant, non licere subdito alios usus easdem pecunias expendere nec praelato facultatem eidem ad id tribuere, quem virtute præsentis decreti tali potestate privamus; quare vitium proprietatis incurret subditus huic statuto contraveniens, et vitium usurpatae auctoritatis praelatus, in cuius poenam ab officio absolvi debet. Sciant perinde, qui pecunias undequaque habuerint, teneri infra

terminum viginti quatuor horarum easdem praelato suo praesentare et de eius licentia in communi deposito ponere, ita enim praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto, a qua lege nec praesidentes locorum aut conventuum eximuntur. Declarantes,
 5 quod hospites pariter eidem subduntur legi, ita ut si ultra sex dies in aliquo morabuntur conventu, teneantur quamlibet pecuniarum summam in communi eiusdem conventus deposito reponere nec sine licentia praelati illius conventus, in quo commorantur, pro quibuslibet negotiis aut
 10 occurrentibus necessitatibus expendere poterunt. In eodem enim statu illos circa hoc reponimus, in quo et fratres in illo conventu assignati reperiuntur.

6. Confirmamus et illam, qua omnibus praesidentibus provinciarum, congregationum et vicariarum mandatur, ut curent certam notitiam habere de redditibus tam certis quam incertis omnium conventuum et locorum
 15 suae curae subditorum, et conformiter ad ipsos de graviorum patrum consilio ipsis singulis determinatum numerum fratrum praefigant, ultra quem ad praefatos conventus plures fratres ipsi praesidentes non mittant, ut religiosis necessitatibus eorundem fratrum semper provideri possit, et multa vitentur inconvenientia. Addentes, quod subinde ad re-
 20 verendissimum p. generalem ordinis mittere debeant catalogum omnium conventuum et locorum sibi subditorum, apposito ad ipsorum singulos numero fratrum, quem religiose sustentare possunt una cum numero omnium fratrum, qui praesentialiter in ipsa sua provincia, congregatione vel vicaria modo reperiuntur, ut possit de opportuno remedio iuxta cu-
 25 iuscumque provinciae necessitatem deliberare.

7. Confirmamus ordinationem de examinandis omnibus graduandis, exponendis ad audientiam confessionum, admittendis ad officium praedicationis et mittendis ad sacros ordines suscipiendos; quos omnes per
 30 vota secreta approbari volumus; omnia denique servari, quae in dictis capitulis hac de re sancita fuerunt.

8. Confirmamus secundo, quae statuta fuere circa procuratores Indiarum, qui plures pro una tantum provincia aliquomodo esse non poterunt, sed ubi novus advenerit in capitulo provinciali solummodo instituendus causa, modo et forma, ut in ipsis ordinationibus praecedentium
 35 capitulorum; alter, a quo omnes procuratoris facultates ex nunc pro tunc auferimus, in prima classe cum socio omnino recedat. Novus vero neque secularium negotia tractanda afferet, nec limites suae commissionis, quam in scriptis distincte et explicate non per terminos generales secum deferet, egredietur, nec manum admovebit negotiis, non praemonito reverendissimo p. generali per litteras aut eiusdem reverendissimi generalis
 40 vicario, si id negotia patientur, de quibus et certos ipsos respective red-

dere tenebitur. Quae omnia in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto tam a praelatis quam a subditis respective inviolabiliter servari mandamus. Cum vero ut plurimum occurrat in Hispaniis pro aliqua ipsarum provinciarum Indiarum procuratorem reperiri, qui diligenter et prudenter suae provinciae sciat negotia tractare, eundemque bene notum esse aut esse posse patribus aliarum provinciarum, deberent proculdubio aliae provinciae eidem sua negotia remittere, sicut summe desideramus, hortamur et praecipimus ad evitandos fratrum discursus non sine gravi vitae periculo et magis expensis, quae in consimilibus occasionibus fieri solent. Quando autem videntur ipsamet negotia postulare, ut aliquis de eadem provincia apprime de ipsis informatus mittatur, poterunt talium negotiorum commissiones dari diffinitori ad capitulum generale directo, qui utrunque officium commode et faciliter exequi poterit. Et quia parum iuvaret limites provinciis Indiarum ponere, quod attinet ad procuratores mittendos, si reliquis fratribus liber pateret aditus recedendi ab illis Indiarum provinciis et ad Hispanias veniendi, propterea in virtute eiusdem spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon et sub poena excommunicationis latae sententiae, una pro trina canonica monitione praemissa, mandamus omnibus et singulis fratribus in dictis provinciis existentibus, ne ab ipsis sine magistri ordinis speciali licentia discedere et ad istas se transferre audeant sub quovis praetextu vel colore, procuratoribus vero, ne ultra unum socium sibi a diffinitorio consignatum, quemlibet alium secum ducere praesumant; provincialibus denique, ne vel permittant aut licentiam aliquam ad hunc effectum fratribus concedant, siquidem nec possunt et, quatenus opus esset, talem ab eis auferimus facultatem simul etiam a diffinitorio capituli provincialis. Praeter autem excommunicationem latae sententiae, quam incurrent contrafacientes respective, dabunt et poenas omnes in capitulo gravioris culpaе contentas. Verumtamen ad temerarios, si qui erunt, compescendos, per praesentes reverendis prioribus pro tempore conventuum sancti Pauli Hispalen., sancti Dominici de san Lucar de Barrameda, et sancti Dominici Ulysiponen., in virtute pariter spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub poena absolutionis ab ipsorum officiis districte mandamus, ut omni cum diligentia perquirant, ubi navigia ab Indiarum partibus ad praefatarum civitatum portus respective applicuerint, an fratres aliqui cum eisdem venerint, qui, quotve sint, et si repererint, qua licentia id egerint; et si non fuerint procuratores modo ut supra a provinciis legitime instituti vel reverendissimi p. generalis licentiam non habuerint, omnino in carceres illos coniciant et omnia eorundem bona sequestrabunt, praemissoque examine praefatam censuram ac poenas ipsos incurrisse declarabunt nostra auctoritate, quas et subire cogent nec liberos

illos dimittent, nisi praemonito reverendissimo p. generali vel eius vicario, et per rescriptum intellexerint, quid de illis agendum sit. Porro admodum rr. patribus provincialibus Hispaniarum et rr. prioribus ac praesidentibus sub eodem formali praecepto et poena absolutionis a suis officii ordinamus, ne fratrem aliquem a praefatis Indiis venientem sine approbatione suarum licentiarum ab uno ex tribus prioribus praenominatis s. Pauli videlicet Hispalensis, et s. Dominici Ulysiponensis et s. Dominici de s. Lucar de Barrameda habita et ostensa illos quoquo modo in suis provinciis, conventibus aut locis respective recipere vel detinere audeant, in poenas alioquin taxatas omnino incursum. Interim autem praesidentes omnes provincialiarum aut conventuum sive locorum respective, qui sub sua obedientia aliquos habent fratres, qui a praedictis Indiarum provinciis a duobus annis venerunt, infra terminum unius mensis ab huius decreti publicatione teneantur sub eodem praecepto et poena significare praesidentes conventuum sive locorum provincialibus, provinciales vero reverendissimo p. generali nomina et numerum praefatorum fratrum cum tempore, quo Hispaniam applicuere, a quibus provinciis venerunt, et qua licentia.

Declarationes.

1. Declaramus ordinationes alias factas de approbatione admittendorum ad audientiam confessionum vel promotione ad gradus et consimiles per vota secreta, praemisso examine facienda, intelligi etiam de approbatione eorum, qui ad sacros ordines suscipiendos mitti debent, ita ut ubi examinati isti fuerint, secreta vota sua dent examinatores, quibus tam quoad litteras quam quoad mores iuxta merita approbent vel reprobent eosdem.

2. Declaramus ad difficultates tollendas circa locum in capitulis tam generalibus quam provincialibus, ut in capitulis generalibus debeant provinciales et diffinitores suo tempore respective locum tenere inter se secundum ordinem suarum provincialiarum, nec ullo pacto primum deberi locum provinciali vel diffinitori provinciae, in qua ipsum celebratur capitulum. Idem dicimus de diffinitoribus capituli provincialis, in quo secundum ordinem conventuum priores in diffinitores electi alios praecedent vel subsequuntur, nisi causa magisterii aliquis ipsorum alios non magistros necessario praecedere habeat.

3. Declaramus per haec verba: patres provinciae, in nostris constitutionibus vel earundem declarationibus intelligi non modo illos, qui fuere ipsius provinciae provinciales, verum etiam magistros in theologia rite institutos, qui a provincia fuere acceptati et potiuntur gratiis et privilegiis magistrorum.

4. Declaramus, quod sicut in capitulo generali diffinitorum diffinitores

ipsi locum habent super omnes provinciales, ita et in capitulo generali provincialium socii, qui loco provincialium adsunt, immediate post provinciales iuxta ordinem et antiquitatem suarum provinciarum locum obtinebunt.

5. Declaramus, quod quando contigerit priorem aliquem non alio fine a prioratu, quem tunc habeat, absolvi quam ut possit in priorem alterius conventus confirmari, sicut de more fieri solet, si confirmatio effectum suum non sortiatur quavis de causa, nulla etiam censenda erit absolutio, et poterit in primo sui prioratus officio perseverare, quisquis ille sit. 10

6. Declaramus, poenas omnes privativas in nostris constitutionibus contentas, quando adest clausula « ipso facto », sola facti declaratione incurri, ita ut non possit iudex ipsas minuere in sententia ferenda.

7. Declaramus, declarationem 12 factam in capitulo Barchinonensi anno 1574, in qua dicitur, priorem posse absolvere suppriorum suum, non modo a se institutum, verum etiam a provinciali, intelligendam esse de patrum consilio per vota secreta. 15

8. Declaramus pro provincia s. Antonini de novo Regno, consideratis rationibus coram nobis productis, quod fratres, qui apud Indos in doctrinis reperiuntur, vocem habeant in conventu, in quo sunt assignati. 20

Denuntiationes.

1. Primo denuntiamus ex speciali divina erga religionem nostram benignitate et clementia a sanctissimo domino nostro Clemente VIII de anno domini 1594 dominica in octava paschae, quae fuit 17 aprilis, solemniter in ecclesia s. Petri in Vaticano relatum fuisse inter sanctos b. Hyacinthum Polonum, qui a beatissimo patre nostro d. Dominico religionis nostrae habitum susceperat, et eandem religionem in partibus septentrionalibus feliciter plantavit, prudenterque rexit per longum temporis spatium; eius vero festum 16 augusti immediate post festum assumptionis beatissimae virginis Mariae debere celebrari a praefato summo pontifice statutum. Quare sub toto duplici illud celebrari per totam nostram religionem mandamus, habeatque suas octavas, prout habent alii sancti ordinis nostri. 25

2. Denuntiamus eiusdem divinae bonitatis erga nos clementia, ut favores favoribus et gratiae gratiis addantur, promoveri nunc negotium canonizationis in Romana curia b. Raymundi de Pennaforti, tertii generalis ordinis, favore etiam regiae et catholicae maiestatis, quod negotium cum pro suo zelo et in sanctos omnes praecipua devotione benigne complectatur summus pontifex, brevi ad desideratum finem perventurum speramus; potissimum iis diebus, quando novae factae fuerunt informationes super eius sanctitate et miraculis ex commissione eiusdem summi 35 40

pontificis, apertumque ipsius sepulchrum in ecclesia nostra sanctae Catharinae de Barchinona, novis illum dominus miraculis illustrare dignatus fuerit; inter quae non minimum, quod odoris mira fragrantia eius ex tumulo sacrisque reliquiis dimanavit, quae magnum gaudium et consolationem praebuit. Quare hortamur omnes religionis nostrae fratres, ut non modo non praetermittant orationes a reverendissimo p. generali pro tanto opere per privatas litteras impositas, verum etiam novas addere velint, ut divina maiestas dignetur a nobis per huius beati canonizationem laudari et in ipso glorificari.

3. Denuntiamus, emanasse bullam a sanctissimo domino nostro Clemente VIII de largitione munerum regularibus interdicta, quam sanctitas sua iubet in ipsorum regularium constitutionibus respective inseri debere; quare ea qua decet reverentia et humilitate ipsam recipiendo, in actis praesentis generalis capituli iussimus registrari; cuius tenor subsequitur.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS
ET DOMINI NOSTRI DOMINI
CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE VIII
CONSTITUTIO
DE LARGITIONE MUNERUM
UTRIUSQUE SEXUS REGULARIBUS INTERDICTA.

*Clemens episcopus servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.*

Religiosae congregationes ab insignibus sanctitate viris spiritus sancti afflatu institutae tantas ecclesiae Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas et instaurandas Romani pontifices praedecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio et natura, ut etiam quae optime fundata et constituta sunt, partim hominum imbecillitate et ad malum proclivitate, partim daemonis astutia paulatim deficient ac, nisi cura per-
vigili sustententur, in deterius prolabantur, idcirco summorum pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut regularium ordinum disciplina aut labefactata in pristinum restitueretur aut salutaribus constitutionibus communita integra atque incolumis permaneret. Quorum nos vestigiis pro eodem officii munere insistere et pastorem illorum sollicitudinem, quantum possumus, divina adiutrice gratia cupimus imitari. Quare ne ex muneribus, quae a pluribus religiosae vitae professoribus ex Christi patrimonio quibusvis hominibus quavis ex causa saepe tribuuntur, gravia incommoda et mala etiam boni speciei existant, praecavere studentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione universis et singulis cuiuscunque

ordinis mendicantium vel non mendicantium bona immobilia et redditus certos ex indulto apostolico possidentium, seu cuiusvis congregationis, societatis et instituti, non tamen militiae, regularibus personis utriuslibet sexus omnem et quamcunque largitionem et missionem munerum penitus interdici- 5 mus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia et singula capitula, conventus et congregationes tam singulorum conventua- lium, monasteriorum, prioratuum, praepositarum, praeceptoriarum, do- morum et locorum quam provincialia aut generalia cuiuslibet provinciae sive universi ordinis, societatis aut instituti, eorumque vel earum came- rarios, commissarios et quoscunque officiales et singulares personas, ipsos 10 etiam ordinum, congregationum et societatum huiusmodi superiores quas- cumque dignitates obtinentes, etiam generales et provinciales, magistros, ministros et quocumque nomine praefectos, necnon conventuum, mona- steriorum, prioratuum, praepositarum, praeceptoriarum, domorum et locorum quorumque abbates, priores, praepositos, praeceptores etiam ma- iores guardianos, ministros, rectores atque abbatissas, priorissas et alio 15 quovis titulo praesidentes tam ipsis regularibus quam locorum ordinariis seu quibusvis superioribus subiectas utriuslibet sexus ad vitam vel ad tempus deputatos adeo, ut nemo unquam eorum vel earum directe vel indirecte, palam vel occulte, tam communi quam particulari et proprio 20 nomine, etiam sub quovis statuti vel consuetudinis seu verius corruptelae aut alio praetextu vel quacunque causa, nisi in generali capitulo aut alia generali congregatione re mature discussa unanimi consensu omnium su- periorumque permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat. 25

Id autem ita absolute et generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas sit quicquam donare tam ex fructibus, redditibus et proven- tibus, collectis vel contributionibus aut oblationibus sive eleemosynis aut subsidiis certis vel incertis, ordinariis seu extraordinariis mensae seu mas- sae communis vel cuiusvis fabricae et sacristiae, quorum bona commu- 30 niter, ut praefertur, administrantur, seu quae rationibus reddendis sunt obnoxia quam ex pecuniis etiam, quae a singulis quovis modo acqui- sitae in commune conferendae omnino sunt, nec si per viam voluntariae contributionis in commune congerantur, nec si forsitan privatim et no- minatim cuilibet religioso a suis superioribus vel a propriis affinibus, 35 propinquis, familiaribus, amicis aut benevolis vel a piis christifidelibus etiam eleemosynae aut charitatis et illius propriae personae intuitu at- tributae seu quoquo modo per quemlibet religiosum suo monasterio, do- mui aut loco acquisitae, eique ut ad libitum de eis disponat, per supe- riores concessae fuerint, praeterquam leviora esculenta aut poculenta seu 40 ad devotionem vel religionem pertinentia munuscula communi tantum,

numquam vero particulari nomine, ubi superiori de consensu conventus videbitur, tradenda.

Sed et huiusmodi missiones munerum ipsis religiosis utriuslibet sexus non solum per se, verum etiam per alios tam directe quam indirecte
5 prohibitas declaramus.

Neque vero quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit cuivis personae laicae vel ecclesiasticae cuiuscunque status, gradus, dignitatis, ordinis vel conditionis, et quavis non solum mundana et ducali, regia, imperiali, verum etiam ecclesiastica
10 et pontificali aut alia maiori, etiam s. Rom. eccl. cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci ordinario, etiam ex causa et occasione benedictionis vel susceptionis habitus regularis, tonsurae aut professionis monialium, tam sibi subditarum quam non subditarum, aut ipsi etiam
15 proprio ordinis vel congregationis protectori, viceprotectori, generali vel provinciali aut cuiusvis monasterii, prioratus, domus aut cuiuslibet alterius loci regularis superiori, aut alio quocunque officio, munere aut dignitate fulgenti, vel cuicunque etiam simplici et particulari religioso, ita ut inter ipsos quoque religiosos, ne prava ambitione impulsus pro consequendis in sua religione gradibus et dignitatibus alter alterius gratiam
20 aut benevolentiam aucupetur, quaecunque largitio aut donatio munerum nisi rerum minimarum de licentia expressa et in scriptis superiorum sit penitus interdicta.

Insuper prohibemus, ne unquam eisdem regularibus liceat ullas pecunias quoquo modo erogare in alicuius etiam benefactoris aut protectoris vel ordinarii honorem, etiam occasione transitus vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam gratique animi testificationem, seu pro praedictis personis quavis auctoritate vel dignitate fungentibus honorifice, laute et opipare excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem aut cuivis alteri quacunque occasione vel causa exhibendis, vel pro commensationibus aut computationibus quibusvis personis
30 tam eiusdem ordinis, congregationis, monasterii, domus aut loci quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis etiam piis intra ecclesias, monasteria et domos sacras seu pias vel extra eas, in quibusvis publicis aut privatis, sacris aut profanis locis, etiam ubi sanctorum et sanctarum vita aut res pie gestae, etiam in memoriam passionis dominicae populis spectandae proponuntur, aut alias in praedictis sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam et ostentationem aut ad oblectationem vel paucorum lucrum et privata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsa pro divino cultu et veris Christi pauperum indigentibus, servato in hoc charitatis ordine et habita necessitatis ratione, de
40 consilio et consensu superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis et

per capitulum generale aut provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsitan praescriptam non excedentibus sumptus huiusmodi fiant.

Declarantes tamen per haec laudabilem et apostolica doctrina sacrisque canonibus commendatam hospitalitatem praesertim erga pauperes et peregrinos nequaquam immiui aut probiberi. Quinimo si qui red- 5
ditus ad id vel ex fundatione vel ex institutis, statutis aut consuetudinibus aliquorum monasteriorum, ordinum aut regularium huiusmodi locorum aut ex testatorum vel donantium voluntatibus sive alias applicati aut donati sunt, eos omnino, ut decet, integre in usus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, et praesertim in monasteriis seu locis desertis 10
et ab laicorum aedibus longius remotis, ubi tamen pauperum et vere egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos vero ditiores occasione transitus sive alias ex devotionis aut necessitatis causa eo divertere contigerit, eos sane deceret refectorio communi cum religiosis mensaque et ferculis communibus nequaquam a 15
caeteris distinctis contentos esse, verum omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas et paupertas religiosa prorsus eluceat.

Pari etiam ratione districte inhibemus, ne quispiam ex praedictis laicus alias, quam ut superius dictum est, vel clericus saecularis vel regularis quocumque honore, praeceminentia, nobilitate aut excellentia, etiam 20
S. R. E. Cardinalatus dignitate praeditus, etiam protector, viceprotector, loci ordinarius, praelatus, generalis, provincialis, aut monasterii, domus vel loci cuiuslibet superior eorumve affines, propinqui, familiares aut ministri utriuslibet sexus quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant. 25

Quod si vel ab aliquo particulari religioso vel a superiore quopiam generali, provinciali aut alio quocumque officio fungente, aut a conventu, capitulo vel congregatione, sive ab universo ordine et religione quicquam 30
repperint, id quod acceperint, suum non faciant, verum ipso facto absque aliqua monitione iudicis decreto, sententia aut declaratione ad illius restitutionem omnino in utroque foro teneantur, adeo ut restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiae absolvi possint.

Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei religioso, qui donavit, sed ei monasterio, domui vel alteri loco, de cuius bonis 35
facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius capituli, conventus aut congregationis vel universi ordinis seu religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensae aut massae, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita ut nec qui donavit, nec conventus, 40
capitulum, congregatio, ordo aut religio, cui restitutio facienda est,

illam remittere et iterum condonare aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquo modo possit.

Quod si quis ex supradictis regularibus utriuslibet sexus cuiuscunque
5 gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus coniunctim
cum caeteris seu divisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statuto-
rum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor
fuerit, statuimus, ut omnibus et singulis per eum obtentis dignitatibus,
gradibus, muneribus et officiis eo ipso privatus ac ad illa et alia similia
10 vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuo et incapax ac per-
petua infamia et ignominia notatus existat, et praeterea privationem vocis
activae et passivae absque ullo superioris decreto aut ministerio ipso facto
incurrat, necnon ultra huiusmodi poenas etiam tanquam contra furti et
simoniae criminum reum, tam per viam denuntiationis, accusationis aut
15 quaerelae quam etiam ex officio procedi et inquiri, condignisque suppli-
ciis affici debeat.

Poenis aliis a iure statutis ac per alias constitutiones apostolicas aut
propria cuiusvis ordinis, congregationis, monasterii, domus aut loci sta-
tuta vel consuetudines contra personas aliquid praemissorum commit-
20 tentes forsitan decretis et inflictis nihilominus in suo robore permansuris.

Quocirca universis et singulis modernis et pro tempore existentibus
locorum ordinariis eorumque vicariis et officialibus necnon quorumcun-
que ordinum, prioratum, monasteriorum et domorum superioribus,
etiam generalibus seu provincialibus caeterisque, ad quos spectat, per apo-
25 stolica scripta mandamus, quatenus ipsi et eorum singuli, quantum ad
eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate et vigilantia praesentem
constitutionem firmiter et inviolate observari, et contra inobe-
dientes vel transgressores condignis poenis animadverti. Eisdem inobe-
dientes necnon contradictores quoslibet et rebelles per opportuna iuris et
30 facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc,
si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus constitutionibus
et ordinationibus apostolicis dictorumque monasteriorum, prioratum,
domorum, locorum, necnon ordinum, congregationum, collegiorum iu-
ramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, sta-
35 tutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis
quorumcunque tenorem existant, per quae praesentibus non expressa vel
ad verbum non inserta effectus praesentis nostrae constitutionis impediri
quomodolibet valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus
habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quae omnia quatenus
40 praemissis in aliquo adversentur, prorsus tollimus et abrogamus, caete-
risque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut praesentes literae in valvis s. Ioannis Lateranen. et principis apostolorum de Urbe basilicarum et in acie Campi Florae publicentur, affixis inibi earum exemplis et dimissis. Quodque earum exempla seu illorum compendia in libris quorumcunque statutorum praedictorum monasteriorum, prioratum, collegiorum, domorum, ordinum 5 et congregationum, quoad moniales in vernaculum et vulgarem cuiusque religionis sermonem versa, et a loci ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur et saltem quotannis in capitulis sive congregationibus cuiusque earum alta et intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexaginta dies a die publicationis, ut praefertur, in Romana 10 curia facienda unumquemque citra montes, ultra montes vero post quatuor menses perinde arcent et afficiant, ac si cuique personaliter intimatae et per eos iuratae fuissent.

Quodque earum transumptis, etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsi- 15 gnatis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si 20 quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae in monte Quirinali anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, tertio decimo kal. iulii pontificatus nostri anno tertio. 25

L. Card. PRODAT.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

A. DE ALEXIIS.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto indictione septima, die vero secunda mensis iulii pontificatus sanctissimi in Christo patris et d. n. d. Clementis divina providentia papae octavi anno tertio. 30

Retroscriptae literae publicatae et affixae fuerunt in valvis basilicarum s. Ioannis Lateranensis et s. Petri principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis affixis, ut moris est, per nos Prosperum Spada et Franciscum de Bonis eiusdem S. D. N. cursores. 35

GABRIEL SAVARELLUS Magister Cursorum.

Ut autem innotescat fratribus, quibus ex causis praelatorum suorum iudicio decernendis munera iuxta tenorem praefatae bullae elargiri secularibus valeant, declaramus unanimiter et nemine discrepante ex una trium causarum id licere: prima est gratitudo, secunda conciliatio be- 40

nevolentiae aut eiusdem conservatio in ordine tamen ad religionem vel conventum, vel in ordine ad se respectu finis boni, tertia pietas in parentes et consanguineos usque ad quartum gradum inclusivè. Iuxta praedictam ergo declarationem damus facultatem omnibus religiosi nostri
5 ordinis utriusque sexus, ut possint dare munera ob praedictas causas, quas, sintne verae et subsistentes, praesidentes provinciarum, conventuum et locorum respective iudicabunt. Quam facultatem extendimus ad moniales, quarum praelati has easdem causas, an sint subsistentes, exami-
10 nabunt. Nihil de quantitate determinamus, sed pro personarum qualitate, loco et tempore pensandum relinquimus, monentes omnes tam subditos quam praelatos, ut rationabilem quantitatem non excedant, sed quam maxime caveant, ne contra praedictae bullae intentionem aliquid agant. Et insuper reverendissimus pater cum toto diffinitorio concedit omnibus
15 et singulis diffinitoribus, ut unusquisque ad hoc iudicium ferendum circa ea, quae dare voluerint, sint ipsi iudices causarum examinandarum quasi praelati. Diffinitorium etiam huius capituli generalis licentiam concedit reverendissimo patri generali, ut ipse tribuere possit ea, quae sibi secundum causas praedictas viderit expedire.

4. Denuntiamus, provincias nostras Graeciae et Dalmatiae, quod vel
20 ad paucissimum numerum conventuum sint redactae vel nulla in eis regularis vitae observantia conspiciatur, ad quam nec per quamlibet superiorum diligentiam reduci aliquo pacto potuere, quin potius contra eosdem superiores diversos tumultus et strepitus concitaverunt, utque se ab eiusdem etiam supremi capitis ordinis obedientia subtraherent modis
25 indebitis cum recursu etiam ad tribunalia secularia respective procuraverunt, provinciae titulo privatas fuisse, sicut et praesenti decreto privamus et vicarias instituimus ipsarumque provinciales, si qui modo sunt, vicarios earundem esse declaramus; quibus districte iniungimus, ut omni cura bono ipsarum regimini superintendant, quatenus ad meliorem frugem,
30 prout desideramus, reduci possint.

5. Denuntiamus, pluribus de causis mature valde ab ipso diffinitorio consideratis, sancitum fuisse, ut conventus nostrae provinciae Poloniae, qui in provincia Russiae continentur, cum nonnullis aliis nominandis in novam erigerentur provinciam a provincia Poloniae seiunctam, quae diceretur et esset provincia s. Hyacinthi de Russia, sicuti praesenti decreto
35 erigimus et instituimus cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus aliae ordinis nostri provinciae rite institutae gaudere solent et consueverunt, dantes illi in provincialem admodum rev. p. magistrum fr. Antoninum Praemisliensem (1) cum omni auctoritate solita dari provincialibus rite

(1) De fr. Antonino Praemislien. cf. supra pag. 309, 344.

instituti conformiter ad leges et constitutiones nostras. Omnibus autem, qui huiusmodi conventuum administrationem habuerunt sive regimen, et non reddita ratione suae administrationis ab ipsis recesserunt et ad provinciam Poloniae se transtulerunt, vel bona aliqua ad praefatos conventus vel loca spectantia alio asportaverunt, mandamus in virtute spiritus sancti 5 et sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae una pro trina canonica monitione praemissa, ut infra terminum quindecim dierum, quorum quinque primos pro primo, secundos pro secundo, tertios pro tertio et ultimo peremptorio termino assignamus, teneantur se praesentare rev. patri provinciali praefatae provinciae s. Hyacinthi de 10 Russia rationem reddituri, pariterque restituere sive per seipsos sive per alios quaecumque quomodolibet ut supra per se sive per alios oblata sive translata fuissent. Porro fratribus omnibus ad praefatam provinciam spectantibus, qui ad provinciam Poloniae se transtulissent, sub eodem formali praecepto et sub eadem excommunicationis latae sententiae poena 15 sub eisdem terminis mandamus, ut infra praetaxatum tempus ad conventus praefatae provinciae s. Hyacinthi de Russia se transferre debeant in eo loco mansuri, in quo eiusdem provinciae provincialis eosdem collocaverit. Provincialis autem provinciae Poloniae ita haec omnia executioni mandare curabit, nec ullo pacto impediet, aut alios impedire per- 20 mittet, quod in virtute sanctae obedientiae eidem, ut faciat, iniungimus. Nomina autem conventuum, qui provinciae s. Hyacinthi de Russia adscripti fuerunt, litterae patentes de praedictis omnibus ad patrem provincialem dictae provinciae s. Hyacinthi a reverendissimo patre generali quamprimum mittendae continebunt. 25

6. Denuntiamus, quod in capitulo generali Veneto anno domini 1592 in provinciam erecta fuit congregatio nostrorum fratrum, qui in insulis Philippinis commorantur pro infidelium conversione, sub titulo beatissimae Virginis de Rosario, etsi postmodum in eiusdem capituli actis tale decretum registratum non fuerit. 30

Ordinationes.

Ordinamus, ut sacerdotes omnes sacrum facientes ad illa verba symboli « Et homo factus est » pariterque ad illa evangelii « Et verbum caro factum est » genua flectere debeant, quod et alii fratres missam audientes facere debebunt, ut maiori qua possunt humilitate Deo gratias 35 referant de tam insigni beneficio.

2. Ordinamus, ut quaecumque ss. nomen Iesu et beatissimae virginis Mariae matris eius sive in choro sive extra nominari contigerit, teneantur fratres caput discooperire illudque reverenter inclinare; quod et facient, ubi vel in hymnis vel responsoriis vel quomodolibet aliter 40 mentio habebitur effusi sanguinis redemptoris nostri pro communi nostra

salute, ut puta « Quos sanguine mercatus es » vel « proprio sanguine redemisti » etc. Ad illa autem verba cantici « Te Deum » « Te ergo quaesumus tuis famulis subveni » etc. reverenter genua flectent, uti alias decretum fuit. Ad evangelium autem, quod dicitur in preciosa, stabunt
5 fratres capite discooperto.

3. Ordinamus, quod totum beatae virginis Mariae specialis ordinis nostri advocatae et patronae officium in choro statutis temporibus dicatur praeter matutinas, quae in dormitorio recitari solent, et priores, qui quovis respectu completorium vel alias horas in quolibet alio loco etiam
10 publico non in choro recitari fecerint, in poenam a suis officiis absolvantur.

4. Ordinamus, ut in omnibus collectis tam in officio quam in missa, in quibus fit mentio b. Dominici, addantur haec verba « Patris nostri ».

15 5. Ordinamus, ut concionatores tam in quadragesima quam per annum in nostris ecclesiis concionantes non possint aliud evangelium praedicare aut populo declarare in concionibus, nisi quod pro tunc in missa a nobismetipsis recitatur secundum rubricas missalium reformatorum ordinis nostri. Contrarium vero facientes arbitrio superiorum puniantur et
20 officio praedicationis priventur.

6. Ordinamus vel potius ad memoriam reducimus, quod saepe sancitum fuit, de uniformitate caeremoniarum in sacro faciendo, de omnibus praetermittendis, quae in missalibus nostris scripta non sunt, ne a sacerdotibus dicantur, de non celeriter valde aut morose nimis missam recitando. Addentes, quod cum non pro nobismetipsis solummodo, sed et
25 pro astantibus missa dici debeat, sicuti nec alte nimis ita nec nimis submisse, sed voce mediocri et devota, ut astantes intelligere possint, dicenda est; secretae vero silenter, Kyrie autem sacerdos cum inserviente alternatim dicere debet.

30 7. Ordinamus libertati vocalium consulentes, ut in posterum tam in receptione ad habitum quam ad professionem sive fratrum sive monialium vocales ipsi vota sua secreta dare debeant.

8. Ordinamus neminem a quacunque religione expulsum ad habitum nostrum recipi posse. Quod si receptus fuerit, praeterquam quod
35 graviter punientur recipientes, receptio pro nulla habeatur sicuti et professio, si quae postmodum fuerit subsecuta, et certior factus superior de praefata expulsionem talem religionis nostrae habitu exutum ad seculum remittat.

9. Ordinamus, quod nullus ad sacros ordines suscipiendos mitti
40 possit, nisi ad minus tres annos habeat completos a professione, ad diaconatum nisi quatuor; ad sacerdotium vero nisi quinque.

10. Ordinamus apostolica auctoritate neminem in posterum in quavis electione canonica vocem tam activam quam passivam habiturum, qui duodecimum annum a professione non compleverit, in provinciis autem Indiarum octavum ad minus.

11. Ordinamus, ut possibilis adhibeatur diligentia, ne in conventus 5 et prioratus erigantur loca, quae postea taxatum numerum fratrum iuxta nostras constitutiones sustentare nequeunt; ut in posterum nulla domus in prioratum erigatur aut erecta intelligatur, quantumcunque concessio quaelibet facta fuerit, nisi per annum integrum ante duodecim fratres religiose aluerit et pro religiosis necessitatibus plane providerit. 10

12. Ordinamus et sub poena gravioris culpae mandamus tam fratribus quam monialibus in aliqua electione vocem habentibus, ne de illa ante diem unam naturalem loqui sive tractare possint; reliquis vero vocem in ipsa non habentibus sive conversi aut conversae sive clerici aut velatae sint respective, ne verbo vel scripto per se vel per alios quoquo 15 modo de ipsa se intromittere audeant. Praelatis autem in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub poena absolutionis a suis officiis iniungimus, ut praetaxatam poenam contrafacientibus infligere debeant.

13. Ordinamus, quod conventibus, qui non habent quinque vocales ad minus, providere de priore debeat admodum rev. pater provincialis 20 sine praevia electione, hoc ordine servato, videlicet quod si provisio facienda erit in provinciali capitulo, in diffinitorio eiusdem capituli tres aut quatuor personas, quae sibi ad tale munus obeundum aptae videbuntur, ipsis diffinitoribus proponat, ipsorumque sententia per vota secreta circa praefatos omnes expectata, illum qui ultra medietatem plura 25 vota habeat, in priorem conventus, cui providendum erit, praeficiet. Admonemus autem tam proponentem quam vota ferentes, a quibus provincialem non excludimus, ne humano respectu moti indignum contra conscientiam promoveant, secundum quam ut se regant, in virtute sanctae obedientiae sub formali praecepto ipsis iniungimus. Si vero extra 30 capitulum de priore providere alicui conventui necesse erit, prout saepe saepius continget, provincialis, vocatis ad se quatuor vicinioribus prioribus, eisdem ut supra tres vel quatuor proponat sub eadem praecepti formalis obligatione, sub qua et ipsi tenebuntur secundum conscientiam suam ipsos per vota secreta admittere vel excludere, secundum quod 35 dignos vel indignos iudicabunt; et qui ipsorum plura ultra medietatem vota habeat, dabitur in priorem conventus, cui erit providendum. Provisionem interim quantocius facere debet provincialis ad evitanda damna, quae ex absentia priorum incurrere solent conventus, circa quod ipsorum conscientias aggravamus. 40

14. Ordinamus in provincia utriusque Lombardiae praeter praedicta

ad ipsius petitionem, quod nullus possit gratis et privilegiis magistrorum in eadem potiri, qui baccalaureatus officio expleto in studio Bononiensi officium regentis in eodem exercere non inceperit.

15. Volentes omni meliori modo possibili studiorum profectui consulere ordinationibus in praeteritis generalibus capitulis factis circa studiorum promotionem et debitam officialium pro eisdem provisionem ac graduationem, quas omnes confirmavimus et denuo confirmamus, addimus, quod nullus poterit non modo in lectorem assumi, non praemisso examine, sed nec in magistrum studentium vel baccalaureum pro quacunque universitate aut generali studio totius ordinis nostri nullo prorsus excepto. Porro horum examinatores esse debent prior conventus, ubi est consuetudo, quod huiusmodi examinibus interveniat, regens et baccalaureus praecedens cum tribus aliis magistris, si haberi poterunt, vel baccalaureis, ita ut quinque omnino sint examinatores. Quod si numerum praefatum adimplere nequiverint magistri et baccalaurei, lectores aliqui theologi ad arbitrium provincialis assumuntur. His autem examinatribus in virtute sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae mandamus, ne odio vel amore aliquem a praefatis officiis et gradibus excludant vel admittant respective, sed pro conscientia vota sua secrete ferant. Sub eodem formali praecepto et excommunicationis latae sententiae poena mandamus superioribus, ne quempiam ad praefata officia vel gradus, non praevio examine et approbatione ut supra promovere vel exponere possint respective, non obstante quod id hactenus servatum non fuerit in tali vel tali provincia, aut quod consuetudo quomodolibet contrarium habuerit; irritum decernentes, si quid in contrarium contigerit attentari.

16. Ordinamus pro provincia utriusque Lombardiae ad eius petitionem, ut in monasteriis monialium nulla priorissa suo prioratus officio expleto ad idem reeligi possit ante quadriennium completum.

17. Ordinamus, ut nullus recipiatur conventus, qui libere superiorum dispositioni non relinquatur conformiter ad leges et constitutiones nostras; et si secus factum fuerit, irritum sit et nullum.

18. Ordinamus, quod loca omnia, in quibus ad minus quatuor fratres clerici morari non possunt, deferantur et renuntientur, sicuti praesenti decreto nos illa renuntiamus, excipiendo desolatas provincias et existentes in partibus Indiarum ob causas nobis bene visas, et loca illa quae serviunt pro hospicio in itinere.

19. Ordinamus, quod si aliqui fratres reperti fuerint, qui alicui extra ordinem summam pecuniarum per notabile tempus debeant, vel de quibus creditores conquerantur, activa passivaque voce per superiores privari debent, et nihilominus carceri, quousque debitum solverint, mancipari.

20. Ordinamus et in virtute sanctae obedientiae et sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae et omnibus poenis quomodocumque in capitulo gravioris culpae contentis districte mandamus, ne quis religionis negotia, sive fratrum sint sive monialium, quoquomodo deferre audeat directe vel indirecte per se vel per alios ad 5 tribunalia extra ordinem. Quod si qui fecerint, id scientes sub eodem formali praecepto et excommunicationis latae sententiae poena admodum rev. p. provinciali vel priori infra terminum duodecim dierum, hac una pro trina canonica monitione praemissa, quorum quatuor primos pro primo, quatuor secundos pro secundo, et quatuor tertios pro tertio et 10 ultimo peremptorio termino assignamus, denuntiari teneantur. Superior vero admonitus sub eodem pariter praecepto et excommunicationis latae sententiae poena infra terminum ut supra, praemissis praemittendis, poenam transgressoribus supra taxatam infligere omnino tenebitur.

21. Ordinamus, quod nullus in posterum immediate ad habitum 15 conversorum recipiatur, sed tertiarii primo fiant quicumque laicorum habitum a religione petierint, ut per quadriennium ad minus in habitu tertiariorum probari possint, eorumque mores experiri ac dignosci, an scapulari donandi sint necne. Praelati, qui contrafecerint, in poenam a suis officiis absolventur, et nihilominus tam receptio quam professio, si 20 fuerit subsecuta, nulla erit.

22. Ordinamus, ut conversi rasurae subiiciantur, ita ut circulus eis fiat super aures, qui aliquantisper a posteriori parte declinet per digitum. scilicet. Qui vero se hoc modo accommodare non fecerit, pro qualibet vice per mensem scapulari privetur a priore, nec ante ei possit restitui. 25 Porro a titulo paternitatis et reverentiae vel patris abstinebunt fratres reliqui cum ipsis tractantes sub poena sedendi in terra sine pictantia in pane et aqua pro qualibet vice. Si vero hac de causa contigerit, nolle ipsorum conversorum aliquem requisitum ministrare fratribus in iis, quae ad suum spectant officium, referat id frater superiori, qui sub poena 30 absolutionis ab officio tenebitur talem vel tales scapulari per mensem irremissibiliter privare.

23. Ordinamus ad tollenda omnia fratrum subditorum gravamina vera vel praetensa, quod provinciales quarumcunque provinciarum et vicarii congregationum sive vicariarum expleto officio sui regiminis de- 35 beant subire iudicium suae administrationis hunc in modum videlicet: quatuor diffinitores capituli electionis sui successoris vocabunt ad diffinitorium ex vocalibus illius capituli primo patres, qui fuerunt provinciales eiusdem provinciae, deinde antiquiores magistros in capitulo existentes, ita ut senarius numerus compleatur, cui addito quaternario ipso- 40 rum diffinitorum resultabit numerus denarius. Hi itaque decem tenebuntur

singuli duos patres de praesentibus in capitulo, ad id magis aptos et idoneos in ipsorum conscientia secreto et per schedulas nominare, prout in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praeecepto ex nunc prout ex tunc illis facere mandamus. Hae autem omnes schedulae
 5 in vas aliquod mittentur, inde sorte una extrahetur, et in illa nominatus pater iudex erit ad quaerelas audiendas et examinandas contra provincialem praeteritum. Extrahentur et aliae duae, in quibus nominati patres praefati iudicis consultores habebuntur pro sententia dumtaxat ferenda cum assistentia provincialis noviter electi et pro discernendo, an ultra
 10 tempus capituli quandoque durare debeat praenominati iudicis auctoritas, causa capiendi aliquas informationes extra locum capituli, quae an necessario sumi debeant necne attenda negotii qualitate, videbunt ipsi una cum provinciali electo ut supra, pariterque terminum iudici praefigent, intra quem eas accepisse debeat et ad sententiam venire. Excipiuntur ab
 15 hoc modo iudicii superiores quilibet absoluta auctoritate a reverendissimo p. generali vel eius vicario, apostolico etiam interveniente indulto, dati et instituti, quibus eiusdem reverendissimi patris generalis aut illius vicarii erit iudicem praescribere, cui rationem reddere teneantur.

24. Ordinamus, quod de caetero provinciales neque per se neque
 20 per alios in cellis vel quomodolibet secrete fratres ad habitum recipiant, sed publice in capitulo id facere teneantur, quando si fratrum vota non requisierint et sic receptum in alio conventu profiteri contigerit, non primi sed eius, in quo professionem fecerit, filius dicetur et erit.

25. Ordinamus in nostra provincia Aragoniae, ut et aliqua ratio conventuum, qui sunt in insulis Balearibus, Sardiniae et Ivicae haberi videatur, et graviore ac religiosore patres ad illos regendos se transferant libentius, quod in capitulis provincialibus eiusdem provinciae unius diffinitoris locus eisdem concedatur, ita ut pro uno regno contra distincto contra regnum Aragoniae, Cataloniae et Valentiae, quibus singulis unus
 30 datur diffinitor, computetur.

26. Ordinamus pro insulis Fortunatis, ut vicarii, qui mittuntur ad illos conventus regendos, non durent ultra quadriennium, nec possint ab illis insulis discedere aut officium relinquere, nisi prius advenerit vicarius noviter institutus, cui suae administrationis rationem reddere tenebitur, et ipse in conventuum visitatione perquirere, quam bene suus se
 35 habuerit praedecessor in regimine, fidelemque relationem quantotius ad admodum rev. p. provincialem provinciae Bethicae transmittere. Item cum praedicatoribus verbi Dei indigeant, ut praedicatores generales pro ipsarum conventibus instituti ad eosdem conventus se transferre omnino
 40 debeant, ut illis inserviant, quorum respectu, titulis et privilegiis sunt decorati, vel honorem cum onere aliis relinquunt.

27. Ordinamus, cum angustus valde sit noster conventus de la Havana in nostra provincia sanctae Crucis Indiarum, ita ut difficulter capere possit fratres inibi ordinarie morantes et multo minus hospites a provinciis Indiarum ad Hispanias pro suarum provinciarum negotiis trans-euntes, qui tamen non possunt ad eundem conventum non declinare et diutius quandoque ibi manere, quod singulae Indiarum provinciae teneantur eidem conventui contribuere sumptus pro una saltem cella erigenda. 5

28. Ordinamus pro provincia Mexicana ad eius petitionem, quod in conventu s. Dominici de Mexico eiusdem provinciae habeatur quotidie lectio sacrorum bibliorum, quam per biennium ad minus audire teneantur fratres, antequam conciones in civitatibus Hispanorum habere possint. 10

Admonitiones.

1. Admonemus magistros omnes, baccalaureos et lectores, ut memores sint eorum, quae habentur in declaratione nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 14. de studentibus § 1. verbo: circa studentes circa doctrinam gloriosissimi doctoris nostri angelici d. Thomae Aquinatis, quam legere, declarare, sustentare et defendere tenentur; contrarium vero facientes in poenam debent suis officiis et gradibus privari et ad omnia alia in posterum inhabiles reddi, sicuti praesenti statuto privantur et inhabiles redduntur. Pariter et concionatoribus sub eisdem poenis mandamus, ne aliquid contra eandem doctrinam populis proponere audeant. 20

2. Admonemus, neque provinciales neque capitulorum provincialium diffinitoria auctoritatem aliquam habere ad promovendum aliquem ad gradum baccalaureatus, multo minus magisterii, nec ad licentiandum, ut quis legat pro gradu et forma, aut praefatam lecturam approbandi, sed tantummodo simpliciter exponendi generali capitulo aut ipsimet reverendissimo generali, ut clare in nostris constitutionibus dist. 2. cap. 14. continetur; quare quidquid in contrarium fuit de praeterito attentatum, id totum irritum est et nullum, sicuti irritum et nullum erit, etiam si quid in futuro contigerit attentari. Talesque sic promotos vel licentiatos nullo titulo magistrorum vel baccalaureorum, multo minus eorundem privilegiis potiri praelati permittant, quod in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto illis mandamus. Expositi perinde a qualibet provincia aut petiti pro baccalaureis vel magistris, quousque ad tales gradus per generale capitulum vel per reverendissimum patrem generalem fuerint promoti, nullo pacto baccalaurei vel magistri nominentur, locumve talibus gradibus debitum sibi usurpent; nam praeter quod provinciales, ne id faciant, inhibere sub eodem formali praecepto debent; inhabiles nihilominus eos praesenti statuto declaramus ad eodem gradus in posterum consequendos. 30 40

3. Admonemus praelatos et fratres omnes, quatenus unusquisque

ipsorum respective observare studeat, quae mandantur in bullis summorum pontificum Pii V. et Gregorii XIII. circa ingressum mulierum intra claustra nostrorum conventuum, et circa ingressum tam virorum quam mulierum in monasteria monialium, alias poenas dabunt absolutionis a suis officiis et gravioris culpae respective praeter eas omnes, quae in praefatis bullis continentur.

4. Admonemus omnes fratres ordinis nostri pariterque in domino hortamur, ut fraterno sinceroque affectu prosequi velint religiosos omnes, cum quibus ad eundem finem tendere debent; specialiter vero eos, qui inter reliquos non segniter laborant pro fide catholica tuenda et salute animarum procuranda, patres scilicet societatis Iesu, quos plurimum inter caeteros illis commendamus, optantes, ut operibus, internae affectioni et charitati testimonium reddant, eisdem ubi poterunt inserviando, nullo vero pacto verbo vel facto offendendo; talis siquidem offensae, si, quod absit, occurreret, severam mandamus a prioribus et provincialibus vindictam sumi, graviter puniendo offendentes. Quod si non egerint et reverendissimus p. generalis id resciverit, delinquentem puniet, simul atque ipsos a suo officio absolvet.

5. Admonemus patres provinciales et conventuum praesidentes, ut praedicationis causa non mittant extra terminos suarum provinciarum, ut unicuique, quod suum est, servetur; quinimo id agendi facultatem ab ipsis auferimus, excepto si contingeret in aliqua de praecipuis civitatibus vel oppidis alterius provinciae patrem aliquem suae provinciae praedicatorem desiderari et ab eodem peti, tunc enim mitti poterit.

6. Admonemus omnes moniales ordinis nostri, quod tenentur ad observantiam eorum, quae in suis constitutionibus continentur; quae si libera voluntate et ex prava consuetudine praetermittant, conscientiam propriam laedunt et graves poenas incurrunt. Quare obligationi suae satisfacturae diligentiores sint in eisdem observandis, quam hactenus fuerint; quod ut praelati etiam procurent, maiori qua possunt diligentia, ipsis iniungimus; si vero occurreret ex aliqua gravi causa vel legitimo impedimento non posse aliquod monasterium illa adamasim servare, ad reverendissimum patrem generalem recurrat, causa et impedimenta proponendo, ut mature consulatur, quid facto opus sit.

7. Admonemus rr. admodum pp. provinciales, ut omnino abstineant a translatione fratrum per affiliationem, potissime ab aliis provinciis ad suas respective, cum translatio ista ad generale capitulum vel ad ipsum reverendissimum patrem generalem tantummodo pertineat, secundum nostras leges et constitutiones; sine quorum auctoritate factas translationes sive affiliationes nullas esse decernimus, et fratres sic translatos et affiliatos ad suas remittimus provincias.

8. Admonemus omnes praesidentes provinciarum, vicariarum et congregationum respective, quatenus debeant notam aliquam reverendissimo patri generali mittere, eorum praecipue patrum suarum provinciarum, vicariarum vel congregationum respective, qui regularis observantiae zelo vel dexteritate et prudentia in regendo aut etiam litterarum sufficientia 5 et gratia in praedicando inter reliquos pollent, sicuti in capitulo generali Veneto proxime praeterito sub formali praecepto, ut infra mensem facerent, ipsis mandatum fuit, quatenus eorum opera pro tempore et negotiorum qualitate in eiusdem religionis beneficium uti possit reverendissimus pater noster generalis. 10

9. Admonemus admodum rev. patrem provincialem Lusitaniae, quatenus omnem maiorem adhibeat curam et diligentiam cum patribus etiam eiusdem provinciae, ut bene de fratribus provisum sit nostrae congregationi Indiarum orientalium suae curae commissae, tam pro regendo eandem congregationem, quam pro legendo discipulis, pro praedicando verbo 15 Dei, et ut numerus sufficiat eorum fratrum, qui debent ad infidelium conversionem destinari; nam messis ibi quidem multa est, sed operarii pauci; quare summe desideramus, ut sollicitus sit ad illas partes saepius mittere fratres zelum honoris et salutis animarum habentes, litterarum sufficientia praeditos nec prudentia in regendo spoliatos, qui non ad quinquennium 20 vel determinatum aliquod tempus, sed absolute eo mitti et pergere debent, seipsos altissimo sacrificantes, cuius neque in via destituentur auxilio neque in termino praemio fraudabuntur. Revocamus perinde tam assignationes quam licentias, quod ad temporis attinet limitationem, sicuti et cuiuslibet capituli acta hoc idem praefereant, nec in posterum tali cum 25 conditione vel clausula aliquos mitti posse volumus. Quod si contingat Lusitaniae provinciam fratribus non ita abundare, ut per seipsam necessitatibus illarum partium supplere possit, ex aliis Hispaniarum provinciis ipse pater provincialis fratres invitabit, qui habeant requisitas condiciones pro tali legatione, quos cum suis in messem Domini mittere procurabit, 30 nec impediri in hoc poterit ab ipsorum superioribus, nostra ei in hoc suffragante auctoritate.

Item cum insulae de la Madera et de la Tercera pertineant ad eius districtum, eidem mandamus, quatenus infra terminum duorum annorum ad summum conventus aliquos in ipsis erigere studeat, ex causis 35 nobis bene visis; quod si facere non curaverit, ex nunc prout ex tunc licentiam damus et facultatem fratribus nostris, qui sunt in insulis Fortunatis, ut possint ipsi conventus ibi erigere, servatis servandis, qui provinciae Bethicae subiecti intelligentur.

Commissiones. 40

1. Committimus reverendissimo p. magistro ordinis, quatenus velit

et debeat procurare omni cum diligentia ad ultiora promoveri negotium canonizationis b. Ludovici Beltrandi (1), cuius sancta vita celebrem istum conventum, in quo capitulariter congregati sumus, valde illustravit et sacrae corporis eiusdem reliquiae in huius conventus ecclesia honorabiliter requiescunt; praecipue cum iam summus pontifex secundum expedierit breve, ut de eius vita et miraculis specialis capiatur informatio.

2. Committimus rr. admodum pp. provincialibus, ut omni conatu promoveant opus reformationis suarum provinciarum praesertim in conventibus ad id singulariter deputatis conformiter ad nostram obligationem et mandatum sanctissimi domini nostri Clementis VIII. Nec permittant praefatos conventus quomodolibet minui aut retrocedere, sed potius de ipsorum progressu et augmento solliciti sint. Qui in hoc negligentes reperti fuerint, in poenam a suis absolvantur officiis; et qui tam pium sanctumque opus quovis modo impedire curabunt, poenas subibunt gravioris culpaе, quas in virtute sanctae obedientiae mandamus praelatis, ut infligant. Et quia in consimilibus conventibus novitii potissimum educari deberent, ut modum regulariter vivendi a principio addicerent, in illo usque ad mortem perseveraturi, non minores modo, sed maiores erunt erigendi conventus pro tam pio opere, quatenus et novitiorum et reliquorum patrum fratrumque capaces existant.

3. Committimus admodum rr. provincialibus, ut aliquibus patribus suarum provinciarum respective, qui magis versati sint in constitutionibus nostris et ordinationibus capitulorum generalium, imponant earundem constitutionum cum suis declarationibus revisionem, ut omnibus diligenter consideratis observent, si quae sunt mutanda, addenda, declaranda, accomodanda vel quomodolibet disponenda, quatenus relationem plenam dare possint quantocius reverendissimo patri generali, qui omnibus horum patrum notationibus in unum congestis curabit, ut ab aliquibus gravioribus patribus mature ponderentur et examinentur et denique in proximo celebrando capitulo diffinitorio, quaecunque acta fuerint, repraesentare curabit, ut vel sic decerni possit aliquid circa novam et correctam impressionem earundem constitutionum, prout et capitula generalia praecedentia desideraverunt et sub formali praecepto mandaverunt, quod nos in praesentiarum renovamus.

35 Concessionones.

1. Concedimus provinciis Hispaniarum, quod baccalaureis legentibus in universitatibus celebrioribus saecularium lectiones computentur pro gradu et forma magisterii, ac si legissent in universitatibus fratrum.

2. Concedimus provinciae nostrae Tolosanae reliquisque Galliarum

(1) Cf: supra pag. 293 l. 28 sqq.

provinciis, ut mittere possint iuvenes ad provincias Italiae et Hispaniarum, quatenus in litteris et moribus instrui possint et suas provincias postmodum a tot miseriis et calamitatibus sublevare. Animadvertant tamen, ne ignaros grammaticae mittant, quia nihil prorsus proficere possent.

3. Concedimus, ut in provincia Trinacriae loca Randatii, Sabocae 5 et Cor Leonis in prioratus erigi possint, si tamen unusquisque illorum per annum integrum prius duodecim fratres sustentaverit et a provinciali una cum diffinitorio capituli sui dignoscetur, id etiam in posterum commode facere posse, non aliter.

Item ad eius petitionem, ut consanguinei in primo et secundo gradu 10 sibi invicem in prioratu aut provincialatu succedere non possint.

4. Concedimus multis urgentibus de causis provinciae Aragoniae, Trinacriae, Lusitaniae, Bethicae, sancti Ioannis Baptistae del Perù, sancti Antonini de novo Regno, s. Vincentii de Chiapa, ut possint abstinere a celebratione capituli intermedii et ipsius loco, si necesse videbitur, aliquam 15 facere congregationem pro nonnullis uniuscuiusque provinciae negotiis respective pertractandis. Quae tamen congregatio nullo modo provincialis capituli vel diffinitorii illius auctoritatem habeat. Et quia nolimus ob id praefatas provincias cum reliquis, quae idem privilegium iam obtinuerunt, privari facultate creandi praedicatores generales, qui in 20 capitulis solummodo intermediis, in quibus provincialis aderat, secundum nostras leges creari poterant, illis omnibus suffragante auctoritate apostolica concedimus, ut in capitulo electionis ipsos praedicatores generales instituere possint, hac servata conditione, quod nullam habeant vocem ipso durante capitulo et quousque provincialis electio confirma- 25 tionis effectum sortita fuerit, et quod in eis omnino conditiones secundum seriem nostrarum constitutionum requisitae reperiantur.

5. Concedimus provinciae Portugaliae ad eius petitionem, nullum Lusitanum in partibus Hispaniarum ad habitum recipi posse, nisi praehabito legitimo testimonio puritatis sanguinis eiusdem ab admodum 30 rev. p. provinciali Portugaliae; quod si praetermittatur, nulla erit receptio.

6. Concedimus provinciae Bethicae ad eius petitionem, ut vitetur graduatorum multiplicatio et vere digni ad officium praedicatoris generalis tantummodo assumantur, quod baccalaurei praedicatores generales 35 institui possint.

Item ad eius petitionem, ut nullus deinceps promoveatur ad gradum baccalaureatus, nisi peregerit cursum integrum artium per tres annos successive, summulas, logicam et phylosophiam legendo, et per quatuor theologiam in aliquo generali studio eiusdem provinciae, videlicet: in 40 collegio s. Thomae Hispalensis, in conventu s. Pauli Cordubensis, s. Pauli

Hispalensis, sanctae Catherinae Giennensis, sancti Dominici Xiniciensis, sancti Dominici Ossunensis, sanctae Mariae del Rosario del Almagro, vel in aliqua universitate saecularium, vel per eosdem quatuor annos functus fuerit officio magistri studentium in aliqua ex praedictis universitatibus.

Nullus item promoveri possit ad gradum magisterii, qui non legerit in aliqua ex dictis universitatibus cursum artium et theologiae per octo annos, vel per quatuor exercuerit officium magistri studentium, et per alios quatuor theologiam docuerit.

7. Concedimus provinciae Mexicanae ad eius petitionem, quod de assensu rev. p. provincialis possint eius fratres promoveri ad gradus respective causa consequendi lecturas in artibus vel in sacra theologia in universitate Mexicana; qui tamen sic promoti fuerint gratis et privilegiis illorum graduum nullo pacto potiri poterunt nec etiam titulo in ordine.

8. Concedimus provinciae sancti Vincentii de Chiappa, quod possit annuos redditus emere in partibus Hispaniarum, ut quotannis numerum fratrum convenientem ad illam provinciam ex eisdem partibus traducere possit pro Indorum salute procuranda et regulari observantia conservanda.

9. Concedimus provinciae sancti Antonini de novo Regno ad illius petitionem, quod nullus poena privationis vocis puniri possit infra trimestre ante quamlibet electionem, praeterquam in casibus in constitutionibus nostris et ordinationibus capitulorum generalium expressis.

10. Concedimus admodum rev. p. provinciali Trinacriae, ut possit remittere aliquas ex poenis gravioris culpae, ad quas fuere damnati infrascripti fratres videlicet: fr. Ludovicus de Catania, fr. Ioseph Maior de Catania, fr. Stephanus Guascoti, fr. Ambrosius Baldachinus, fr. Bartolomaeus de Catania, fr. Ioseph de Termis, fr. Antoninus Vinguales de Panormo, plus minus iuxta qualitatem delictorum, tempus et humilitatem, qua poenas inflictas subiere, cuius conscientiae et prudentiae id relinquimus.

Revocationes.

1. Revocamus omnes licentias, prout in praecedentibus capitulis generalibus fieri solitum est.

2. Revocamus ordinationem pro provinciis nostris sancti Iacobi de Mexico et sancti Hippolyti martyris de Oaxaca ad illarum instantiam alias factam, quod videlicet nullus posset eligi in priorem in conventibus illarum provinciarum, qui non esset in ipsismet provinciis affiliatus, et hoc ad novam earundem provinciarum petitionem, quod male ipsis praefatam ordinationem cedere cognoverint.

Institutiones.

1. Instituimus in nostra provincia Bethica praedicatores generales:

Pro conventu s. Pauli Cordubensis fr. Illephonsum Portocarrero,
 Pro conventu s. Dominici de Alcazar fr. Gregorium de Hoio,
 Pro conventu s. Dominici Malaquitani fr. Didacum de Corduba,
 Pro conventu s. Dominici de Ossuna fr. Ludovicum de Torres,
 Pro conventu s. Dominici de Guadix fr. Petrum Verdugo, 5
 Pro conventu s. Dominici de Huesca fr. Ioannem de Arieta,
 Pro conventu s. Andreae Ubetensis fr. Ioannem de Spiritu sancto,
 Pro conventu s. Petri martyris de Lucena fr. Mathiam Romero,
 Pro conventu s. Dominici de Oran fr. Illephonsum de Santillan,
 Pro conventu s. Mariae Magdalenae de la Guarda fr. Christopho- 10
 rum Rejano,
 Pro conventu s. Benedicti de Gibrleon fr. Ioannem de Aguirre,
 Pro conventu s. Mariae de Candelaria insularum Fortunatarum no-
 viter in prioratum erecto fr. Rodericum Quadros.

2. In provincia s. Iacobi de Mexico pro conventu Mexicensi fr. Tho- 15
 mam de sancto Ioanne.

3. Instituimus et erigimus in nostra provincia sancti Antonini de
 novo Regno in studium generale conventum nostrum s. Mariae del Ro-
 sario civitatis sanctae fidei, quae est metropolis illius regni.

4. In provincia sancti Hippolyti de Oaxaca pro conventu Oaxacensi 20
 fr. Martinum de Zarate.

Provisiones studiorum.

1. In provincia utriusque Lombardiae in studio Bononiensi damus
 in regentem rev. p. magistrum fr. Petrum Martyrem de Urceis post ex-
 pletum triennium rev. p. magistri fr. Hieronymi de Soncino, in bacca- 25
 laureum pro primis annis vacantibus rev. p. magistrum fr. Augustinum
 de Brisighella, et post eum rev. p. magistrum fr. Ioannem Paulum Cre-
 monensem praesentis capituli diffinitorem; de magistro studentium pro-
 videbit admodum rev. p. provincialis.

2. In provincia Romana in studio Perusino damus in regentem pa- 30
 trem magistrum fr. Petrum Paulum Philippum, in baccalaureum fr. Cle-
 mentem Finvechium, in magistrum studentium pro primo anno fr. An-
 toninum Bertum, pro secundo et tertio fr. Franciscum Caesium.

3. In provincia Trinacriae in studio s. Dominici de Panormo damus
 in regentem pro tribus annis et usque ad sequens generale capitulum 35
 p. fr. Petrum Cannizro Trapanensem, in baccalaureum ordinarium fr. Vin-
 centium Giancardum (1), in magistrum studentium pro primo anno fr. Vin-
 centium Ismargium, pro secundo fr. Petrum Grepheum, pro tertio fr. Tho-
 mam Ghrisaphium.

(1) De fr. Vincentio Giancardo cf. SSOP. II, 472.

4. In provincia Calabriae in studio Cosentino damus in regentem patrem fr. Vincentium Mazza de Taberna magistrum, in baccalaureum ordinarium fr. Gregorium de Agrottarea, in magistrum studentium pro primo anno fr. Angelum de Gemiliano, pro secundo fr. Ioannem Baptistam de Pizzamo, pro tertio fr. Franciscum de Monte alto.

Approbationes.

1. Approbamus magisteria et praefaturas a reverendissimo patre generali collatas a praeterito generali capitulo ad praesens usque.

2. Approbamus, quod dispositum fuit a patribus provinciae nostrae Tolosanae, ut in quatuor eiusdem conventibus, qui per quatuor nationes erant distincti, studium vigeat pro iuvenibus ipsis instituendis in grammaticalibus primo, deinde in artibus, ut suae provinciae ruinas instaurare possint.

3. Approbamus institutionem factam a rev. p. generali visitoris pro provinciis s. Iacobi de Mexico et s. Hippolyti martyris de Oaxaca pro causis in eiusdem literis patentibus expressis, eandem, quatenus opus sit, confirmantes et mandantes in virtute sanctae obedientiae sub formali praeepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae omnibus et singulis tam capitibus quam membris ad praefatas provincias spectantibus, ne ipsi visitori quoquomodo se opponant, per se vel per alios directe vel indirecte aut eiusdem officii executionem quomodolibet impediant, sed ipsi pareant et obediant, non obstantibus quibuscumque privilegiis vel gratiis ipsis provinciis ab ordine concessis, quibus ad hunc effectum omnino derogamus.

Acceptationes.

1. Acceptamus monasterium s. Mariae Magdalenaee Romae in Monte Quirinali erectum ab alia d. Maria Magdalena de Ursinis, quae ibidem nunc in habitu nostrae religionis religiosam cum multis monialibus vitam ducit.

2. Acceptamus in provincia Aragoniae domum s. Mariae de Alfairin, licet enim modo duodecim fratres non sustentet propter sumptus, qui in prosecutione fabricae eiusdem domus continuo fiunt, poterit tamen, uti refertur, talem fratrum numerum expleta fabrica alere et eisdem religiose providere.

Item acceptamus collegium s. Vincentii Ferrer CaesarAugustani, servatis tamen servandis secundum nostras constitutiones et ordinationes capitulorum generalium et non aliter. Et denique domum de Cuitadilla s. Mariae del Rosario.

Suffragia pro vivis.

Pro ss. D. N. papa Clemente octavo quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu s. matris ecclesiae catholicae apostolicae Romanae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo Imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo rege Francorum quil. sacerd. unam missam.

Pro catholico rege Hispaniarum et tota eius prole qu. u. m.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Alexandrino, protectore ordinis, quilibet sacerdos unam missam. 5

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Asculano eiusdem nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo duce Sabaudiae et tota eius prole qu. sac. unam miss. 10

Pro omnibus principibus christianis et maxime pro his, qui pugnant contra hostes fidei, et pro bono statu totius reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. archiepiscopo Valentino et patriarca Antiocheno quilibet sacerdos unam missam. 15

Pro illustrissimo et reverendissimo d. archiepiscopo Taraconensi quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis, praesertim ex ordine nostro assumptis quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissima civitate Valentiae quilibet sacerdos unam missam. 20

Pro omnibus benefactoribus nostris, et illis praesertim, qui huic capitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione totius nostri ordinis et pro eius capite reverendissimo patre generali et in eius societate laborantibus quilibet sacerdos unam missam. 25

Ubi sacerdotibus una missa, clericis aliis semper litaniae, conversis vero ac laicis decies pater noster et ave Maria semper imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus illustrissimorum et reverendissimorum dom. cardinalium Ursini et Iustiniani ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam 30 eleemosinam nostro capitulo generali in suo testamento reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri q. s. unam mis.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. unam mis.

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium mortuorum et conversis ac laicis rosarium imponitur. 35

Damus reverendissimo p. generali omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, sicut et reliqua quae declaratione indigent, eisdem addere vel minuere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, secundum quod eius prudentiae expedire 40 visum fuerit.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod pro una vice tantum eligere sibi possint aliquem p. sacerdotem, ad confessionum audientiam in nostro ordine expositum, qui potestatem habeat ipsos absolvendi ab omnibus casibus et censuris, in quas ante harum publicationem incurrissent, a quibus ipsemet reverendissimus absolvere posset; idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earundem ordinarii confessores.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. pp. diffinitoribus huius capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem, de sua dumtaxat provincia, ad poenas gravioris culpae hucusque damnatum ad gratias ordinis, excepta voce passiva, restituere, si tamen sua humilitate et bono exemplo huiusmodi favore dignum se praestiterit.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum primum, assignamus in conventu nostro sanctae Mariae Gratiarum Mediolani provinciae utriusque Lombardiae hinc ad tres annos videlicet anno 1599 in festo ss. Pentecostes.

Praecipimus denique in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum, congregationum et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quam primum legere et publicare faciant omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter exequutioni mandentur et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio legantur. Volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

FR. HIPPOLITUS MARIA BECCARIA, generalis
qui supra manu propria.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
NEAPOLI CELEBRATI
IN CONVENTU SANCTI DOMINICI
IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES
ANNO DOMINI .M^o.D^o.C^o.

Sub reverendissimo patre fr. Hyppolito Maria Beccaria a Monte Regali (1) sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum.

Diffiniere reverendi patres diffinitores videlicet :

(1) De fr. Hippolyto Maria Beccaria a Monteregali cf. supra pag. 349.

- fr. Franciscus Davila magister diffinitor provinciae Hispaniae,
fr. Iacobus Hollerus magister diffinitor provinciae Franciae,
fr. Paulus Castrucius a Monte Regali (1) magister diffinitor prov. utriusque
Lombardiae,
fr. Thomas Boninsignus magister diffinitor provinciae Romanae, 5
fr. Seraphinus de Neapoli (2) magister diffinitor provinciae Regni,
fr. Severinus Cracovita (3) magister diffinitor provinciae Poloniae,
fr. Andreas Ballaquer (4) magister diffinitor provinciae Aragoniae,
fr. Michael de Zignago lector diffinitor provinciae Bohemiae,
fr. Vincentius Politheus baccalaureus diffinitor prov. Dalmatiae, 10
fr. Petrus Canizaro (5) magister diffinitor provinciae Trinacriae,
fr. Ferdinandus de Castro baccalaureus diffinitor prov. Portugalliae,
fr. Gregorius de Aguayo (6) magister diffinitor provinciae Bethicae,
fr. Paulus de Bitteto (7) magister diffinitor provinciae s. Thomae,
fr. Augustinus de Cosentia (8) magister diffinitor provinciae Calabriae, 15
fr. Ioannes Cavezes magister diffinitor provinciae s. Crucis,
fr. Dominicus Laynez diffinitor provinciae Mexicanae,
fr. Michael Aguirre diffinitor provinciae del Peru,
fr. Livius Leonius (9) magister diffinitor provinciae s. Dominici.

Universis et singulis patribus et fratribus ordinis praedicatorum 20
fr. Hyppolitus Maria Beccaria de Monte Regali
totius eiusdem ordinis
humilis generalis magister et servus salutem.

Laudabilis in nostro florentissimo praedicatorum ordine, patres et fratres in Christo dilectissimi, iamdiu viguit consuetudo, de triennio in 25
triennium comitia celebrandi generalia, quibus et collapsa pristinae sanctitatis norma reparatur, et universi religiosi, qui ad perfectionem, ut sui status ratio postulat, totis viribus anhelare tenentur, novis pro temporum qualitate legibus latis vel antiquis innovatis, quibusdam quasi calcaribus additis, ad perfectionis culmen capescendum inflammantur et 30

(1) De fr. Paulo Castrucio a Montereali cf. l. c. pag. 316, 343, 348.

(2) De fr. Seraphino de Neapoli cf. l. c. pag. 220, 340.

(3) De fr. Severino Cracovita cf. l. c. pag. 268, 302.

(4) De fr. Andrea Ballaquer (Balacher) cf. l. c. pag. 255.

(5) De fr. Petro Canizaro cf. l. c. pag. 300, 341, 342, 373.

(6) De fr. Gregorio de Aguayo cf. SSOP. II, 407.

(7) De fr. Paulo de Bitteto cf. supra pag. 251, 344.

(8) De fr. Augustino de Cosentia cf. l. c. pag. 223, 259, 299, 344.

(9) De fr. Livio Leonio cf. l. c. pag. 342.

accenduntur, quo perfecti tandem evadere possint. Vos autem omnes perfectos esse summopere exoptamus, sicut et praecipit pater vester coelestis, qui et ipse perfectissimus est. Ut autem perfectionem adipiscamini, non contenti vitae probitate, qua praediti estis, contendite semper fieri
5 meliores, diligenter attendentes et executioni mandantes, quae in actis capitulorum generalium pro communi religionis decore ac spirituali vestra salute a gravissimis et sapientissimis quibusque totius ordinis patribus maximo cum labore et vitae suae discrimine edita vobis ob oculos ponimus.

Bonus erat iam Paulus et tamen nequaquam contentus, libenter se
10 ad ea, quae ante se sunt, extendebat, posteriora obliviscens et seipso semper melior fieri studens. Solus Deus melior se ipso esse idcirco non vult, quia non valet. At in nobis minime revera bonus est, qui melior esse non vult, et ubi incipit quis nolle fieri melior, ibi etiam desinit esse bonus. Quare recedant a vobis, qui dicunt, ut quid tot capitula generalia? tot ordinationes? tot leges? tot sanctiones? Sic vivere volumus,
15 ut nec peiores fieri patiamur, nec meliores esse cupiamus. Sufficit nobis esse sicut heri et nudius tertius. Profecto qui eiusmodi sunt et se existimant stare, cadant necesse est. Nam si studere perfectioni est esse perfectum, cum indefessum proficiendi studium et iugis conatus ad perfectionem a sancto Bernardo perfectio reputetur, certe nolle proficere, deficere et cadere erit. Vidit Iacob in scala angelos ascendentes et descendentes. Nunquid stantem quempiam? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalae, aut ascendas oportet aut descendas, si attentas stare, ruas necesse est. Unde qui Christi sunt et se dicunt in ipso manere, debent
25 sicut ille ambulavit et ipsi ambulare. At Christus non perstitit, sed exultavit ut gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Quare Paulus monebat, sic currite, ut comprehendatis. Quod sane ita fiet, si nequaquam arbitramini vos comprehendisse,
30 sed obliti, quae retro sunt, extendatis vos ad anteriora ad ea scilicet, quae ante oculos vestros in huiuscemodi Neapolitani capituli actis pro salute animarum vestrarum exarata conspicitis, si apprehendatis disciplinam, quam communi praestantissimorum patrum diffinitorum consensu in pleno capitulo generali approbatam tradimus vobis executioni mandandam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta, si audiat
35 ut filii disciplinam patris vestri, qui ex corde vos diligit, et non dimittatis leges matris vestrae, totius inquam Dominicanae religionis, quae ad illas condendas Neapolim letanter convenit, ut addatur gratia capiti vestro et torques praefulgentium meritorum collo vestro.

40 Neque vero, patres, in animum inducatis vestrum, suave Christi iugum, quod in religione suscepistis, tot editis in capitulo generali le-

gibus totque oneribus humero vestro impositis onerosum et importabile redditum iri; leve enim salvatoris onus, quo amplius crescit, eo portabilius est. Nonne et aviculas levat, non onerat pennarum sive plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, et reliquum corpus pondere suo fertur ad ima. Sic suave Christi iugum, sic onus ipsius leve tot constitutionum et 5 ordinationum in capitulis generalibus conditarum quasi pennis et plumis suffultum portantem non gravat, sed sublevat, imo vero quo ipsum deponeremus, eo deprimeremur ipsi et religio funditus rueret universa, quia portat potius, quam portatur. Quod et in quadriga manifestum est. Haec nimirum admotam equo sarcinam, quae ab ipso moveri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit; onus oneri additur et minus onerat; sic et oneri regulae et constitutionum nostrarum quadrigam adiunximus quatuor vectam rotis, quatuor videlicet capitulis generalibus tempore assumptionis nostrae ad generalatus officium celebratis miro modo constantem, quae religionis iugum non solum non onerat sed et 15 portat omnem, cui portandum imponitur; quamquam enim leve regulae nostrae onus additis constitutionibus et ordinationibus generalium capitulorum crescat et augeatur, ipsis tamen quasi quibusdam rotis levius vehitur atque facilius deportatur.

Quamobrem abundantius oportet, patres charissimi, observare, quae 20 vobis in huiusmodi actis tradidimus, ne, si minora haec neglexeritis, paulatim perefluatis. Insipientiae enim, imo vero insaniae esset maiora peregisse, si minoribus hisce neglectis animas vestras in discrimen mortis aeternae vocaretis. Mundum contempsistis universum, propinquorum abrenuntiastis affectibus, conventuum carceri mancipastis vosmetipsos, im- 25 posuistis homines super capita vestra et denique carni ac voluntati vestrae perpetuum indixistis bellum. Cur igitur minora quaeque vobis proposita non observabitis, ne forte contingat haec omnia vobis in insipientia vestra et negligentia deperire? Agite ergo, dilectissimi patres, et in his, quae nostrae regulae et constitutionum sunt, solliciti estote per- 30 severare et abundare magis in observatione nimirum eorum, quae in actis capitulorum generalium vobis demandantur, ut augeantur in dies incrementa frugum iustitiae vestrae. Etenim qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Et certe modicum seminis incrementum non modicae messis multiplicatio est. 35 Iustum autem et debitum officii nostri arbitramur, quamdiu sumus in hoc tabernaculo profusis lachrymis semper commonere vos de his, ut regulam, constitutiones et capitulorum generalium acta, quae salvare possunt animas vestras, digna devotione amplectamini, suscipiatis et exequamini. Credimus enim, quod pauci erunt dies nostri. 40

Valete et pro nobis ad Deum continuas ac supplices fundite preces.

In nomine domini nostri Iesu Christi, beatæ Mariæ semper virginis, beati Dominici patris nostri, omnium sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta, quæ in eodem capitulo 1600 pro conservanda religione, Deo auctore, proponuntur.

5 Inchoationes.

Inchoamus id, quod laudabile esse dignoscimus, nempe ut fratres redeuntes domum ex civitate post expleta negotia debeant immediate se praesentare coram praesidente conventus, toties quoties exierint, ab eo humiliter benedictionem accepturi.

10 Confirmationes.

1. Confirmamus ordinationem in capitulo generali Veneto 1592. factam sub poenis etc., ne audeat quis aliquam mulierem ad habitum tertii ordinis recipere, quæ sit minoris ætatis quam quadraginta annorum, quæ non sit bonæ famæ, honestæ familiæ et quæ non habeat unde
15 de victu et vestitu sufficienter sibi valeat providere. Haec de his, quæ seorsum in propriis domibus habitant intelligimus.

Addentes modo, quod de caetero non admittantur ad habitum nisi servatis praedictis conditionibus, et nisi se obligaverint ad votum solemne, si in una tantum domo vel monasterio simul habitaverint sub debita
20 viventibus clausura.

2. Confirmamus, quod alias concessum fuit provinciae Franciæ, nempe quod possit mittere et deputare duos patres idoneos et doctos in regentes in studio Parisiensi.

3. Confirmamus in provincia utriusque Lombardiæ ordinationes alias
25 factas a reverendissimo magistro ordinis pro bono conventus Boschensis regimine die 24. novembris 1598. et, quatenus opus sit, ea omnia noviter ordinamus et inviolabiliter observari volumus.

Item ordinamus in eodem conventu et districte mandamus praesidenti conventus, qui pro tempore erit, in meritum s. obedientiæ sub
30 praecepto formali et poena absolutionis ab officio, ne audeat paramenta, calices lapidesque pretiosos vel sacras ss. reliquias a sanctissimo fel. record. papa Pio quinto liberali manu sacristiæ donatas cuiquam, cuiuscumque sit conditionis, extra conventum quavis occasione in posterum comodare seu mutuare. Cui etiam sub eodem praecepto mandamus,
35 quod dato casu alicuius incursionis militum vel quocumque tumultu, quo timendum esset, ne dicta paramenta vel pretiosa dilapidarentur, teneatur in tali casu dicta pretiosa ad civitatem Alexandriae tamquam ad locum tutiorem tute conservanda transferre, patribus a consiliis consentientibus.

4. Confirmamus pro provincia Romana ordinationem capituli generalis Romae 1589. celebrati, nempe quod superiores sint tantum biennales, nec possint in eodem conventu iterum eodem munere fungi nisi alio biennio prius peracto.

5. Confirmamus studium generale erectum in conventu nostro Coloniensi, et quatenus opus sit, de novo erigimus.

6. Confirmamus divisionem provinciae Poloniae factam in capitulo generali proxime celebrato Valentiae anno 1596. denuntiatione 5. in provinciam Poloniae et provinciam s. Hyacinthi, declarantes, quod predicta divisio potuit fieri auctoritate ordinis a reverendissimo patre generali et praedicto capitulo Valentiae celebrato, et non solum convenienter fuit tunc facta praefata divisio, sed modo necessario est sustinenda. Quare eo modo, quo in praefato generali capitulo facta fuit et a reverendissimo magistro ordinis executioni mandata, una cum distributione conventuum et applicatione eorundem utrique provinciae a nobis approbatur et confirmatur. Statuimusque nihil circa ambas praefatas provincias Poloniae et s. Hyacinthi innovandum esse, quousque mittatur commissarius, qui conventus visitet et omnia bene ac religiose disponat. Qui si viderit aliquem vel aliquos conventus uni magis quam alteri provinciae ex rationabilibus causis convenire, certiore reddet magistrum ordinis, ut pro sua prudentia eos tali provinciae possit applicare. Cuius quidem dispositioni omnes stare omnino debent nulloque pacto contradicere praesument. Sanctissimus enim d. n. Clemens papa octavus volens, quod huic causae tandem finis perpetuumque silentium imponatur, vivae vocis oraculo per litteras illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis s. Georgii datas Romae die 12. maii 1600. rev. magistro ordinis et toti diffinitorio directas mandavit, quod omnes huic nostrae declarationi et sententiae obedire teneantur, ac si ab ipsamet sanctitate emanasset. Electionem interim provincialis in capitulo Plocensi factam cassavimus et, quatenus opus sit, cassamus et irritamus dignis iustisque de causis, ordinantes reverendissimo generali, ut habita relatione a commissario praedicto de compositione rerum ipsarum provincialium, utrique provinciae det provinciales, viros aptos ad illas regendas et in regulari observantia debitaque superioribus obedientia continendas. Dolentes quam plurimum, quod tam parvi fecerint superiorum ordinis auctoritatem totque scandalis occasionem dederint sua inobedientia. Mandantes illis, ut se humiliant magistro generali ordinis et obedientiores in posterum sint. Quod si fecerint, ut credimus, prout etiam ipsorum nomine fecit et promisit eorundem procurator in praesenti capitulo p. f. Severinus Cracovita magister, quem ex mera benignitate, cum electio de ipso in diffinitorem capituli nulla esset, in diffinitorem auctoritate apostolica magister generalis

instituit et admisit, rogamus eundem magistrum ordinis, ut illos benigne ac paterne veluti obedientes filios recipiat.

7. Confirmamus in provincia Bethica ordinationem alias factam de alternativa provincialium et, quatenus opus sit, idem de novo ordi-
5 namus.

8. Confirmamus commissionem magistro ordinis datam in capitulo generali Veneto 1592, quod possit titulo provinciae decorare et in provinciam erigere vicariam s. Petri Martyris et eidem provincialem sibi bene visum pro prima vice dare, dummodo prius ita ipsam reformatam
10 invenerit, ut id legitime fieri posse existimet.

Declarationes.

Declaramus, quod cum magister ordinis omnimodam et plenariam habeat facultatem in toto ordine tam in spiritualibus quam in temporalibus, tenentur omnes praesidentes provinciarum, vicariarum, congrega-
15 tionum, conventuum sive locorum ex officio severe punire illos, qui quoquomodo ausi fuerint in discrimen vocare vel aliquid tentare contra ipsius magistri ordinis vel capituli generalis auctoritatem, cum hoc sit supremum tribunale nostrae religionis; quod ut faciant ipsis sub poena absolutionis ab eorum officiis districte mandamus.

2. Declaramus, quod titulus reverendissimus diffinitorio capituli generalis et magistro ordinis intra religionem a fratribus tantummodo debetur, nisi quis eodem potiatur titulo ex privilegio sedis apostolicae, quod quidem ordini prius erit insinuandum ad hoc, ut per publicam constitutionem eidem in ordine praestetur, quod sibi deberi constiterit.

3. Declaramus, quod alias in capitulo generali Romano 1553 declaratum fuit, nempe nullum breve seu oraculum apostolicum poni debere in usum in aliqua provincia, nisi sit de licentia magistri ordinis obtentum et ab ipsa provincia prius petitum vel saltem postea acceptatum, et hoc ex speciali concessione Iulii papae tertii, ut patet in prima
25 denuntiatione eiusdem capituli.

4. Declaramus, quod, si contingat aliquem sine aliqua fraude, sed bona fide emisisse professionem invalidam, et postmodum suppletum fuisse defectibus per secundam professionem tacitam vel expressam, locum eius accipiendum esse a prima professione, quamvis invalida ut supra, dum-
35 modo prius iuridice per sententiam constiterit, talem sine fraude, sed bona fide emisisse primam professionem.

5. Declaramus, quod in capitulo generali in anno diffinitorum primo vel secundo nequaquam possunt ipsi provinciales provinciarum, quicunque sint illi, eligi in diffinitores aut socios diffinitorum; et si secus factum fuerit, electio sit irrita et nulla ipso facto, talesque sic electi nul-
40 latenus uti diffinitores admittantur, non obstante, quod provincialis Re-

gni, provincialis Terrae sanctae et provincialis s. Crucis Indiarum diffinierint in hoc capitulo ; instituti enim fuerunt auctoritate apostolica apud reverendissimum generalem residente.

6. Declaramus, quod in provinciis, in quibus omnes vocales collectim eligunt diffinitores capituli provincialis, habendi pro diffinitoribus 5 erunt illi, qui medietatem votorum excesserint. Quod si plures quam quatuor aequalia habuerint vota ultra medietatem, tunc primum locum habeant graduati, postea antiquiores in ordine iunioribus praeferantur.

7. Declaramus, quod magistri in s. theologia, qui creati sunt, postquam fuerunt provinciales, non habent ratione provincialatus locum su- 10 per omnes magistros, qui non fuerunt provinciales ; et sic intelligendum esse locum constitutionum dist. 2. cap. 8. lit. f.

8. Declaramus, ordinationem 17. capituli Veneti 1592 sic intelligendam esse, quod lectores primi, qui doctores conventuum nuncupantur, primam post graduatos id est post magistros, post eos, qui fuerunt 15 provinciales illius vel alterius provinciae, inquisitores, baccalaureos, praedicatores generales, suppriorum ac post eos, qui fuerunt lectores primi in eodem conventu, imo et post illos, qui fuerunt priores ibi vel alibi, in religione ipsis antiquiores in patrum consiliis tractabuntur per vota secreta, ut alias ordinatum fuit, concludantur, et in libro ad id depu- 20 tato omnino registrentur per aliquem ex patribus a consiliis vel ex assignatis in conventu sacerdotem loco secretarii, a patribus per vota secreta electum. Qui si non fuerit ex patribus a consiliis, non habeat vocem decisivam, sed consultivam tantummodo, et nihilominus tenebitur ad secretum, sicuti omnes patres a consiliis tenentur. Mandantes omnibus 25 rev. provincialibus, ut in suis visitationibus id observari procurent.

9. Declaramus, quod ubi non sunt quinque vocales excepto priore, non potest eligi socius pro capitulo provinciali ; et si secus factum fuerit, electio nulla erit.

10. Declaramus, quod iuxta alias ordinata nullus conversus sine li- 30 centia magistri ordinis potest recipi ad habitum clericalem. Quod si quis conversus seipsum tali habitu induere ausus fuerit, et quod peius est, ordines sacros fraudulenter susceperit, hic habitu etiam conversorum omnino exuatur et sic tertarius toto tempore vitae suae ab executione dictorum ordinum sit suspensus perpetuoque inhabilis neque ab aliquo possit re- 35 stitui nisi a capitulo generali et nihilominus iuxta leges severe puniatur.

11. Declaramus, quod ad persolvendas expensas pro carceratis quomodolibet factas et fiendas tenebuntur conventus, quorum ipsi carcerati erunt filii, incipiendo a die ipsius carcerationis usque ad diem educationis ab ipsis carceribus. 40

12. Declaramus, quod ubi sunt loca et conventus, vicarius loci in

processionibus et alibi locum habere debet post suppriorem dicti conventus et baccalaureum, si quis adierit.

13. Declaramus ordinationem factam auctoritate apostolica in capitulo Valentino proxime celeb. 1596 circa fratres, quod non habeant vo-
5 cem activam neque passivam in electionibus, nisi completo duodecimo anno a professione, extendendam eodem modo esse etiam ad moniales, sicuti de facto extendimus, ita quod quae duodecimū annum a professione non compleverint, ad electiones priorissarum active vel passive nullo modo admittendae erunt.

10 14. Declaramus in provincia nostra Tholosana electionem factam de provinciali in personam p. f. Ludovici Castes nullam et invalidam esse et, quatenus opus sit, per praesentes cassamus et cassatam esse volumus ex causis sat nobis notis.

15 15. Declaramus in provincia Romana, quod confessores monialium non possunt ultra triennium in eodem officio perdurare, sed omnino sunt mutandi.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus omnibus et singulis fratribus ordinis nostri, quod sicuti in capitulo Veneto 1592 reverendissimus magister ordinis ex sua
20 benignitate dedit modum erigendi societates sanctissimi Rosarii et nominis Dei et ad omnium notitiam voluit reponi inter ordinationes, ut videre est ordinatione 12, ita modo ad securitatem conscientiarum declaravit, quod in omnibus ecclesiis ordinis, in quibus fratres nostri officia vel missas ordinarie celebrant, erectae intelliguntur et institutae,
25 praedictae societates et, quatenus opus sit, denuo erigit, instituit et fundat. Debebunt tamen fratrum nomina, si volunt privilegiis dictarum societatum frui, in libro deputato ab habente auctoritatem describi.

2. Denuntiamus, emanasse bullam a sanctissimo d. n. Clemente octavo circa stigmata b. Catherinae Senensis tenoris subsequentis.

30

CLEMENS PAPA VIII.

Universis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis et aliis locorum ordinariis per universum orbem constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus nonnulli fratres ordinis sancti Francisci praetendant imaginem sanctae Catherinae de Senis
35 non esse depingendam cum stigmatibus, sed solius sancti Francisci imaginem ita depingi debere, ac super hoc saepe cum fratribus ordinis praedicatorum altercentur et contendant, nos huiusmodi altercationes et contentiones praecidere cupientes, negotium istud venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super sacris ritibus et caeremoniis deputatis

examinandum, cognoscendum et decidendum ac terminandum commisi-
 mus cum decreto tamen, quod interim nihil innovaretur. Ne autem dum
 in dicta congregatione praedictum negotium deceditur, in aliqua orbis
 terrarum parte circa hoc aliquid innovari contingat, vobis et cuilibet ve-
 strum per praesentes committimus et mandamus, ut auctoritate nostra 5
 curetis et praecipiat sub censuris et poenis ecclesiasticis arbitrio vestro
 infligendis, ne in civitatibus et dioecesibus vestris quisquam fratrum prae-
 dictorum sancti Francisci aut alii quicumque, donec in dicta congrega-
 tione cardinalium huiusmodi negotium stigmatum sanctae Catherinae
 definitum et declaratum fuerit, circa illud aliquid innovare aut ulterius 10
 altercari vel contendere praesumant, constitutionibus et ordinationibus
 apostolicis ac praesertim fel. rec. Sixti papae quarti praedecessoris nostri
 caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Cae-
 terum quia difficile foret, praesentes litteras originales ad unumquemque
 vestrum deferri, volumus et auctoritate apostolica decernimus, ut prae- 15
 sentium exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscri-
 ptis ac sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ea-
 dem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsismet praesentibus haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vige-
 sima septima novembris millesimo quingentesimo nonagesimo nono pon- 20
 tificatus nostri anno octavo.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

Ordinationes.

1. Ordinamus, quod in locis, ubi morantur ad minus tres vel qua-
 tuor fratres clerici, debeant horas canonicas in choro persolvere et san- 25
 ctissimum Eucharistiae sacramentum super altari in decenti pixide con-
 servare, pendente coram ipso una saltem semper accensa lampade.

2. Ordinamus et omnino observari volumus, quod nullus possit
 promoveri ad aliquem gradum vel officium puta praedicatoratus, lecto-
 ratus, magistri studentium, baccalaureatus aut magisterii in sacra theo- 30
 logia, nisi prius genuflexus coram provinciali aut praesidente conventus
 professionem fidei emiserit iuxta bullam Pii papae quarti; de cuius pro-
 fessionis emissionem fidem authenticam in scriptis reportare debet; et si
 secus factum fuerit, collatio dicti gradus vel officii nulla erit.

3. Ordinamus et districte mandamus omnibus et singulis provincia- 35
 libus et vicariis respective, quod visis praesentibus omnino teneantur de-
 putare unum vel plures patres idoneos, qui euntes ab uno conventu ad
 alium diligenter inquirent requisita ad componendam historiam bene di-
 gestam suae provinciae, vicariae aut congregationis, sicuti iam fecit, et

egregie quidem, preloque dedit provincia Aragoniae (1). Quae historia mentionem faciat de erectione conventuum, quis fundaverit, dottaveritque, quot collegia vel vicariatos habeat conventus, a quibus quomodo fundati.

Qui viri in sanctitate, doctrina, verbi Dei praedicatione excellentes fuerint vel scripserint.

Qui ad episcopalem, archiepiscopalem, patriarcalem et cardinalitiam dignitatem ex tali conventu eveci fuerint, quot annis pre fuerint et quomodo obierint.

Quot inquisitores habuerint, quo tempore, quid quisque illorum preclare gesserit, quomodo mortui sint.

Quae corpora extent eorum, qui gloriose et cum opinione sanctitatis migraverint, quibus in rebus praesertim excelluerint, quae eorum vita, quae mors.

Quae praecipua miracula contigerint ob devotionem rosarii b. Mariae aut per intercessionem alicuius sancti nostri ordinis vel alterius aut contra haereticos aut alias quomodolibet.

Quot monasteria monialium ordinis fuerint et modo sint in civitate vel loco, quot sub ordinis et quot sub episcopi iurisdictione, quo tempore quodlibet eorum fundatum fuerit, et a quo vel quibus, quae moniales sanctitate vitae, virtutum exemplis et miraculorum gloria in quolibet eorum claruerint.

Procurabunt tandem intelligere, sintne aliqui religiosi, etiam alterius ordinis, qui cognitionem habeant aliquando rerum, quae religionem nostram quoquomodo illustrare et celebrem reddere per amplius possint, ut sunt miracula virorum illustrium, vitae laudabiles, gloriosi obitus; et ea omnia in unum diligenter congesta ad magistrum ordinis fideliter transmittere studebunt.

4. Ordinamus omnibus praesidentibus conventuum ac locorum, quod sollicite procurent habere penes se bullas pontificias quomodolibet ordinem nostrum concernentes, et acta capitulorum simul collecta, ad hoc ut sciant, quomodo se habere debeant in bono sui conventus vel loci regimine, absque eo quod ignorantiam aliquando et cum rubore praetendere possint.

5. Ordinamus ac praecipiendo mandamus omnibus et singulis praesidentibus conventuum ac locorum monasteriorum monialium, quod infra spatium sex mensium debeant transmittere rev. p. procuratori ordinis in curia Romana copiam authenticam omnium bullarum, brevium, decretorum, privilegiorum, concessionum, indulgentiarum a sede apostolica,

(1) Historia de la provincia de Aragon etc. (Barcinonae 1599) compuesta por Francisco Diago, de quo cf. SSOP. II, 397.

a regiis maiestatibus, congregationibus, a legatis vel nuntiis apostolicis, a principibus quomodolibet obtentorum vel concessarum pro communi totius ordinis vel provinciae, conventus, loci, monasterii aut fratris particularis sive societatum ss. Nominis Dei ac rosarii commodo, utilitate sive praeiudicio cum sententiis exequutoriis eorundem, ad hoc ut quam 5 primum omnia in unum debito quodam ordine redacta ad totius ordinis utilitatem et commodum imprimantur. Animadvertentes, quod copiam quaerimus habere a proprio originali, et de illis, quae hactenus non sunt impressa in libro privilegiorum ordinis sub reverendissimo p. generali magistro Stephano Ususmaris (1); quod si rev. provinciales elapso termino 10 praetaxato repererint aliquem vel aliquos non paruisse huic nostrae ordinationi, omnino absolvent illum vel illos ab officio tanquam contemptorem sive contemptores nostrae auctoritatis et mandati, et insuper ad gubernationem conventuum eos per sexennium non admittent (2).

6. Ordinamus, quod scribentes libellos famosos non possint super 15 poenis sibi inflictis dispensari nisi per capitulum generale vel per magistrum ordinis.

7. Ordinamus, quod quando contigerit mittere visitatores, commissarios et vicarios generales in aliquam provinciam vel pro aliqua causa, debeat sibi in litteris patentibus praefigi tempus, ultra quod non pote- 20 runt protrahere visitationem. Hii autem qui mittentur visitatores, nequaquam eligi poterunt in priores vel provinciales illarum provinciarum aut conventuum, quamdiu illarum vel illorum erunt visitatores; quod et de eorum sociis dicimus, irritum et nullum decernentes, quicquid in contrarium factum fuerit. 25

8. Ordinamus et districte mandamus omnibus et singulis provinciis, quod solvere debeant rev. p. procuratori ordinis in curia Romana pro hac vice tantum expensas, quas fecit et faciet hoc anno Iubilaei pro hospiti- 30 bus ad Urbem venientibus ultra contributionem, quam quotidie solvunt hospites, cum in immensum crescant; excipitur provincia utriusque Lombardia et Romana, quarum hospites alibi recipiuntur.

9. Ordinamus et ordinando praecipimus ac mandamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, omnibus et singulis fratribus, cuiuscumque sint 35 gradus aut conditionis, ne audeant extrahere a bibliotheca communi libros, quicumque sint illi, sine licentia superioris conventus; qui ipsam

(1) De opere fr. Stephani Ususmaris cf. SSOP. II, 143.

(2) Quam sicuti et praecedentem ordinationem exequentes multorum conventuum praesidentes, generali ordinis non pauca documenta sive sincera sive descripta transmiserunt, quae usque adhuc in generali tabulario ordinis asservantur.

nullo modo dare poterit nisi in casu alicuius necessitatis et de patrum consilio, praecipue quod a fratre particulariter et ordinarie possideantur in propria vel alterius cella.

10. Ordinamus omnibus et singulis rev. provincialibus, quod sufficientem pecuniam rev. diffinitoribus et sociis eorum euntibus ad capitulum generale tribuere debeant, habita consideratione itineris et personarum, ad hoc ut commode ire et redire ad suum conventum possint.

11. Ordinamus, quod nullus possit in magistrum studentium institui, qui non legerit cursum artium et ad legendum theologiam praemisso riguroso examine sufficiens fuerit inventus, irritum declarantes, quicquid in contrarium fiet.

12. Ordinamus in quolibet studio vel universitate, quod baccalaurei seu praesentati omnino teneantur legere pro gradu et forma magisterii per quadriennium, alioquin promoveri non possint ad magisterium nec privilegio praesentatorum frui.

13. Ordinamus in provincia utriusque Lombardiae, quod novitii, iuvenes et studentes materiales conventus Bononiensis debeant omnino per priorem et studii moderatores, patres provinciae, qui aderunt in conventu assignati et suos lectores respective semel in anno coram provinciali, si adesse voluerit, examinari diligenter super lectionibus suis iam transactis, incipiendo a logica usque ad propriam lectionem uniuscuiusque, absque eo quod ipsi sciant, super quibus precise sint examinandi, et quos per vota secreta iudicaverint non profecisse tam in litteris quam in moribus, ipsos tanquam indignos et loca aliorum occupantes eiiciant, et assignentur alii iam admissi per examen iuxta ordinationem magistri ordinis alias factam. Quod si aliqui propter infirmitatem et malam aeris dispositionem studia sua prosequi in praedicto conventu Bononiensi minime potuerint, ad suos conventus omnino remittantur, ut suae possint consulere sanitati et alii eorum loco assignati subrogentur.

14. Ordinamus in provincia Regni pro studio Neapolitano, quod eo tempore quo habentur lectiones, fiant lectionum collationes saltem bis in hebdomada in publica scola et totidem conclusiones disputentur. Nec liceat tunc studentibus foras pergere extra civitatem vel intra, nisi habita licentia nedum a priore, sed etiam a maiori parte moderatorum studii. Quod si in hoc contraverint semel et iterum, ipso facto privati studio intelligantur. Nec liceat studentibus tempore adventus Domini concionari usque ad tertium annum inclusive, super quo neutiquam nisi per magistrum ordinis poterunt dispensari.

Item confirmamus alias ordinatum a reverendissimo magistro Seraphino Cavallo, quod moderatores studii debeant omnino examinare quolibet anno hebdomadarios et iuvenes existentes in conventu, ut videant,

quem profectum in litteris fecerint, et ubi per vota secreta aliquis non fuerit admissus, eiiciatur, ne alterius locum absque ratione occupet.

Item ordinamus, quod nullus studentium dicti studii Neapolitani, ubi fuerit in lectorem promotus, possit in dormitorio studentium commorari, sed omnino absque ulla excusatione recedat. 5

Item districte mandamus, quod libri ab aliquo fratre demortuo relictii publicae librariae applicentur, si in ipsa tales libri non erunt, sin autem in communi conserventur deposito huic vel illi ad tempus pro studio accommodandi; quos in recessu a conventu depositario consignari omnino procurabunt priores. 10

15. Ordinamus in provincia Aragoniae, quod collegium Dertusense suis collegialibus ibidem degentibus de vestitu et calceamentis omnino providere teneatur, non obstante ordinatione in contrarium alias facta et in capitulo Romano 1589 confirmata, cum fabricam ecclesiae dicti collegii ad desideratum finem fere productam intellexerimus. 15

Item quod priores eligi et confirmari non possint in alio conventu nisi expleto biennio sui prioratus, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane. Excipientes conventum Barchinonensem, Cesaraugustanum, Valentinum et s. Dominici Maioricarum.

16. Ordinamus in provincia Bohemiae, quod pro sublevanda provincia erigatur seminarium in conventu Viennae provinciae Theutoniae, in quo recipiantur novitii et educentur nomine dictae provinciae Bohemiae eius aere et expensis. 20

Item quod ultra contributiones, quas debent conventus ipsi suo rev. provinciali, quando eos visitat, nil amplius dare teneantur, nec etiam 25 sub nomine viatici aut pro exsolvendis contributionibus magistro ordinis et procuratori in curia Romana debitis; cum pro uno et altero ipse contributiones sufficiant.

17. Ordinamus in provincia Portugalliae, quod dentur confessores sanctimonialibus, qui quidem morentur in domibus prope ipsarum monasteria cum pactis et conditionibus a provinciali eiusdem provinciae et priorissis dictorum monasteriorum ponendis; ancillae insuper ipsarum monialium habitu tertii ordinis induantur relicto totaliter seculari. 30

18. Ordinamus in provincia s. Dominici et in aliis, si hac indigent ordinatione, quod fructus sive redditus, qui recipiuntur a capellaniis nullo 35 pacto sint fratris particularis, sed inter redditus communes conventus connumerentur, a sindico recipiantur et expendantur.

Item quod nemo possit audire confessiones secularium virorum; nisi sit aetatis annorum triginta, mulierum vero nisi triginta quinque annos habeat. Suspendentes ab audientia confessionum illos, qui sunt minoris 40 aetatis usque ad praetaxatum tempus respective.

Item quod in conventu Patavino et Tarvisino specialiter deputentur aliquae cellae commodiores pro infirmis ita accommodatae, ut nullo modo nullaque ratione alteri usui applicentur, vel fratri aut seculari accommodentur, sed semper pro infirmorum commoditate servantur.

5 19. Ordinamus in provincia s. Hyppoliti de Oaxaca, quod provinciales de caetero alternatim eligantur, ita quod una vice sit filius provinciae, altera autem filius aliarum provinciarum.

Admonitiones.

10 Admonemus reverendissimum magistrum ordinis, quod regulariter velit Romae manere propter principaliora religionis negotia et protectionem et inde non discedere nisi urgente capituli generalis celebratione vel aliquo alio negotio aut visitatione, quae suam omnino requirat praesentiam.

15 2. Admonemus omnes rev. provinciales ac vicarios vicariarum et congregationum, ut per totum hunc annum debeant magistro ordinis transmisisse, quae circa correctionem vel accommodationem constitutionum consideravere patres deputati iuxta ordinata in capitulo Veneto et datam commissionem in capitulo Valentino, ad hoc ut reformatae tandem constitutiones pro religionis commodo imprimi possint, alioquin a suis officiis omnino absolventur.

20 3. Admonemus omnes pp. sacerdotes, quod tenentur in celebratione missae, postquam communicarunt, binas ablutiones assumere, ut ordinatum fuit Genuae 1513. et in declarationibus constitutionum d. 2. c. 11. de visitatoribus videre est et in rubricis denuo in capite missalium impressis.

Commissiones.

1. Committimus reverendissimo magistro ordinis, quod velit quantum totius mittere visitatores in provincias Galliarum patres graves pro earum reparatione, vitae regularis promotione ac earum consolatione.

30 2. Item quod omni cum diligentia procuret a sede apostolica confirmationem privilegiorum ordinis et extensionem eorundem unius conventus vel collegii ad alium; et festum s. Hyacinthi reponi in calendario Romano sub festo duplici.

35 Item quod scribantur acta et miracula a b. Ceslao Polono (1) perpetrata ad totius ordinis notitiam et consolationem.

3. Committimus rev. provinciali utriusque Lombardiae, quod debeat renuntiare curam monasteriorum monialium, quas in visitatione invenerit inobedientes et rebelles et illas ordinario custodiendas relinquere.

(1) De b. Ceslao cf. DE FLAVIGNY *Saint Hyacinthe et ses compagnons*. Paris 1899.

Item quod quamprimum curet aedificari vel accommodari in conventu s. Crucis et omnium Sanctorum de Bosco tutos carceres, in quibus recludantur insolentes temerarii, qui multiplicatas spernunt correctiones superiorum et tanquam incorrigibiles iudicabuntur, ibidem ad multos menses et annos respective macerandi.

5

Revocationes.

1. Revocamus in provincia utriusque Lombardiae ordinationem factam in capitulo Valentino proxime praeterito, nempe quod nullus possit gratis et privilegiis magistrorum in eadem potiri, qui baccalaureatus officio expleto in studio Bononiensi officium regentis in eodem exercere non inceperit.

10

Item aliam, quod nullus recipiatur ad habitum conversorum, qui prius per quadriennium ad minus in habitu tertii ordinis probatus non fuerit. Et volumus in qualibet provincia conversos expleto anno probationis admitti ad professionem aut spoliari habitu religioso.

15

2. Revocamus concessionem alias factam in provincia s. Thomae de alternativa in electione provincialium, volumusque, quod capitulum provinciale celebretur iuxta antiquum morem in dominica « Deus qui errantibus ».

3. Revocamus in provincia s. Dominici privilegium alias concessum studentibus studii Patavini, quod possent petere officiales studii, sed tale munus rev. provinciali et diffinitoribus dictae provinciae committimus.

20

Restitutiones.

1. Restituimus in provincia Romana ad gratias ordinis f. Bartholomeum Polastrum.

25

2. Restituimus provinciae Regni praedicatores generales ad numerum tantum quindenarium, quem quidem non excedent. Hii autem examinandi rigore erunt a patribus per magistrum ordinis deputandis, qui etiam considerabunt, an habeant conditiones in constitutionibus nostris circa ipsos expressas.

30

3. Restituimus provinciae Dalmatiae iustis dignisque de causis nobis notis titulum provincialatus, qui sibi in praecedenti capitulo ablatum fuerat, et iterum titulo provinciae loco et voce potiri volumus, cum nunquam huiusmodi privatio tituli fuerit praefatae provinciae intimata nec executioni mandata.

35

4. Restituimus in provincia Trinacriae ad gratias ordinis f. Iosephum Maiorem de Catanea, f. Thomam Pisanello, f. Thomam Castanotto, f. Iosephum Oristano, f. Iosephum de Michaele, f. Ioannem de Leontino et f. Paulum Antonium de Termis cum signa poenitentiae et humilitatis post sententias per multos annos ostenderit.

40

5. Restituimus in provincia s. Dominici ad gratias ordinis p. f. Theo-

dorum Patavinum praeterquam ad vocem activam et passivam, et damus illi conventum loco carceris, a quo nunquam possit exire nisi cum toto conventu.

6. Restituimus in provincia sanctissimi Rosarii ad gratias ordinis
5 f. Michaellem Nietto de Goa et f. Paulum de Mesquita, dispensantes cum ipsis super poenis privativis simpliciter.

7. Restituimus congregationis nostrae sanctae Catherinae de Senis
studium generale erigendum in conventu a magistro ordinis deputando,
ita tamen ut lectores nullo gaudeant titulo et privilegio, nisi quando
10 actu legunt; declarantes, quod tam regentes quam baccalaurei eiusdem
studii per quadriennium legere tenebuntur.

Concessionones.

Concedimus in provincia Hispaniae, quod legitime promoti susci-
pere possint insignia magisterii a priore conventus s. Crucis Segoviensis,
15 si erit ipse magister vel baccalaureus, sin autem recipiant a patre re-
gente, si erit magister et nullus alius sit magister in conventu.

Idem concedimus priori pro tempore conventus s. Mariae de Triano,
si fuerit magister, sin autem suscipiant ab antiquiori magistro ibidem
assignato.

20 Item concedimus p. f. Gregorio Corneio, quod possit transferre filia-
tionem suam a conventu suo s. Genesis de Talavera ad conventum s. An-
dreae de Medina del Campo, servatis servandis.

2. Concedimus in provincia Lombardiae conventui s. Thomae de
Papua, quod possit applicare fructus cuiusdam possessionis dictae de Mede
25 pro fabrica et restauratione praedicti conventus, ita quod in alios usus
converti non possint.

Item quod p. f. Severinus de Pisauro possit sacrum facere, non ob-
stante sententia contra ipsum lata, ad hoc ut conventus non gravetur.

Item quod f. Ioannes Baptista de Soncino liberetur a carceribus re-
30 stituaturque ei habitus, dummodo habeat aliquem conventum loco car-
ceris, a quo non possit exire nisi cum toto conventu, et hoc facimus
attenta eius humiliatione et longa carceratione.

3. Concedimus in provincia Regni, quod locus Praiani possit erigi
in prioratum servatis servandis, quae in capitulo Valentino exprimuntur
35 circa huiusmodi erectiones.

4. Concedimus in provincia Theutoniae, quod annui redditus, quos
habebat monasterium monialium nostri ordinis in civitate Nurimburgensi
ab haereticis extinctum possint per rev. provincialem applicari pro ma-
nutentione novitiatus sive seminarii novitorum Bambergae noviter erecti.

40 5. Concedimus rev. provinciali Aragoniae, quod in conventibus, in
quibus non sunt patres a consiliis de iure, possit instituere alios patres,

qui consiliis intersint nec a priore possint amoveri, sed tantum ab ipso rev. provinciali.

Item quod p. f. Gaspar Marin possit transferre suam filiationem a suo conventu s. Vincentii de Algemesi ad conventum Valentinum; et p. f. Iacobus Morales praedicator generalis a conventu suo corporis Christi de Luchente ad conventum de la Olleria, servatis servandis. 5

6. Concedimus in provincia Portugalliae, quod possit celebrari festum sanctissimi Rosarii in mense maii, dummodo non omittatur principale festum de mense octobris.

Item quod regentes non teneantur legere, sed hoc onus idoneis lectoribus demandetur. 10

7. Concedimus in provincia Bethicae, quod possint dari priores conventibus Cordubae, Hispalis, Granatae et Malacitano, etiam quod non expleverint biennium prioratus in aliis conventibus; in quo quidem conventu Malacitano erigimus studium generale. 15

Item quod p. f. Ioannes Baptista praesentatus et prior conventus s. Dominici Portae caeli Hispalensis possit per aliud triennium computandum a die, qua triennium primum compleverit, esse prior praefati conventus, ad instantiam omnium fratrum vocalium dicti conventus ob eius bonum regimen. 20

Item quod p. f. Ioannes Ximenes possit transferre filiationem suam a conventu suo s. Dominici del Campo ad conventum s. Pauli Hispalensis; et f. Ioannes de Montemaior a suo conventu s. Dominici de Murcia ad conventum s. Dominici de Almagro; et f. Petrus de Vega conversus a conventu sancti Petri Martyris de Marchena ad conventum s. Pauli Hispalensis, servatis servandis. 25

8. Concedimus in provincia sancti Thomae, quod locus Vulterarae possit erigi in conventum et prioratum, servatis servandis, quae in capitulo Valentino sancita fuere circa huiusmodi erectiones.

9. Concedimus in provincia s. Crucis Indiarum, quod possint erigi conventus in terra firma, dummodo serventur ea omnia, quae in capitulo Valentino ordinata fuere circa huiusmodi erectiones. 30

10. Concedimus in provincia s. Ioannis Baptistae del Peru, quod possit erigi studium generale in conventu de Cuzco.

11. Concedimus in provincia s. Antonini de novo Regno, quod p. fr. Martinus Costez possit transferre filiationem suam a conventu suo originali ad conventum s. Pauli Hispalensis provinciae Bethicae, servatis servandis. 35

12. Concedimus in provincia s. Hyppoliti Martyris de Oaxaca, quod possit erigi studium generale in conventu sancti Dominici de Oaxaca. 40

Declarantes, quod nullae erunt praedictae translationes filiationum,

nisi factae fuerint de consensu provincialis necnon maioris partis fratrum filiorum conventus, ad quem suam voluerint transferre filiationem, ibi quomodolibet existentium simul congregatorum, et per vota secreta et non aliter.

5 Translationes.

In provincia utriusque Lombardiae transferimus filiationes rev. p. magistri fr. Dominici Istriani de Pisauro a suo conventu originali Pisauri ad conventum s. Dominici de Bononia, et p. lectoris fr. Seraphini Sfortiae de Padua a suo conventu originali ad conventum s. Dominici de
10 Ferrara, suppletes omnes defectus, si qui interfuerunt; et quatenus opus sit, nostra suprema autoritate illos praedictorum conventuum veros filios facimus et factos esse decernimus, non obstantibus in contrarium quibuscunque, et p. fr. Evangelistae de Lauda a conventu Poschi ad suum conventum originalem s. Dominici de Lauda.

15 In provincia Regni transferimus filiationem p. magistri fr. Thomae de Aversa a conventu Rosarii ad conventum suum originalem Aversanum, et filiationem p. fr. Raphaelis de Neapoli a suo conventu sanctae Brigidae de Puteolo ad conventum sancti Dominici de Neapoli.

Institutiones.

20 1. In provincia Aragoniae instituimus praedicatorem generalem pro conventu s. Vincentii de Algemesi p. fr. Michaellem Nicolaum.

Item instituimus et erigimus in conventum et prioratum domum b. Virginis de Albarrazin et de Algemesi et domum b. Mariae Magdalenaе de Alphaiarim, s. Dominici de Graos in regno Aragoniae, et sancti
25 Michaelis de Monzon, servatis omnibus servandis iuxta ordinata in capitulo Valentino, et priores pro dictis conventibus pro hac prima vice sint, quos nominaverit capitulum provinciale.

2. In provincia Portugalliae instituimus praedicatorem generalem p. fr. Ioannem Velles pro primo loco vacante.

30 3. In provincia Bethicae instituimus et facimus priorem conventus s. Pauli Hispalensis p. fr. Petrum de Soria suppletes omnes defectus, qui in electione occurrerunt, cassamusque quamlibet electionem postmodum factam de priore in personam alterius cuiuscunque.

Item instituimus praedicatores generales infrascriptos videlicet: fr. Petrum Martyrem de Leon pro conventu s. Dominici de Uvescar, fr. Ambrosium Virues pro conventu d. n. de Consolatione de Donna Mentia, fr. Franciscum Lopez pro conventu sanctae Mariae Magdalenaе de la Guardia, fr. Antonium Baroyo pro conventu s. Antonii de Llerena, fr. Hieronymum de Ulloa pro conventu s. Lucar de Barameda, et fr. Bernardum de Maeda pro conventu s. Dominici de Xeres.
40

4. In provincia s. Thomae institui mus et erigimus in conventum et

prioratum loca s. Mariae de la Nova terrae sancti Quirici, sancti Sebastiani de s. Severo, sancti Nicolai de Moliterno, sanctae Mariae Novelarum et sancti Spiritus de Muro, servatis tamen omnibus servandis iuxta ordinata in capitulo Valentino circa huiusmodi erectiones conventuum.

5. In provincia s. Crucis instituimus praedivatorem generalem pro conventu de la Havana fr. Franciscum de Rivera.

6. In provincia s. Dominici instituimus praedivatorem generalem p. fr. Thomam Capello Venetum.

Acceptationes.

1. In provincia Aragoniae acceptamus erectionem factam a reverendissimo magistro ordinis, et quatenus necesse est, de novo erigimus in conventum et prioratum domum nostram s. Mariae de Rosario et s. Telmi civitatis de Alicante regni Valentiae, et damus ei in priorem rev. p. magistrum fr. Ioannem Perez pro hac prima vice, uti reverendissimus dedit.

2. Acceptamus ad beneficia ordinis et participationem omnium bonorum spiritualium nostrae religionis illustrissimum et excellentissimum d. d. Ferdinandum de Castro comitem de Lemos etc. proregem Neapol., et illustrissimam et excellentissimam d. d. Catherinam de Zuniga eius uxorem cum filiis de toto nostro ordine valde benemeritos.

Et illustrem d. Claudium Milanum Neapolitanum ordini nostro bene affectum, et praecipue huic conventui s. Dominici de Neapoli.

Provisiones studiorum.

1. In provincia Romana pro studio Perusino damus in regentem p. fr. Nicolaum Sermartellum magistrum, in baccalaureum fr. Paulum Grisaldum magistrum, in magistrum studentium pro primis duobus annis fr. Seraphinum Lodium magistrum, et pro tertio anno fr. Zenobium Acciaiolum lectorem.

2. In provincia Aragoniae in conventu Barchinonensi damus in regentem fr. Michaellem Llot a Ribera (1) magistrum, completo tamen canonizationis negotio in curia Romana, in lectorem artium fr. Paulum Puig.

In conventu s. Dominici Maioricarum damus in lectorem artium fr. Franciscum Birard, et in conventu Valentino fr. Ludovicum de Urenna ad petitionem pp. priorum eorundem conventuum.

3. In provincia Trinacriae pro studio s. Dominici de Panormo damus in regentem fr. Vincentium Giancardo baccalaureum, in baccalaureos ordinarios fr. Franciscum Ismargium et fr. Antoninum de Ucria lectores.

In magistros studentium fr. Thomam Pasqualem de Messana et fr. Ioannem Petrum Luccinarium de Panormo.

4. In provincia s. Thomae pro studio Andriae damus in regentem

(1) De fr. Michaelle Llot a Ribera cf. SSOP. II, 378.

fr. Bartholomaeum de Galipoli, in baccalaureum fr. Petrum de Tarento, in magistrum studentium pro primo anno fr. Hieronimum de Tarento, pro secundo fr. Octavium de Licio, pro tertio fr. Petrum Roseum (1).

5 5. In provincia Calabriae pro studio Cosentino damus in regentem fr. Scipionem de Roblano, in baccalaureum fr. Angelum de Gimiliano, dummodo ambo legant per quatuor annos et ulterius ad beneplacitum magistri ordinis, aliter nullis gaudeant privilegiis; in magistrum studentium pro primo anno fr. Iosephum de Cosentia, pro secundo fr. Dominicum de Cosentia, et pro tertio fr. Thomam de Altomonte.

10 6. In provincia Occitana pro collegio Tholosano damus in regentem fr. Iacobum de Palude magistrum et inquisitorem, in baccalaureum fr. Franciscum Quinto provinciae Aragoniae; pro collegio autem Avenionensi damus in regentem fr. Spiritum Figuratum magistrum, qui absque intermissione notabili legere tenebuntur; de magistris vero studentium provideat provincialis.

7. In provincia s. Dominici pro studio Patavino damus in regentem fr. Sixtum de Venetiis magistrum, in baccalaureum fr. Georgium Lazarum de Tarvisio (2), sine tamen praeiudicio p. fr. Sixti Sandolini de Utino, eo quod est prior. In magistrum studentium pro primo anno
20 fr. Hieronimum de Iustinopoli, pro secundo fr. Boninum de Liniaco et pro tertio fr. Benedictum de Padua.

8. In congregatione Aprutina pro studio erigendo damus in regentem fr. Antoninum Campionum de Caramanico, in baccalaureum fr. Ioannem Dominicum de Senis et in magistrum studentium fr. Cherubinum de Pistorio.
25

Assignationes.

1. In provincia utriusque Lombardiae et studio Bononiensi assignamus pp. fr. Hieronimum de Gallipoli pro primo loco vacante, et fr. Hyacinthum de Altamura pro secundo pro rata suae provinciae s. Thomae.
30 Item fr. Ernestum Abranch pro rata suae provinciae Theutoniae; item fr. Albertum de Terdona pro rata suae vicariae s. Petri Martyris; item p. fr. Vincentium de Radicena pro primo et fr. Ioannem de Cosentia pro secundo loco pro rata suae provinciae Calabriae.

2. In provincia Regni et studio s. Dominici di Neapoli assignamus
35 pro primo loco vacante fr. Iacobum Antonium de Bitunto et pro secundo fr. Ioannem de Bitunto pro rata suae provinciae s. Thomae; item p. fr. Paulum de Monteleone pro primo et fr. Hieronimum de Spezzano magno pro secundo loco pro rata suae provinciae Calabriae.

(1) De fr. Petro Roseo cf. l. c. pag. 383.

(2) De fr. Georgio Lazaro de Tarvisio cf. l. c. pag. 398.

3. In provincia Trinacriae et studio Panormitano assignamus fr. Paulum de Gallipoli pro rata suae provinciae s. Thomae; item fr. Aloysium de Tropea pro primo et fr. Iosephum de s. Caterina pro secundo loco pro rata suae provinciae Calabriae.

4. In provincia s. Thomae et studio Andriae assignamus pro primo 5 loco fr. Thomam de Cassano et pro secundo loco fr. Thomam de Ferolito pro rata suae provinciae Calabriae.

5. In provincia s. Dominici et studio Patavino assignamus p. fr. Melchiorem Lucinum de Med[iolano] pro rata suae vicariae s. Petri martyris. Licentiae promovendorum. 10

1. In provincia Romana licentiamus ad magisterii gradum p. fr. Nicolaum Sermartellum praesentatum.

2. In provincia Regni licentiamus ad baccalaureatum fr. Innocentium Arminium priorem modernum conventus s. Dominici de Neapoli, dummodo vacet locus et nemini fiat praeiudicium. 15

3. In provincia Theutoniae licentiamus ad magisterii gradum p. fr. Marcum de Carniola praesentatum.

Ad praesentaturam pp. fr. Marcum Monasteriensem et fr. Petrum Hutnerum.

4. In provincia Aragoniae licentiamus ad magisterii gradum rr. pp. 20 fr. Hieronimum Mas et fr. Franciscum Chinto.

Et ad praesentaturam p. fr. Christophorum Mas, fr. Ioannem Guifanum et fr. Franciscum Quinto.

5. In provincia Trinacriae licentiamus ad magisterii gradum p. fr. Vincentium Giancardum. 25

Ad praesentaturam pp. fr. Hieronimum de s. Georgio et fr. Thomam Grisafium, fr. Franciscum Ismargium et fr. Antoninum de Ucria.

6. In provincia Portugaliae licentiamus ad magisterii gradum p. fr. Petrum Martirem, et ad praesentaturam pp. fr. Vincentium Pereira, fr. Iosephum de s. Maria, fr. Sebastianum de Ascensione et fr. Didacum Ferreira. 30

7. In provincia Bethicae licentiamus ad magisterii gradum ex provincia fr. Ludovicum de Torres, fr. Matheum de Ortega, fr. Hieronimum de Cabrera et fr. Ioannem Romero; ex conventu Cordubensi fr. Io. Antonium Merino; ex conventu Hispalensi fr. Petrum de Soria vel fr. Ioannem Montero vel fr. Franciscum de Lugo, secundum quod 35 iuxta nostras leges huic vel illi debebitur, quod rev. provincialis diligenter attendere debet.

Ad praesentaturam vero ex provincia fr. Franciscum Vellio, fr. Ludovicum de Esquivel, fr. Ioannem Baptistam, fr. Ioannem de Rueda (1),

(1) De fr. Ioanne de Rueda cf. SSOP. II, 416.

fr. Bernardum de Ocagna, fr. Antoninum de Miranda et fr. Dominicum Cano, ex conventu Cordubensi fr. Franciscum de Cabrera.

8. In provincia s. Thomae licentiamus ad magisterii gradum pp. fr. Alphonsum de Griptolis, fr. Bartholomaeum de Gallipoli, fr. Dominicum de Castellaneta, fr. Io. Dominicum de Ruvo, fr. Bartholomaeum de Barletta, fr. Ioannem Mele de Medunio, fr. Hieronimum de Baro, fr. Gregorium de Ferrandina.

Ad praesentaturam autem pp. fr. Franciscum de Monopoli, fr. Thomam de Nardò, fr. Thomam Florum de Licio, fr. Thomam de Gryptolis, fr. Octavium de Licio, fr. Chrisostomum de Tarento, fr. Hieronimum de Tarento, fr. Petrum de Tarento, fr. Petrum Roseum de Casali novo.

9. In provincia Calabriae licentiamus ad magisterii gradum pp. fr. Stephanum de Rosarno, fr. Dominicum de Rosarno et fr. Gregorium della Grottorea.

15 Ad praesentaturam autem fr. Angelum de Gimiliano et fr. Alfonsum de Sibari.

10. In provincia s. Ioannis Baptistae del Perù licentiamus ad praesentaturae gradum pro lectura pp. fr. Ioannem Velazques et fr. Thomam de Blancs.

20 11. In provincia s. Dominici licentiamus ad magisterii gradum pp. fr. Hieronimum de Venetiis et fr. Vincentium Pontinum de Tarvisio baccalaurcos.

Ad praesentaturam fr. Georgium Lazarum de Tarvisio.

12. In congregatione s. Catherinae de Senis licentiamus ad magisterii gradum fr. Antoninum Campionum de Caramanico et fr. Ioannem Dominicum de Senis.

13. In vicaria s. Petri martyris licentiamus ad praesentaturae gradum fr. Bonifacium de Cherio.

Approbationes.

30 1. In provincia Hispaniae approbamus magisteria rr. pp. fr. Petri de Herrera (1), fr. Didaci Granero, fr. Raphaelis de la Turre, fr. Christophori Rodriquez (2), fr. Francisci de Toro, fr. Hieronimi de Iedra et fr. Felicis Placae.

Et praesentaturas pp. fr. Ioannis de Medina, fr. Antonii de Arcidiano, fr. Francisci de Oribe et fr. Sebastiani Alvarez.

2. In provincia utriusque Lombardiae approbamus magisteria rr. pp. fr. Io. Mariae de Brisichella magistri sacri palatii, fr. Archangeli de Asula, fr. Petri de Ferrara, fr. Bonifacii de Viglevano inquisitoris Pla-

(1) De fr. Petro de Herrera cf. SSOP. II, 467.

(2) De fr. Christophoro Rodriguez cf. l. c. pag. 389.

cen., fr. Io. Francisci Tarabutii de Mantua, fr. Pauli de Capriata in-
 quisitoris Brixien., fr. Augustini de Brisichella inquisitoris Mediolani,
 fr. Stephani de Garexio inquisitoris Anconitani, fr. Archangeli Calbeti
 de Recaneto socii reverendissimi magistri ordinis, fr. Seraphini de Papia
 socii rev. p. procuratoris, fr. Hieronimi Sagii de Civitate Vetula vicarii 5
 congregationis Aprutinae, fr. Ioannis Sauli de Genua, fr. Petri Martyris
 Locatelli de Bononia (1), fr. Danielis Roberti de Piceleone, fr. Raphaelis
 Ripae de Venetiis (2) theol. illustrissimi et reverendissimi d. card. Asculani
 et fr. Theophili Lupatini de Brixia.

Et translationem filiationum pp. fr. Dominici Istriani de Pisauro 10
 mag. ad convent. Bononien., fr. Vincentii Montani de Magdalono lecto-
 ris ad conventum Parmensem, fr. Archangeli Balbeti Recanatensis ma-
 gistri ad conventum Mutinensem, fr. Iacobi de Rodigio lect. et fr. Ma-
 ximi de Castrogufredo lect. ad conventum s. Mariae Gratiarum Medio-
 lani, fr. Seraphini Sfortiae de Padua lect. ad conventum s. Dominici de 15
 Ferraria, fr. Io. Baptistae de Sestola lect. ad conventum Cremonensem,
 fr. Venantii de Fabriano ad conventum Bergomensem, fr. Vincentii de
 Casali ad conventum Casalensem, fr. Evangelistae de Lauda ad conven-
 tum Laudensem, fr. Hieronimi de Mirto ad conventum Eugubinum et
 fr. Petri de Vincentia conversi ad conventum s. Dominici de Ferraria. 20

3. In provincia Romana approbamus magisteria pp. fr. Nicolai Ser-
 martelli regentis Perusini, et fr. Gregorii Servantii (3) de s. Severino
 baccalaurei collegii Minervae Romae.

Et translationes filiationum pp. fr. Vincentii de Civitella ad con-
 ventum s. Mariae Novellae Floren., fr. Vincentii Gualfreducii ad con- 25
 ventum s. Dominici de Pistorio, fr. Vincentii Zachini Turchetti ad con-
 ventum Perasinum, fr. Hiacinthi Colini de Urbeveteri ad conventum
 s. Spiritus de Senis, et fr. Antonii de Decimo conversi ad conventum
 s. Agnetis de Montepolitiano.

4. In provincia Regni approbamus magisteria rr. pp. fr. Seraphini 30
 de Neapoli provincialis Regni et diffinitoris in hoc capitulo generali, et
 fr. Ambrosii de Neapoli prioris conventus Sanitatis et vicarii conven-
 tum reformatorum.

5. In provincia Aragoniae approbamus magisteria rr. pp. fr. Ra-
 phaelis Castello, fr. Ioannis Perez, fr. Ioannis Michaelis de Loxilla, 35
 fr. Simonis Bauza, fr. Didaci Mas, fr. Ioannis Vincentii Catalani, fr. Ber-
 nardi Sarria et fr. Michaelis Llot de Ribera.

(1) De fr. Petro Martyre Locatello cf. l. c. pag. 442.

(2) De fr. Raphaelle Ripa cf. l. c. pag. 378.

(3) De fr. Gregorio Servantio cf. l. c. pag. 366.

Et praesentaturas pp. fr. Vincentii Tarroga, fr. Petri de Vega, fr. Ludovici de Aliaga, fr. Petri Deza (1), fr. Francisci Diago (2), fr. Dominici Xavier, fr. Hieronimi Cerredo, fr. Iacobi de Pastrana, fr. Andreae Gual, fr. Nicolai Crispo, fr. Benedicti Torrent et fr. Gasparis Valles.

5 Et praedicaturas generales pp. fr. Petri Martyris Balaguer, fr. Ignatii de Arbues, fr. Petri Sisamon, fr. Francisci Villa et fr. Ioseph Viudes.

Et translationes filiationum pp. fr. Ioannis Bru de la Madalena (3) ad conventum s. Vincentii insulae de Iviza, fr. Gabrielis Correioles ad conventum Perpiniati, fr. Iacobi Forner ad conventum Valentinum, fr. Hieronimi Claveria conversi ad collegium Oriolae, fr. Francisci de Guevara conversi ad conventum Valentinum, fr. Michaelis Tortosa conversi ad conventum de Luchente.

6. In provincia Trinacriae approbamus magisteria rr. pp. fr. Petri Canizaro diffinitoris in hoc capitulo et fr. Dominini lo Vecchio.

15 Et praesentaturas pp. fr. Scipionis de Catanea, fr. Vincentii Giancardi et fr. Vincentii Ismargii.

7. In provincia Portugaliae approbamus magisteria rr. pp. fr. Petri Calvi (4), fr. Thomae de Britto, fr. Antonii Tanrique.

Et praesentaturam p. fr. Ioannis de Pietate.

20 8. In provincia Betticae approbamus magisteria rr. pp. fr. Gregorii de Aguayo diffinitoris huius capituli et fr. Didaci Ortiz (5).

Et praesentaturam p. fr. Iephonsi Osorio.

Et praedicaturas generales pp. fr. Bernardi de los Ryos, fr. Alberti Lopez, fr. Francisci de la Cruz, fr. Francisci de Cabrera, fr. Antonini de Miranda, fr. Michaelis Navarro, fr. Petri Navarro et fr. Ferdinandi de Hozes.

9. In provincia s. Thomae approbamus translationes filiationum pp. fr. Io. Dominici de Ruvo magistri provincialis moderni ad conventum Monopolitanum, fr. Pauli Fontanellae de Bitetto magistri et in hoc capitulo diffinitoris ad conventum Bitontinum, fr. Pauli de Ruvo ad conventum Fogiarum, fr. Mathei de Ciliis lectoris ad conventum s. Augustini de Luceria, fr. Antonii Ritii de Rutiliano ad locum Rutiliani, et fr. Hieronimi de Bitetto ad conventum s. Dominici de Bitunto.

35 10. In provincia Calabriae approbamus unionem factam de loco Aconiae et de loco Tirioli conventui Neocastrensi, et quatenus opus sit

(1) De fr. Petro Deza cf. supra pag. 375.

(2) De fr. Francisco Diago cf. l. c. pag. 397.

(3) De fr. Ioanne Bru de la Madalena cf. l. c. pag. 302.

(4) De fr. Petro Calvo cf. l. c. pag. 441.

(5) De fr. Didaco Ortiz cf. l. c. pag. 522, 826.

de novo unimus pro novitiorum alimentis et sustentatione, declarantes, quod si tolletur aliquando novitiatus a dicto conventu Neocastri, haec unio irrita et nulla tunc erit et dicta loca vicariatus provinciae erunt, sicuti ante hanc unionem erant.

Et approbamus translationes filiationum pp. fr. Sixti de Polistina 5 ad conventum Filogasi, fr. Ioannis de Cropano ad conventum Scibaris, fr. Dominici de Seminara ad conventum Filogasi, fr. Dominici de s. Catherina ad conventum s. Catherinae, fr. Francisci de s. Catherina ad conventum Placanicae, fr. Hieronimi de Spezzano magno ad conventum Celici, fr. Antonini de Spezzano magno ad conventum Celici, fr. Scipionis 10 de s. Georgio ad conventum s. Georgii, fr. Ioseph de Cacurio ad conventum Cacurii, fr. Iacobi Siculi ad conventum Vadulati, si servata fuere servanda.

11. In provincia s. Crucis approbamus magisteria fr. Ioannis Cavezas provincialis et diffinitoris huius capituli et fr. Ludovici de la 15 Quadra. Et praesentaturam p. fr. Io. Baptistae Franchi. Et praedicatorum p. fr. Didaci de Montalvo.

12. In provincia s. Iacobi de Mexico approbamus magisteria rr. pp. fr. Augustini Davila Padilla, fr. Ferdinandi Bazan et fr. Didaci Vincentii. Et praesentaturas pp. fr. Ludovici Valeyo et fr. Ioannis Boor- 20 ques et fr. Gondisalvi de Caravasal.

13. In provincia s. Io. Baptistae del Perù approbamus magisteria rr. pp. fr. Didaci de Ayala provincialis moderni, fr. Ioannis de la Iuz, fr. Andreae Almaguer, fr. Ioannis de Lorenzana, fr. Thomae de Heredia et fr. Feliciani de Silva. 25

Et praesentaturas p. fr. Didaci de la Torre pro lectura et fr. Didaci de Mendoza ad titulum praedicationis tantummodo.

14. In provincia s. Dominici approbamus praedicatorum generalem p. fr. Io. Andreae de Venetiis. Et translationem filiationis p. fr. Stephani Caprae de Tarvisio ad conventum Civitatensem. 30

15. In provincia s. Hippoliti martyris de Oaxaca approbamus praesentaturam p. fr. Francisci Davila.

16. In vicaria s. Petri Martyris approbamus translationem filiationis p. fr. Aurelii de Mediolano vicariae Graeciae ad conventum s. Petri Martyris de Modoetia. 35

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro papa Clemente octavo quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu s. matris ecclesiae catholicae apostolicae Romanae quilibet sacerdos unam missam. 40

Pro augustissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo rege Francorum quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico rege Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Asculano ex ordine nostro assumpto quilibet sacerdos unam missam.

5 Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo duce Sabaudiae et tota eius prole quilibet sacerdos unam missam.

10 Pro illustrissimo et reverendissimo d. d. prorege Neapolitano, coniuge et filiis quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus principibus christianis et maxime pro his, qui pugnant contra hostes fidei, et pro bono statu totius reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam.

15 Pro omnibus prelatiis, praesertim ex ordine nostro assumptis quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris et illis praesertim, qui huic capitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

20 Pro statu et reformatione totius nostri ordinis et pro eius capite reverendissimo patre generali et in eius societate laborantibus quilibet sacerdos unam missam.

Ubi sacerdotibus una missa, clericis aliis semper litaniae, conversis vero ac laicis decies pater noster et ave Maria semper imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

25 Pro animabus illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, et reverendissimi d. fr. Iulii Doffi (1) episcopi Alessani ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam elemosynam nostro capitulo generali in suo testamento reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

30 Pro anima illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis Alexandrini, protectoris olim ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

35 Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium mortuorum, conversis autem ac laicis rosarium imponitur.

Fratres qui gloriose obierunt.

In provincia Trinacriae obiit de mense maii 1598 fr. Vincentius

(1) De fr. Iulio Doffi cf. supra pag. 213.

Traina de sancto Stephano, superior conventus sanctae Zitae de Panhormo, qui tam in vita quam post mortem quamplurimis claruit et claret miraculis. Vir eximiae sanctitatis et integerrimae vitae ac in gubernandis coenobiis, quibus plurimis praefuit, prudentissimus et observantissimus. Cuius sepulchrum Panhormi in praedicto conventu sanctae Zitae colitur 5 tum ab habitatoribus tum etiam ab insulanis. Eius miracula in dies apostolica auctoritate recipiuntur et examinantur ab archiepiscopo Panhormitano.

In provincia Betticae in conventu s. Pauli Hispalensis obiit die penultima decemb. 1598 fr. Paulus de sancta Maria conversus, qui vivens 10 et mortuus miraculis claruit. In cuius obitu tantus fuit hominum concursus, dominorum etiam et magnatum deosculantium manus et pedes eius, ut ob praessuram gentium vix altero die sepeliri potuerit. Eius sepulchrum magna totius populi Hispalensis veneratione colitur, qui et luminibus frequenter accensis et munerum oblatione se in suis necessi- 15 tatibus beati viri auxilium percipere, religiose profitetur.

Damus reverendissimo p. generali omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, sicut et reliqua, quae declaratione indigent, eisdem addere vel minuere; omnia denique et singula facere quae nos agere possemus, secundum quod eius prudentiae expedire 20 visum fuerit.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod pro una vice tantum eligere possint aliquem patrem sacerdotem, ad confessionum audientiam in nostro ordine expositum, qui potestatem habeat ipsos absolvendi ab omnibus casibus 25 et censuris, in quas ante harum publicationem incurrissent, a quibus ipsemet reverendissimus absolvere posset. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earundem ordinarii confessores.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. pp. diffinitoribus huius capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem, de sua 30 dumtaxat provincia, ad poenas gravioris culpa hucusque damnatum ad gratias ordinis, excepta voce passiva, restituere, si tamen sua humilitate et bono exemplo huiusmodi favore dignum se praestiterit.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum secundum, assignamus in conventu nostro Tholosano provinciae Occitanae hinc ad tres annos videlicet anno 1603 in festo sanctissimae Pentecostes. 35

Praecipimus denique in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum, congregationum et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quamprimum legere et publicare faciant, omnem- 40

que operam adhibeant, ut inviolabiliter executioni mandentur, et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio legantur. Volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

FR. HIPPOLYTUS MARIA BECCARIA generalis
qui supra manu propria.



IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesg.

Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

Quorum monumentorum haec edita sunt:

- Tomus primus*: Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. REICHERT 1896.
Tomus secundus fasc. I.: Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. REICHERT 1897.
Tomus tertius: *Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1220 ad annum 1303 ed. REICHERT 1898.
Tomus quartus: *Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1304 ad 1378 ed. REICHERT 1899.
Tomus quintus: *Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV.* (appendix ad tomos III et IV) ed. REICHERT 1900.
Tomus sextus fasc. I-II. *Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta* edd. BALME-PABAN-COLOMB 1898-1901 (fasc. III. sub prelo).
Tomus octavus: *Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1380 ad 1498 ed. REICHERT 1900.
Tomus nonus: *Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1501 ad 1553 ed. REICHERT 1901.
Tomus decimus: *Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1558 ad 1600 ed. REICHERT 1901.

Sequentur:

- Tomus secundus fasc. II.*: Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. IUSTUS CUERVO (sub prelo).
Tomus septimus: *Diversae Cronicae Ordinis* (sub prelo).
Tomus undecimus: *Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1600 ad 1650 (sub prelo).
THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. REICHERT (tom. unicus).
B. IOHANNES DOMINICI *Lucula noctis* rec. MERKLE (t. un.).
Fontes ad historiam reformationis Ordinis in Germania pertinentes ed. REICHERT (tom. ca. tres).
Vitae primarum sororum Colmariensium de Subtilia.
Chronik der Schwestern von Engelthal (tom. unicus).
Bullarium Ordinis Praedicatorum (supplementum continens acta ad provincias Germaniae pertinentia).

ROMAE

IN DOMO GENERALITIA

10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE

APUD JOS. ROTH BIBLIOPOLAM

33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

Bibliotheca Asectica Ordinis Praedicatorum Antiqua.

Rōmī P. fr. Andreae **Frühwirth** Mag. Gen. iussu edita.

Veneunt volumina in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano,
Romae.

Vol. I. (fasc. 1, 2) **Brockhausen** fr. Conradi, *Idea Novitii Religiosi*, Pars I, II. rec. fr. Thomas M. WEHOFER, Romae 1898.

Vol. II. **Brockhausen**, *Idea*, P. III, IV. (sub prelo).

Vol. III. **Preissig** fr. Henrici, *Recollectio Spiritus*, rec. fr. Thomas M. WEHOFER, Romae 1897.

Vol. IV. **Brockhausen**, *Cursus Mensilis (meditationum)* (sub prelo).

Balme-Lelaider, *Cartulaire ou Histoire Diplomatique de Saint Dominique. Avec illustrations documentaires*, Vol. I. 1893, Vol. II, 1897, venit Bureau de l'Année Dominicaine, 94 Rue du Bac, Paris.

Chapotin, *Études Historiques sur la Province Dominicaine de France*. Paris 1890 apud Victor Lecoffre.

Douais, *Acta Capitulorum Provincialium Ordinis Fratrum Praedicatorum. Première Province de Provence, Province Romaine, Province d'Espagne (1239-1302)*. Toulouse 1894. Apud Édouard Privat, 45 Rue des Tourneurs.

Fages, *Histoire de Saint Vincent Ferrier, Apôtre de l'Europe*. Tom. I, II. 1893, venit Bureau de l'Année Dominicaine.

Humberti de Romanis, *Opera de Vita Regulari*, edita curante fr. I. I. BERTHIER. Vol. I. 1888, II. 1889. Romae in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano.



BOX
7303.
.M65
v.10
IMS

Dominicans.
Acta capitulorum
generalium Ordinis
Praedicatorum

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY OF MEDICAL STUDIES
83 SPADINA PARK
TORONTO 5, CANADA

